
Musa
BRASSAOLI
Opera
1555







30543

30543

ANTONII MV-
SAE BRASSAVOLI
MEDICI FERRA-
RIENSIS

Examen omnium Loch, id est, Linctuum, Suffuf, id est, Pulverum, Aquarum, Decoctionum, Oleorum, quorum apud Ferrarienses pharmacopôlas vsus est.

His accessit de morbo Gallico lepidissimus eiusdem Authoris Tractatus.

Ad Reuerendiss. Balduinum de Balduinis, Episcopum Marianensem.



LVGDVNI,
Apud Ioannem Temporalem.
1555

AD REVEREN. DISS. BALDVINVM DE BALDVINIS, EPIscopũ Marianensem Antonius Musa Brassauolus.

*

POstquàm Roma discessi, Reuerẽdissimè Præsul, intra me sedulò cogitare cœpi, quo muneris genere essem Reuerendissimam præstantiam tuam salutaturus. nam summos uiros Antiquitas absque muneribus nunquàm erat salutare solita. Deniq; occurrit mihi libellus iste, qui proxima fœtura in lucem proditurus erat, ut esset nostræ salutationis initium, & munus: non quidem, ut aliquid dignitatis tibi impartiri poßit, cùm à te potius dignitatem, & authoritatem recepturus sit, sed quia ad medicam fa-

cultatem spectat, in qua tu adeò profecisti, ac excelluisti, ut summum artis culmen, summumq; apicem omnibus consentientibus calculis adeptus sis. Libellum igitur hunc tuæ celsitudini inscribimus, dicamus, atq; deuouemus, ut sit muneris illius instar, quo Reuerendißimam Excellentiam tuam hodierna luce salutamus. Quod si alacri uultu, ut speramus, receperis, ad maiora in tui gratiã edenda excitabimur.

Vale.

*

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium Loch, id est, linctuum vel eclegmatum, quæ in Ferrarienſibus pharmacopolis ſeruantur.

BRASSAVOLVS. SENEX.

BRAS. Cur toto hoc die cum iſto nebulone, ne dicam lenone garris? iamdudum magnam illius negotij partem pertractauiſſemus, quod hodie tibi diſquiſiturum ſpopondimus, niſi tot bonas horas cũ hoc blaterone amiſiſſes. SEN. Secus fieri non potuit. BRAS. Imò cùm ita facis, & ætati, & arti, & loco, & dignitati tuæ derogare videris: quin omnes ferè homines qui in foro ſunt, huc acceſsiſſe conſpicio, vt nugas quas cum illo habes, audiant. SEN. Tamen ego ſubmiſſa voce loquebar. BRAS. Submiſſa prorſus voce loquebaris, ſi canes ipſi ſubmiſsè latrant, & ſi

qui alta voce ſtrident, ſubmiſſa voce loquuntur. SEN. Ita eſſe iurando affirmaſſem. BRASS. An neſcis iram tuum animum impedire, ne verum diſcernere poſſit? at hæc miſſa faciamus, & illum cum malo ſuo genio abire ſinas. nos verò illa contemplemur, in quorum gratiam huc iſta hora acceſsi. SE. Imò nihil magis exopto. Nunc etenim loch genera in examen ducenda ſunt. BRAS. Scito illa, quæ ab Arabibus loch vocantur, à Græcis ἐκλείγματα dici, & à Romanis linctus, nomina à lingendo deducta. nam linctus, vt catapotia minimè tranſglutiuntur, nec bibuntur, vt potiones, ſed in ore ſeruantur, ac veluti lambuntur, atque linguntur, quoad paulatim liquidiora effecta, partim in thoracem, partim in ventriculum deſcendant. SEN. Linctus igitur appellandi ſunt, qui loch à me priùs nominabantur? BRAS. Appellandi quidem, ſi Latinum nomen imitari volueris, & ſi Græcum, eclegmata. quæ cùm in os inſumpta ſunt, homo pronus iacere debet, vt in aſperam arteriam faciliùs deſcendant, quoniam ſi ſupini iaceamus, in gulam potiùs dilabuntur. SEN. Idem & in aëre attrahendo contingere deberet. BRAS. Non eſt par ratio, quia adeſt in thorace follis ille pulmonicus, qui ad ſe aërem atrahit

hit. SEN. Neque hoc bonum eſt quod per ſolam illam viam atrahatur, & præſertim Ferrariæ, vbi aër valde craſſus eſt. BRAS. Multæ aliæ ſunt in noſtro corpore viæ prę-ter aſperam arteriam, per quas aër ingreditur, nimirùm inſenſibiles cutis meatus. Cùm verò dicis Ferrariẽſem aërem eſſe valde craſſum, deciperis. nam non eſt adeò craſſus, vt arbitraris, aliàs de hoc noſtro Ferrarienſi aëre vbertim diſſerui, cum illuſtriſs. Victoriam Piſcariæ Marchioniſſam curarem, vt Marino viro doctiſsimo ſatiſfacerem, qui noſtrum hunc aërem, & natale cœlum reprehendebat, Marchioniſſæque Ferraria diſcedere ſuadebat, ac ſaluberiorem locum eligere. SEN. Semper arbitratus ſum noſtrum natalem aërem humidiſſimum eſſe atque craſsiſsimum, & ab aliis veteribus id ſemper audiui. BRASSAV. Tu vnà cum illis decipiebaris. SEN. Cur igitur fama hæc increbruit, & per totam ferè Italiam adhuc vagatur? BRASSAVOLVS. Vetus fama fuit Ferrarienſe ſolum humidiſsimum eſſe, & conuallibus, lacunis, ac ſtagnis plenum, quia in extremis conuallibus ſitum eſt, nec tunc fama à verò diſcrepabat, quoniam vallibus circumſepta erat, vrbs noſtra nullúſque aderat locus quin cãnetis, & paludibus ſcaturiret,

tum craſsiſsimus & humidiſsimus aër almam vrbẽ noſtrã ſepiebat, humidíq; morbi eo tẽpore ſine delectu vigebant, cruráq; præſertim occupabant, qui ob nimiam humiditatem ſanitati breui reſtitui nõ poterant. SE. Ob hoc fortè adagium per totam Italiam peruectum eſt, putrida, ſcilicet eſſe Ferrarienſium crura. BR. Adagium hoc tũc à verò prorſus emanauit. nunc autem oppoſitum eſſe conſtat. nam & ars, & noſtrorum patrum, ac auorum induſtria, & diligentia, ſolũ hoc minus humidum reddidere. nam conualles omnes, & lacunas, hominum boúmq; laboribus in ſolidam terram ac fertiliſsimam commutarunt, vt paulatim in talem deuenerit tẽperiem Ferrarienſis aër, vt in actiuis qualitatibus æquilibrium teneat. SEN. At in paſsiuis quæ'nam qualitas ſuperatur? BRAS. De actiuis primò diſſeramus, quas tẽperatas eſſe in calido & frigido, hic aër oſtendit: quia neq; frigidiſsimas hyemes, neque calidiſsimas æſtates habemus, ſed mediocritatẽ ſeruãt hæc tẽpora, & ſi quandoq; rigeat glacies, & nix ſubſtrata ſit, breui perdurãt. in paſsiuis verò qualitatibus ferè tẽperatus eſt, tamẽ in humidum potius vergit, in quo omnes ferè bene ſe habent mortales, & humanæ vitæ optîmè cõducit. SE. Antiquæ noſtrorũ principũ pictu-

ræ aëris temperiem quæ nunc viget, ostendere possunt. nã qui ante ducẽtos annos dominabãtur, ita picti vidẽtur, vt pãno quodã totum caput, mentũ ac barbam integerent. BR. Neq; istud ab re faciebant. nã eo humiditatis noxas euitabãt, quoniã illo tempore conualles multæ & lacunæ sole illustratæ, effumabãt, & euaporabãt, vt aër hic his plenus vaporibus, caliginosus, & humidissimus redderetur. SE. Illam fuisse rationem arbitror, cur tam arcte caput obnecterent, quoniã cùm ætatis processu conualles obstruerentur, & in ductis riuulis aquæ in padum cõfluerẽt, illorũ capita tam graue circundari panni onus ferre nõ potuerũt, idcirco pannũ in leuiorem pileum cõmutarunt. BR. Hoc & secundò, & tertiò, & quartò, & quintò, ac sæpius cõmutatum est, idq; Principum figuræ ac Icônes (vt tu ipse probè dixisti) in variis tẽporũ successionibus ostendere proculdubio est. SE. Hoc sæpius & vidi, & adnotaui, & alios minoris ætatis admonui. BR. Denique conuallibus omnibus obstructis, & in feracissimam terram redactis, paruissima, leuissimáq; absque vllo incommodo geruntur pilea, quod planissimum indicium esse potest, aëris tẽperiem esse immutatam, & ad tẽperatas ferè qualitates redacta. SE. Haud leue est eiuscemodi

argumentum ad aëris temperiem comprobandam. BR. At aliam audias non mediocrem rationem. SEN. Iam audire ſum paratus. BR. Externi homines & aduenæ, qui ex diuerſis non modò Italiæ, ſed totius mundi partibus Indies Ferrariam cõfluunt, in hoc aëre probè vitam degũt, ſiue in ſiccioribus ſint orti locis, ſiue in humidioribus, ſiue calidioribus, ſiue frigidioribus. SE. Muſca alba profectò eſt, aduenam inuenire, qui Ferrarienſem cœli ſtatum, & vitales has auras, hoc eſt, aërem in quo viuimus, non bene ferat. BRAS. Hoc maximum eſt probi aëris ac bene temperati indicium. SEN. Et quo nullum fortè maius, ne dicã æquale inueniri poterit. BRASSA. Et hoc potiſsimùm ad propoſitum ſuadendum facit, quòd nulla eſt in Italia vrbs (pro populi ac multitudinis ratione) in qua tot antiquiores & ſeniores inueniantur, quot Ferrariæ viſuntur. non pauci ſunt qui centeſimum annum tranſegêre. octuagenarios plures alit Ferraria, ſeptuagenarium eſſe nullius ferè momenti negotium eſſe videtur, in hac vrbe. SEN. Et quod mirum eſt, mulieres etiam ad has ætates Ferrariæ perueniunt, & integra ac ſapienti mente fruuntur, & vegetioribus ſenſibus vt res præter naturam videatur, niſi quiſpiam

ocul

oculata fide ita esse percipiat. BRASS. Hæc integrum testimonium esse possunt, quòd Ferrariensis aër temperatus sit. SEN. Nosco impræsentiarum me diu ex longo rumore fuisse deceptum, qui tamẽ antiquitus verus erat. nũc verò absurdus. putabã nimirũ Ferrariensem aërem adhuc humidissimũ esse, nisi me egregiis rationibus admonuisses. at nunc percipio, ad temperiem quandam hominibus cõuenientem esse redactum, & si nonnunquàm humidus esse videatur, est ob singularem tempestatem, & anni conditionem, vel vigente hyeme qua vniuersus ferè orbis humidus euadit. BRAS. Tibi verò mirum haud videatur, humidissimum aërem temperatum euasisse, quoniã vt Plato in libris de legibus scriptum reliquit, omnia hæc terrena immutãtur, vt vbi montes fuerint, maria nũc latrent: & vbi maria, montes: vbi vrbes erant erectæ, nunc valles visuntur, apud nos rem ita euasisse certum est. nam vbi conualles erant, & stagna, nunc solida terra, variis herbis induta virescit, hominésq; ac bruta fert, ac pascit. SEN. Talisq; terra effecta est, vt omnia fertilissimè progignere sit apta. BRASSA. Audias nũc & aliud ad hoc suadendũ argumentũ. Ferrariensia vina oligophora ac dilutissima ex soli humiditate antiquitus erant, nũc præ-

potentia

potentia gignuntur, & talia, quæ marinos æſtus ferre poſſunt, neq; vllã putredinẽ incidũt. Hoc verò maximũ eſt indiciũ, ſolum eſſe ab eo, quòd antiquitus erat, immutatũ. SE. Et hoc fortè magnũ eſt hominibus incõmodum. nam cùm vina erãt oligophora, cornix alba videbatur, podagricũ homine Ferrariæ inuenire, aut qui veſicę calculo laboraret. nũc verò vinis ipſis immutatis, potentioribúſq; effectis, multi podagra laborant, & nõnulli veſicę calculo. BRAS. Id veriſsimũ eſt, quod enarraſti. at ad eadẽ perſuadenda, hominũ qualitates ac diſpoſitiones plurimũ facere vidẽtur. nã ſi Ferrarienſium hominũ colores cõtemplemur, ſtatim viuidos eſſe pro maiori parte percipiemus. SEN. Sunt prætereà magni corpore Ferrarienſes, & per proportionẽ craſsi, quæ temperatas aëris qualitates atteſtari poſſunt. BRAS. Neque ſplẽdidus eſſet faciei color, niſi in temperato aëre viueremus. Idẽ prætereà & artes atq; ſtudia oſtẽdunt. nam Ferrariæ viri nõ deſunt in omni arte, omníque facultate præcellentes, ſiue illa ſpectes, quæ vt conficiãtur, manuũ auxilio indigẽt: ſiue illa quę ad ingenij acumen, & mẽtis diſcurſum ſpectare videntur, cùm Ferrariẽſes patria exeunt, nullis ſunt in ea quã exercẽt facultate ſecundi. hæc omnia ſunt & probi, &

temperati hominis indicia. SEN. A tua hac sẽtẽtia dissentire nõ possum, quia humida regio homines ingenio hebetiores reddit, & cerebri substantia pinguiusculos gignit. BRAS. De viriũ robore, ac membrorũ agilitate, quid opus est eloqui, cùm omnibus palam sit, in his exercitationum generibus Ferrariẽses multũ pollere? SEN. In illa qua sum ætate cõstitutus, nunquàm audiui Ferrariensem aliquẽ in duello dimicãtem, qui gloriosam palmã non sit adeptus, tamen & multi ab eo tẽpore quo memoria mihi deseruit, in publico duello dimicarũt. BRAS. Ego qui nõ sum tam grauis annis, vt tu ipse es, non paucos referre possem, qui trophæa Ferrariã reportarunt, & adhuc in Deorum templis suspensa manẽt. at hæ dotes in his hominibus esse non possunt, qui intemperato aëre ortũ habẽt. prætereà verò in 6. climate vrbs nostra sita est, quòd clima temperatissimum esse authores testãtur, & in medio prorsus huius Septẽtrionalis quã incolimus orbis partis. nam à xl. partiũ & dimidiæ latitudine incipit, & in xlvij. & quartã alterius partẽ definit, vt medius eius punctus à xlv. parte parum recedat, quæ est nonaginta partiũ medietas. intelligo autẽ partes illas in quas astrologi facilioris computationis gratia, huius quartę mũdi partis

quam

quam incolimus diuisère. quod verò mediũ sit, hinc cõstare potest, quia ab æquinoctiali tantum distat, quantũ à polo distare concipitur. medium prętereà existit in hac parte, quæ commodè habitatur, videlicet inter partẽ illam, quæ à tropico cancri ad circulum arcticum vsq; intercipitur. nam circulus cancri ab æquinoctialis partibus paulò minus 24. distat, totidémq; partibus distat arcticus circulus à polo, vt inter vtrosq; circulos partes restent ferè xlij. quæ si per medium diuidantur, planum erit sextũ clima vtriusque dimidii partem capere. nam (vt Mathematicè probatur) ab extremis lineæ partibus æquis demptis portionibus, punctus qui erat in tota linea medius, in ea parte quæ remanet, & ipse medius remanebit. nam si ad alterum declinaret extremorum, necessariũ esset, maiorem portionem fuisse ab vno latere ablatam, quàm ab alio, vel prius in medio non fuisse, dicendum esset. at hic situs temperatus, temperatas reddit regiones, quæ sub ipso sunt. vocatur verò per boristenem clima, sub quo neque hyemes sunt algidissimæ, vt homines frigore rigescant, neq; illis præsentibus viuere possint, neq; ardentissimæ æstates quibus homines exurantur, & calorem ferre non possint. sed hæ omnes horum temporũ qualitates

tates, tam facilè feruntur, vt extremæ haud videantur. hæc verò omnia certiſsima ſunt loci temperie præditi indicia, neque aſtra quæ ſub hoc climate ſunt, caliditatem maximam frigiditatémue præter modũ inferre poſſunt. nam ab Aſtronomis ſcriptũ eſt, per huius climatis initium in cœlis Bootis aſtile tranſire, & extremitatem alæ ſiniſtræ cygni ſiniſtrũ Perſei brachiũ dexterúmque aurigæ humerũ. per ipſius verò medium dicunt tranſire humerũ ſiniſtrũ Artophilacis, & dexterũ Perſei crus, caprámque Erichtonij. at per huius climatis finẽ dicunt Arctu-ri caput tranſire, & ſiniſtrũ engonaſis genu, & ſiniſtrum Perſei latus, quæ aſtra non poſſunt magnopere caliditatẽ & frigiditatem excitare, imò neq; humiditatem, aut ſiccitatem. SEN. Sub ſexto igitur climate temperata eſt habitatio? & regno illi correſpõdens tẽperata? BRAS. Temperata præ cęteris eſt atque perfectiſsima habitatio, vt in noſtris in tertium lib. Aphoriſ. Commentariis ſcriptũ reliquimus. Adde, ſi vrbes illas contẽplemur quæ ſexto climati ſubſunt, omnes ferè aërẽ habẽt ad temperiẽ inclinantem. Deniq; ſi vrbis noſtræ ſitum cõtemplemur, nõ eſt prorſus deſpiciendus. nam talis eſt vt ex eo tẽperies ſuaderi poſsit, lõgè abeſt à mõtibus, lõgè à mari, lõgè à paludibus

impræſ

impræſentiarũ, ac ſtagnis. SEN. Nunc præ- tereà abſunt valles. BRAS. Omnibus vẽtis expoſita eſt Ferraria præſertim bonis, qui illam abſq; vllo impedimento circũagunt, ac circunſpirãt, optimas habemus aquas, ac viuas, quæ à fontibus ad nos per bonã terrã ac fertiliſsimã confluunt, neque ſtagnantes ſunt. de aquæ dotibus, & aquarum palma in libris de ratione victus in morbis acutis vbertim tractauimus. huius generis vrbes tot dotibus inſignitas laudauit Hippocrates, in libro de Aëre, aquis, ac locis, cùm ait. Quamobrẽ vrbes quæ bene poſitæ ſunt, ſoléque probè luſtrãtur, vẽtíſq; bonis perflantur, aquíſq; optimis vtũtur, minus has mutationes ſentiũt, quas prius ſcilicet enumerauerat. Ferraria ventis omnibus afflatur, ſed Borea, Aphrico, ac Coro frequentius, quorum ſecũdus garbino vulgò dicitur, & tertius Maeſtro. hi verò ſunt ſaluberrimi in Italia venti, nihil inſuper adeſt, quòd aliqua ex parte ſolem impedire poſsit, ne Ferrariã illuſtretur, ac irradiet, illã quotidie circuit, & ipſa in medio exultans ſolis vires ac viuificantes radios, nullo nõ momento recipit. SEN. Cùm igitur Ferrarienſis aër temperie præditus ſit, & hoc in omnibus tam paſsiuis quàm actiuis qualitatibus, éſtne aliqua qualitas, ad quam potiùs inclinet? BRAS.

Talis

Talis est nostri aëris temperies, vt in humidum tantisper inclinet, & hoc præsertim imminente hyeme, si illã haud frigidã esse contingat, & ad crassam aliquãtisper inclinet. SEN. Audiui in eiuscemodi aëre temperato quidẽ, sed ad crassum inclinãte homines & animalia cõmodiùs ac diutius viuere. BR. Ita esse & ratio & experiẽtia ostendunt, ratio inquã, quia sumus cõposita corpora, nõ simplicia, crassa, & cõpacta, idcirco temperato prorsus aëre indigemus, sed tali temperie, quæ ad crassum potiùs, quàm ad tenue vertat, experiẽtia verò quia indies videmus homines in hoc aëre longæuos esse, ac diutius superuiuere, & integra sanitate frui. SEN. Gaudeo plurimũ atque lætor nostrum natale solũ, tali, támq; exquisita temperie esse præditũ. at nũc tempus instare videtur, vt de speciebus loch verba faciamus. BRAS. Vt lubet. At schedam tuam depromito, & per ordinẽ linctuum genera referto. SEN. Tam pauca sunt, vt absque scheda (nullo etiam prætermisso) referre posim. nam omnia ita integra memoria teneo, vt in pyxidibus disposita sunt. BR. Quódnam primũ est? SEN. Id quòd primũ est, si ab vna parte incipiam, vltimũ erit, si ab alia parte exordiri voluerim. BRAS. Ab ea parte numerare incipito, quæ versus ostium vergit.

SEN. Primum igitur eſt loch ſanum & expertum. BRAS. De hoc à Meſue ſcriptum eſt, quòd illud inuenerit, & quod tuſsi confert ac raucedini vocis, quæ ob frigiditatẽ contingit, & pituitam craſſam, quæ in thorace ac pulmone continetur. at ipſius compoſitionem referto. SEN. Referam vt in examen veniat, ita à Meſue conficitur.

℞. Cinnamomi
Hyſſopi ſiccæ
Glycyrrhizæ
Singulorum ℥ ß.
Iuiubarum
Sebeſten
Singulorum numero xxx.
Paſſularum enucleatarum
Caricarum
Dactylorum pinguium
Singulorum ℥ ij.
Fœnugræci ʒ v.
Cap. ven. M. j.
Aniſorum
Fœniculorum
Iridis
Calamenti
Seminis lini
Singulorum ʒ iiij.

Hæc omnia coquãtur in lib. iiij. aquæ quoad duæ libræ ſuperſint, ſupra quas iniiciantur

tur

tur penidiarum librę duæ, & ad mellis ſpiſſitudinem coquantur, poſteà addantur.

Pineorum mundatorum ℥ v.
Amygdalarum mundatarum
Glycyrrhizæ
Tragacanthi
Gummi arabici
Amyli
Singulorum ℥ iij.
Iridis ℥ ij.

Miſceantur omnia, & agitentur quouſque compoſitũ maceretur, & albũ fiat, doſis eius eſt à drach. v. vſq; ad decẽ. BR. In codicibus Meſue ita ad verbũ ſcriptũ eſt vt retuliſti. SEN. Quare huius linctus doſin ponit Meſue, cùm non ſit ſolutiuus? BRAS. Id facit, ſi quis voluerit copiã ſcire, quę ex ipſo vna vice ſumi poteſt: tamẽ nos iubemus cochleari vel lingula aut re alia ſimili, modicũ accipi lingẽdo, itaq; fieri ſæpius, & in ore quãtum fieri poterit, retineri, ac ſini vt paulatim deſtillet. nã hoc modo portio aliqua actu ad thoracẽ tendit, ac pulmonẽ, craſſáſq; materias incidit, & naturã ad expulſionẽ excitat, tamẽ nõnulli ſunt Pharmacopôlę nõ ſolùm ìn aliis Italiæ vrbibus, ſed & Ferrariæ, qui ìn aliquibus ſimplicibus pondera euariant. SEN. Quónam modo id faciũt? BRAS. Iſto, qui ſequitur, vt cõpoſitionẽ ſimul habeas.

℞. Cinnamomi
Hyſſopi
Glycyrrhizæ
Singulorum ʒ iiij.
Iuiubarum
Sebeſten
Singulorum nu.xxx.
Paſſularum
Caricarum
Dactylorum
Singulorum ℥ ij.
Fœnugræci ʒ v.
Cap.ven.
Aniſorum
Fœniculorum
Iridis
Calamenti
Singulorum ʒ iiij.
Seminum lini ʒ iiij.ß.
Aquæ communis ℔ iiij.

Miſce, & bulliant ad conſumptionem medietatis, poſtea adde

Zuccari ℔ ij.
Pineorum mundatorum
Amygdalarum mundatarum
Singulorum ʒ v.
Glycyrrhizæ
Tragacanthi
Gummi arabici

Amyli

Amyli
Singulorum ℨ iij.
Iridis ℨ ij.

Misce, & conficiatur eclegma secũdum artem. SEN. Modicissima esse videtur inter Mesuẽ, & istos differẽtia. BRAS. Non parua est, quia hi zuccarũ apponũt, vbi Mesue penidion addit, præteteo etiã quod cap. ven. sub põdere drach. iiij. ponũt. at Mesue dicit Man. j. SEN. Vidi etiã Pharmacopôlas qui in suis cõpositionibus ponunt solùm passularum, caricarum, & dactylorũ singulorum vnc. j. cùm tamẽ Mesue ponat vnc. ij. BRAS. Adsunt & nonnulli qui radicem iridis imponant ad drach. iiij. SEN. Hæc nõ magnifacio, sed id solùm mihi non placet, quòd diapenidiarũ loco, zuccarũ addiderint. BR. Cur nunquàm probè album est eiuscemodi eclegma, quòd tamẽ albũ esse deberet? SEN. Quia diu non ducitur, ac agitatur. BR. Diu igitur ducatur vt albũ euadat, veruntamen cum penidia cõpositionem hãc ingrediantur, nõ ab re fortè erit, ad exquisitiorẽ compositionis intellectionẽ de penidiis, ac diapenidiis tractare. SEN. Vt lubet. BRASS. Quomodo diapenidia cõficis? SEN. Vt docet Nicolaus. nam eiuscemodi compositio ad Nicolaum refertur. BRAS. At quomodo illã conficit Nicolaus? SEN. Hoc modo.

℞. Penidiarum ℥ xvj.ß.
Pineorum
Amygdalarum mundatarum
Se.papa.albi
Singulorum ʒ iij. ℈ j.
Cinnamomi
Gariophyllorum
Gingiberis
Succi glycyrrhizæ
Tragacanthi
Gummi Arabici
Amidis
Seminum citruli, melonis
Seminum cucumeris, cucurbitæ
Singulorum ℥ j.ß.
Camphoræ tertiã partẽ vnius ſcrupuli.

Syrupi violati, quod ſufficit. poſteà compoſitionem hoc modo fieri oſtendit, in vna aquæ libra, tres violarum vnciæ bulliat, donec aqua aliquantulum inficiatur, poſteà coletur, & vna zuccari libra addatur, & bulliat donec inſpiſſari incipiat, tunc nuclei pinei addantur, & amygdalæ, & melonis ſemina, citruli, cucurbitæ, & cucumeris, & vnaquæq; ſemina per ſe imponantur, probè contuſa, ſempérque rudicula mouendo, deinde penidia addantur, tenuiter pulueri-zata, & cum liquefacta fuerit, craſſum illud quod ſupernatat lingula (quam caciam vo-

cant

cant)percolentur,& in mortario iterũ probè terantur, & bene agitando commiſceatur,deinde camphora iniicienda eſt, & deniq; prædictorum aromatum puluis,cum prædicto ſyrupo agitando in mortario cõquaſſentur,donec ad minima ſint cõmiſta, mane præbeatur, & veſperi, cum ptiſana calida.his verò qui febrem non habẽt, cum vino calido, ita Nicolaus ait.BRASS.Hæc ſunt diapenidia,quæ in vſu habẽtur,& quæ à nõnullis recentibus diapenidia magna vocantur.SE.Quomodo magna dici poſſunt, ſi parua diapenidia haud cõficiãtur?BR.Magna ob eorũ præſtantiam nuncupantur, & ob eorũ efficaciam,& à penidiis quæ copioſè compoſitionem ingrediũtur, diapenidia nuncupãtur. Nicolaus dicit ad omne vitiũ pulmonis ac tuſsis valere,& ad raucedinem vocis ex ſiccitate factã, phthiſi ſuccurrit,& craſſas materias attenuat,ac ita parat, vt cũ extuſsitur,facilè exeãt, neq; tracheæ cãnali inhæreãt,veruntamẽ cum ipſa cõpoſitio ab ipſis penidiis diapenidiũ nuncupetur, quomodo penidia ipſa conficiantur,contẽplari neceſſariũ eſt.SE.Penidia in pharmacopoliis ſeruamus.BR.Cuiuſnam authoris ſunt? SE.Penidiorum authorem nunquam legi, ſed à præceptore ita parari didici, vt nunc paro.BR. Quid perſolueres, ſi penidiorum

authorem tibi indicarẽ? SE. Nihil prorſus, quia ad me nihil ſpectat, an Socrates fuerit, an Plato, modò res ipſa de qua agitur probè cõficiatur. BR. Et an rectè conficiatur ignoras, ſi authorẽ neſcias à quo cõpoſitio deſumitur. nam vtrũ in tuo paruo libro rectè, an nõ rectè ſcripta ſit ignoras. SE. Authorẽ igitur pandito. BRA. Penidiorum compoſitio à Bulchaſi refertur, in libro qui Seruitor inſcribitur, cùm ait, Accipe zuccari albi & mũdi lib. j. vel duas, vel ad ſummum tres, quia nõ poſſunt probè fieri in multa copia, ídq; pone in vas æneum ſtanno circũlitum, vel in vas terreũ vitro delibutum, cuius orificiũ latum ſit. at æneum vas aptius eſt, zuccarúmq; deinde liquefacito, cũ tanta aquę dulcis quantitate, qua cooperiatur, & (ait author) ſi zuccarum eſt forte, pone cũ eo pro qualibet zuccari libra, mellis vnciã vnam, & ſupra ipſum deſtillato oleum amygdalarum dulcium, ſi illud habes. ſi verò illo careas, oleum aliud eius loco ſuperiniicito, & vas ad ignem ponito ſupra prunas, ex acapnis lignis (hoc eſt adeò ſiccis, vt fumum non emittant) confectas, ac ſemper æqualiter miſceto, & coquito, donec ſit prope aquæ conſumptionem. experire verò an coctum ſit, gutta, ſupra marmor eiecta, quam digitis tangito, cúmque fila inter digitos

gitos

gitos fieri conſpicies, neq; adhæreant, tunc ab igne remouendum eſt, & ſupra marmoreum lapidem eiiciatur, atque extendatur, prius verò aut oleo amygdalarum dulcium ſit inunctum, aut ſeſamino: partésque eius vndique ſparſæ (dum calidæ ſunt) in vnum colligantur: caue autem ne manus tibi aduras. deinceps trahe & extende per manus vt dulcia trahuntur electuaria, curuúmque clauum in pariete infigi iubetò, ſupra quē diutius penidia extendito, frequenter tractando, vt fit in dulcibus aliis electuariis, quouſque ad ſummum dealbetur, notatóq; ſemper igne calefaciendum eſſe dum attrahis, vt extenſioni magis obediens ſit, & poſt calefactionem iterum ſupra clauum appone. & attrahito, cùm erit album, vt tibi videbitur, forficibus incîde in fruſtula ſecundum libitum tuum, ſi verò tibi animo ſit, rotundas efficere formas, aut oblongas, aut alias diuerſas, amylum album accipito, ac terito, & ſupra marmor ponito, & extende ſupra hanc farinam, quæ ſupra marmor ſparſa eſt, penidiarum paſtam, quam plicato, inuoluito, incidito ac conformatio, vt tibi lubuerit, tamen hoc opus citò expedire oportet, ne dum manibus tractatur, frigeſcat, deinde ſupra cribrum extendito, & per vnius horæ ſpatium iuxta

prunas apponito, posteà refrigerari finito, ac seruato. SEN. Ego præcise ita conficio penidia quæ seruo. BRASSA. Nec vllus alter adest conficiendi modus, hæc sunt penidia, quæ diapenidion ingrediuntur, & diapenidion superiùs enarratum illud est, quòd loch sanum ingreditur, ad quod iam sermo deflectendus est. SEN. Cur ad loch sanum redeundum, si de eo superiùs iam vbertim egerimus? BRASSA. At istud nondum enarratum est, cinnamomum, scilicet hyssopum siccum, & glycyrrhizam in multis Mesue impressas codicibus sumi ad semidrachmam singulorum, imò & inter pharmacopôlas aliqui sunt, qui semidrachmam tantùm illorum trium simplicium apponunt, & alij semiunciam. SENEX. Cui sententiæ magis inhæres tu? BRASSAVOLVS. Illi, quòd quatuor singulorum drachmæ sumantur: nam & glycyrhiza, & hyssopus, & cinnamomum in maiori copia, sumi debet, quàm in semidrachma, vt tota compositio ab ipsis etiam vim habeat, quam & ab ipsis prorsus habere debet. SENEX. Ego semper horum trium simplicium drachmas quatuor apposui mei Mesue manuscripti verbis ductus. BRASSAVOLVS. Etiam si fuisses tua sponte ductus, probè egisti. SEN.

Repe

Reperitúrne loch istud sanum apud antiquos? BRASSA. Est Mesue inuentum, at nullus alius antiquior de eo (quòd sciuerim) mentionem facit, diapenidia tamen apud antiquos inueniuntur, si Actuarius, & Nicolaus Alexandrinus antiqui sint. SEN. Cupio & horum authorum compositiones audire, num inter se conueniant, & an eædem sint cum illa, quam paro compositionem. BRAS. Non erit mihi molestum horum authorum compositiones referre. SE. Vt lubet, nam & mihi gratissimum feceris. BRASS. Ita ab Actuario scriptum est. Diapenidiõ antidotum valet aduersus omnem pectoris noxam, tussi à frigore contractæ, vocis iacturæ, tabidis, purulenta excreantibus diluculo, & vesperi cum cremore ptisanæ calido sumptum.

℞. Penidiarum ℥ xvj.
Nucis pineæ
Amygdalarum
Seminis portulacæ
Capitis papaueris albi
Singulorum ℥ iij.
Cinnamomi sexquiscrupulus j.
Garyophyllorum
Gingiberis
Succi glycyrrhizæ
Tragacanthæ

Sing

Singulorum *

Mellis quantum sit satis. hæc est Actuarij compositio. SEN. Est multùm breuis ac decurrata. nam in ea quam paramus compositione, sex simplicia plus adsunt, quàm in ista, & simplicium etiam pondera euariant, at cur ad garyophylla pondus non addidisti, sed locum astro signasti? BRASS. Quia neque in Actuarij codice adest pondus. SE. Quod verò arbitraris esse horum pondus? BRAS. Arbitror omnia illa in eodem pondere, cũ cinnamomo esse debere, quoniam & in compositione quam paras in eodem sunt pondere, imò verborum Actuarij continuatio hoc idem innuere videtur, cùm dicit, cum sexquiscrupulo vno cinnamomi, garyophyllorũ, gingiberis, succi dulcis radicis, tragacanthæ singulorũ, arbitror particulam hanc singulorum referri debere ad idem pondus, vt hic sit sensus, sexquiscrupulus vnus singulorum, scilicet cinnamomi, gingiberis, & reliquorum. SE. A' tua sententia non dimoueor. BRA. Nec dimoueri debes. SEN. At cur vocat hunc linctum antidotus Actuarius? BRASSA. Antidotus prorsus dici non potest, nisi vocabuli significatum ampliemus, fortè legẽdum est magnum, cùm & in Alexandrino scriptum sit diapenidion magnum. SEN. Ad cuius differen

feren

ferentiam dicitur magnum? BRASSA. Ad parui differentiã, quod describit, sed vtraq; referã, ne illa desideres, ita verò dicit Alexã drinus de magno loquẽs diapenidio, Hoc opitulatur asthmaticis, arteriacis, siue perdit tussientibus, vocẽ calidã ex calido perfectè reparat, peripneumoniacis subuenit.

℞. Penidiarum ℔ j.
Pineorum
Amygd. purgatarum
Se. papaueris albi
Singulorum ℥ xx.
Cinnamomi
Garyophyllorum
Gingiberis
Succi glycyrhicæ
Tragacanthi
Gummi Arabici
Amyli
Seminum citruli
Melonis
Cucumeris
Cucurbitæ
Singulorum ℥ x.
Camphoræ ℈ iij.
Syrupi violacei quod sufficit. hoc modo conficito, penidia cum syrupo lento igne aliquantulum bulliant, & inde puluis eorum quæ in puluerem redacta sunt, temperet

peretur, detur mane & vesperi cum tepida. SEN. Differt ab eo, quod conficio in ponderibus tantum. BRASS. Et cum ego crediderim pondera in hac compositione magis iusta esse, idcirco secundum hæc pondera compositionem ipsam seruandam esse maluerim, quàm illam, quam seruas, in qua est tam magna copia cinnamomi, gingiberis, & garyophyllorum. SEN. Hoc non erit surdo cantatum. deinceps enim maius Alexandrini diapenidion seruabo. BRASSA. Paulò pòst idem Alexãdrinus diapenidion minus refert. SEN. Et hoc contemplandum est. BR. Ita dicit author: Diapenidion minus facies ad vlcera quæ intrinsecus maturanda sunt, omnes putredines expurgat, & pectoris constipata mollit.

℞. Penidiorum ʒ lxxx.
Papaueris
Gingiberis
Tragacanthi
Pinearum purgatarum
Amygdalarum
Anisorum
Seminis citruli
Melonis
Cucurbitæ
Singulorum ʒ xij.
Spicæ

Croci

Croci
Singulorum ℥ vj.
Mellis rosei quod sufficit. detur mane & vesperi cũ tepida. SE. Súmne hoc cõfecturus ac seruaturus? BRAS. Minimè, sed satis erit primum seruare ad vsus. SE. Legi, quandoq; apud Mesue loch bonum & expertum, est ne hoc, quod vocatur sanum? BRAS. Non est hoc. sed de eo sermonem habet in capitulo de tussi humida, ita verò illud conficit:
℞. Mellis boni ℥ iiij.
Vitellorum ouorum recentium
Butyri
Singulorum ℥ iij.
Mel & butyrum coquantur quoad habeat modicũ spissitudinis, deinde paululùm infrigidari sinito, & cum eis ouorum vitella misceto, posteà adde Piperis nigri ℥ xij. & sumatur ex eo lambẽdo mane, & vesperi, & est expertum. SEN. Arbitror quòd pro obsonio cũ pane edi posset. BR. Bonũ profectò est gustui, propterea illud bonũ vocat, & expertum. at alia linctus genera referto.

SENEX.

Loch de pino secundo loco in pyxidibus meis ordinem habet. BRASSA. & de illo iam verba faciemus. SEN. A Mesue dicitur tussi antiquæ conferre, & asthmati & sputi glutinositati, & anhelitus constrictioni.

BR.

BRASS. Modum referas quo illud conficit Meſue. SEN. Ita conficit:

℞. Granorum pini ℥ xxx.
Amygdalarum dulcium
Auellanarum aſſatarum
Tragacanthi
Gummi arabici
Glycyrrhizæ
Succi glycyrrhizæ
Amyli
Cap.ven.
Radicum lilij cœleſtis
Singulorum ℥ iiij.
Carnium dactylorum cheyron ℥ xxxv.
Amygdalarum amararum ℥ iij.
Mellis
Paſſularum
Zucchari taberzeth
Butyri recentis
Singulorum ℥ iiij.

Mellis taberzeth quãtum ſufficit. ex eo accipiatur quaſi lambendo vncia vna. BRA. Aliqui ſunt Ferrariæ, qui ab hac compoſitione Loch de pino haud multùm euariãt, alij vt cœlum à terra diſtincti ſunt, illi, qui modicè euariant, grana pini in eadem menſura ponunt in qua ſunt amygdalæ & auellanæ. SEN. Hos haud probè agere arbitror. BRASS. Imò prauè agunt, quoniam & int

& intentionem omnium Meſue codicum euariant, & ponunt in minori copia, nucleos pineos, quàm eſſe deberẽt, nec à pino denominatio fieri poſſet. SE. quod legitur mellis, & deinde paſſularum, ab aliquibus continuate ponitur, vt mel paſſulatum intelligatur, hoc eſt mel paſſularum, in quo ſcilicet decoctæ ſint paſſulæ vuæ. BRAS. tamen ſiue paſſulas addideris, ſiue mel in quo ebullierint haud magnifaciendum eſt. SE. tamen quid potius ſumendum, num vtrunque an mel ita coctum? BRAS. mel potius accipiendum ſuaderem, in quo paſſulæ fuerint decoctæ. at quid intelligis per lilij cœleſtis radicem? SE. iridis radicem. BRAS. ita prorſus intelligẽdum erat, nonnulli etiam ſunt, qui butyrum non apponunt, quod tamen apponẽdum cenſeo, cùm ad illa quæ præſcripta ſunt conueniat, & quamuis nonnulli butyrum prætermittãt, quia ranceſcit, ob hoc nos iubemus hunc linctum in parua fieri copia, in tanta inquam, quòd in vno mẽſe vendatur. SE. quid intelligit per dactylos cheyron? BRAS. nonnulli intellexere dactylos ex regione quadam, quæ tali nomine vocatur, at aliâs nos oſtẽdimus eſſe corruptum vocabulum & loco illius particulæ cheyron legendum eſſe fuluum, vt legi debeat dactylorum

fuluorum. SEN. Quid autem verè intelligendum eſt per zuccarum taberzeth, & per mel taberzeth? BRAS. Nonnulli per mel taberzeth ſuccum ipſum intelligunt, ex quo per cocturam fit zuccarũ, quòd tamen nondum exiccatum ſit, per zuccarum verò taberzeth illud intelligunt, quòd iam exiccatum ſit, at cùm hi abſque autoritate, & ratione loquantur, & nunquam de liquato zuccaro vlla facta ſit apud authore, mentio, propterea cum ſua hac opinione dimittãtur, & nos cum aliis dicamus, zuccarum taberzeth eſſe zuccarum vocatum album, & depuratum, ita & mel ipſum depuratum erit mel taberzeth, fitq; eiuſcemodi compoſitio cum melle, & non cum zuccaro liquido, & vbi præſto erit ac præſens zuccarum illud liquidum antequam dureſcat? SEN. Debet ne ſumi in tanta copia, vt refert Meſue, & nonnulli confirmãt qui medicos illos reprehẽdunt, qui in pauca præbent copia? BRAS. Mihi potius arridet, vt frequenter ac modicè accipiatur, quàm ſemel copioſè, quoniam in tánta copia, illud deglutire cogimur, neque poteſt diu in ore ſeruari, ſi verò ad drachmæ quantitatem accipiatur, in ore facilè detineri poteſt, & paulatim deglutiri. SEN. Vniuerſa hæc compoſitio, cùm ex frigidis & calidis

dis constituta sit, in quo quantitatum gradu esse potest? BRAS. Nonnulli dicunt in primo ordine calefacere & exiccare, at mihi potius videtur, quòd sit in secundo ordine calidum, & in pasſiuis ferè temperatum vel modicè exiccare. SEN. Nónne vehementius est, quàm loch sanum? BRAS. Minimè. nam loch sanum magis calidum est, & vehementius isto. SEN. Cur aliqui incipiunt à loch sano, postea præbent loch de pino? BRAS. Hi errant, & medicamentorum vires ignorant. nam in thoracis affectibus primò debet præcedere loch pini, deinde loch sanum & expertum. SEN. Quæ sunt compositiones quibus alij vtuntur pharmacopolæ ab hac diuersæ, quàm ex Mesue adduximus? BRAS. Aliqui in ponderibus differunt ita conficientes.

℞. Granorum pini ℥ xx.
Amygdalarum dulcium
Auellanarum assatarum
Tragacanthi
Gummi arabici
Glycyrrhizæ
Succi glycyrrhizæ
Amyli
Capill. veneris
Radicum iridis
Singulorum ℥ iij.

Carnium dactylorum ℥ xv.
Amygdalarum amararum ℥ iij.
Mell. passularum
Zuccari taberzeth
Butyri recentis
Singulorum ℥ iiij.

Mellis taberzeth quantum sufficit. SE. in melle quantum temporis debent passulæ coqui? BRAS. quo ad omnes sint veluti consumptæ & liquefactæ, vt expressione facta & per linteum excolata, id quod excolatum est mel passularum appelletur. audias verò compositionem quàm nõnulli seruant pharmacopolæ, ab illa Mesue differentem. SE. est ne valde differẽs? BRAS. statim percipies, nisi tibi graue sit audire, ita nimirùm conficiunt.

℞. Capill. veneris
Florum boraginis
Buglossi Violarum
Singulorum ℥ iij.
Passularum
Succi glycyrhizæ
Singulorum ℥ vj.
Iuiubarum numero xlv.
Iridis ℥ iiij.
Dactylorum ℥ j. ß.
Hyssopi siccæ ℥ iiij. ß.

Aquæ fontis quantum sufficit, misce & fiat decoct

decoctio ſecundum artem, poſtea adde.
Amyli
Amygdalarum mundatarum
Seminum omnium mundatorum
Singulorum ℨ vj.
Pinearum mundatarum ℥ j ß.
Tragacanthi
Gummi arabici
Seminis papaueris albi
Singulorum ℨ iij.
Spodij ℨ vij ß.
Zuccari ℔ iij.
Miſce & fiat electuarium ſecũdum artem. SE. ab illo Meſue toto differt cœlo. nam neque in ſimplicibus conuenit, neque in ponderibus, neque in conficiendi modo. BRAS. eſt alterum prorſus eclegma, & longè diuerſum. SEN. væ ægrotis illis, qui in medicorum manus incidunt, qui & compoſita ignorant medicamenta, & compoſitiones quas pharmacopolæ ſeruant, neſciunt. nam eiuſcemodi diuerſitas poſſet eſſe nõ paucorum malorum cauſa. BRAS. hi medici, qui illa quæ indicant ignorant, non ſunt illi qui medeantur, ſed ſunt pharmacopolæ. SE. adeſt & Ferrariæ pharmacopola quidam, qui Eclegma hoc ſecũdum Serapionem conficit, & vocat illud loch de granis pini, ita verò conficit.

℞. Granorum pini
Tragacanthi
Auellanarum
Radicis iridis
Gummi
Singulorum ℔ j.
Seminis lini torrefacti
Dactylorum
Singulorum ℥ vij.
Butyri
Mellis
Singulorum quantum sufficit.

Misce & fiat eclegma secundum artem.

BRAS. Alter etiam reperitur pharmacopola, qui secundum conficit à Serapionem Methamen de granis pini vocatum, ad tussim antiquam, & asthma, & anhelitus constrictionem.

℞. Granorum pini
Tragacanthi
Seminis cucumeris
Citruli
Gummi
Fœnu græci
Amygdalarum dulcium excoriatarum
Glycyrrhizæ
Amyli
Capill. veneris
Singulorum ℥ v.

Amyg

Amygdalarũ amararũ excoriatarũ ℥ ij.
Dactylorum ℥ xx.
Butyri recentis ℥ xl.

Mellis quantum ſatis eſt, miſceātur, & quibus conuenit adhibeatur. SE. Fortè & ſuæ ſunt apud Auicennam de pino compoſitiones. BRAS. Imo non deſunt, ſed ab his ſunt longè diuerſæ, quales & illæ ſunt, quæ à Raſi in decimo practicæ referuntur. SEN. Ego verò, quã compoſitionem ſeruaturus ſum? BRAS. Illam Meſue, quæ per totam Italiam in vſu eſt. SEN. Reperitur ne apud antiquos? BRAS. Multę quidem ſunt apud antiquos cõpoſitiones quæ pineos nucleos recipiunt, at nulla talis eſt, qualem Meſue deſcripſit, ſi nihil habeas in ipſa Meſue cõpoſitione, in quo ambigere poſsis, ad aliud linctus genus te conuertito.

SENEX.

Nihil prorſus habeo, idcirco loch de pulmone vulpis in medium adducam conſiderandum. BRAS. A' quo authore illud accipis? SEN. A' Meſue. BRAS. Quomodo cõficit? SEN. Iſto.

℞. Pulmonis vulpis ſicci
Succi glycyrrhizæ
Capill. veneris
Seminis fœniculi
Aniſorum

Singulorum partes æquales.

Confice cum zuccaro decocto in aqua quãtum sufficit,& quandoque conficitur cum rob myrtino, túncq; magis roborat. BRAS. in quo loco apud Mesuen exstat hoc eclegma? SEN. illud non vidi in ipso authore, sed compositionem habeo in meo paruo libello, sub titulo Mesue scriptã, at nónne est in Mesue antidotario? BRAS. minimè omnium, sed est in illa parte in qua de phthisi sermonẽ habet, & eclegma ipsum Gal. attribuit. SE. conficitur ne, vt ego retuli ab omnibus pharmacopolis qui Ferrariæ degunt? BRAS. nonnulli ita statute conficiunt.

℞. Pulmonis vulpis præparati
Succi glycyrrhizæ
Seminis fœniculi
Singulorum ℥ ß.
Zuccari albi ℔ j. ℥ iiij.

Misce & fiat eclegma secundum artem. SE. isti capillos veneris prætermittũt,& anisa, quæ tamen ad thoracem conferre possunt. BRAS. pauciora prorsus accipiunt, quàm à Mesuæ scriptum sit,& in zuccari quantitate aberrant, debet esse gustui optimum eiuscemodi eclegma, cùm tantam zuccari recipiat copiam, at nonnulli ita conficiunt.

℞. Pul

℞. Pulmonis vulpis ſicci
Succi glycyrhizæ
Capill. veneris
Seminis fœniculi Aniſorum
Singulorum ʒ iiij.

Confice cum ſucco diſſoluto in aqua decoctionis myrti, poſtea adde Syrupi myrtini ℔ ij.v. Miſce & fiat eclegma. SE. erit valde molle, neque ita dicit Meſuæ, ſed inquit ipſe, aut zuccaro confici, in aqua diſſoluto, aut rob myrtino. BRAS. at hi vtrunq; accipiunt ne errent, & præterea magis roborat. in hoc verò Meſue præceptum non ſeruant, qui vult aut vnum aut alterum eſſe recipiendum, & non vtrunque. nam vnum aliud impedit, aliqui ſunt qui ita prorſus conficiunt, vt à Meſue ſcriptum eſt, tamen aniſa prætereunt, alij ex melle hoc modo conficiunt.

℞. Succi glycyrhizæ
Pulmonis vulpis ſicci
Seminis fœniculorum
Capillorum veneris
Singulorum ℥ j.
Mellis ℔ j.

Contritis conterẽdis, omnia in melle optimo deſpumato miſceantur, vt pro ſingulis tribus vncijs mellis vna pulueris vncia miſceatur. SE. zuccarum conuenientius eſſe

arbitror. BRAS. Ad nõnullos affectus mel est efficacius, tamen illud à nobis seruandum est, quòd probè authores scripsere: scripsit verò Mesue zuccarum accipiendum, aut rob myrtinum, non autem mel. SEN. Sunt ne aliæ apud pharmacopolas diuersitates? BRAS. Vna adest nõ mediocris, nam nonnulli magnam quandam compositionem conficiunt, à nullo authore quem sciuerim positam. SE. Illam audire desidero. BRAS. Tuo desiderio satisfaciam, cùm ita illi conficiant.

℞. Radicis iridis
Glycyrrhizæ
Hyssopi siccæ
Tragacanthi
Singulorum ʒ j.
Pulegij
Cinnamomi
Amygdalarum dulcium
Singulorum ℈ ij.
Gingiberis
Ficuum siccarum
Dactylorum
Cubebarum
Seminis vrticæ
Anisorum
Singulorum ℈ ij.
Pulmonis vulpis præparati ʒ vj.

Zucca

Zuccari diſſoluti in decoctione cap. ven.
Glycyrrhizæ, hyſſopi, & pulegij ℥ vj.
Miſce & fiat loch.

SEN. Ampla videtur eiuſcemodi compoſitio, & in ſimplicibus, ac ponderibus ab illa Meſue longè diuerſa. BRAS. Cùm à Meſue ſcriptum ſit, pulmonis vulpis præparati, quomodo illum præparas, & quid eſt hoc præparare? SEN. Ita præparo, pulmonem in primis ab omnibus immunditiis libero, poſteà ardente aqua lauo, deinde zuccaro probè puluerizato, illum aſpergo, deinde exiccari ſino in calidario, vel in furno mediocriter calido, deinde cùm exiccatus eſt in abſinthio inuoluo, ac conſeruo. BRAS. Cur potius in abſinthio quàm in alia herba? SEN. Quia ita conſuetum eſt in abſinthio conſeruare, ídque videtur abſinthij eſſe proprium. BRAS. Ob hoc fortè abſinthio includitur, quia tineæ abſinthiũ fugiunt, ac formicæ, ne ab illis corrodatur: tamen alter adeſt præparandi modus. SEN. Qui nam? BRAS. Pulmo accipitur, & per bronchia ac canales inciditur, & vino albo potenti odorato abluitur, ídque quinquies, aut ſexties fieri debet, & lotio vna ab alia vnius horæ ſpatio diſtet, in furnóq; exiccetur tepido, cùm primũ exiccatus eſt in abſinthio reſeruetur. nota prætereà

vinum quo abluitur calidũ esse oportere. SE. neq; iste aptandi modus mihi displicet, at reperitur ne apud antiquos, quòd vulpis pulmo, pulmonis affectibus conueniat? BRAS. Imò reperitur, nam Gal. in decimo de Simplicium medicamentorum facultatibus libro dicit, vulpinus pulmo, si bibatur resiccatus asthmaticos iuuat, & in libello de medicinis facile parabilibus ad Solonem scriptum est ad asthmaticos facere pulmonem vulpis siccatum & tritum, & vino nigro potui traditum, & Dioscorides de pulmonibus agens ait, quin etiam vulpis siccatus pulmo suspiriosis vtiliter bibitur. SEN. reperitur ne apud Galen. eiuscemodi genus linctus? BRAS. illum in hoc authore diligenter quæsiui, & nunquam inuenire potui, sed alia etiam sunt, quæ Mesue Galen. attribuit, cùm de illis ne quidem somniauerit. SEN. reperitur ne saltem apud alios antiquos? BRAS. nõ quòd inuenerim, licet vulpis pulmone nonnunquam vsi sint. SEN. quam igitur compositionem seruaturus sum? BRAS. illam Mesue in capit. de phthisi, quam Gale. attribuit, licet illã apud Gal. nũquàm inuenire potuerim. SEN. sunt ne aliæ apud pharmacopolas diuersitates? BRAS. nullas præter enarratas. SEN. putas ne magnã esse in hoc pulmone vim? BRAS.

pulm

pulmonem hunc haud magnifacio, neque ad ea quę dicuntur magnopere valere arbitror, ac alios ſequi volo vbi manifeſtum nō appareat in ægrotis nocumētum. veruntamen in eclegmatibus ſuperius dictis, primum ordinem hic tenet in imbecillitate, in ſecundo loco eſt linctus de pino, in tertio loco eſt linctus ſanus & expertus, in quarto verò loco eſt linctus de ſcilla.

SENEX.

Et hic eſt quod in meo ſequitur pharmacopolio linctū de pulmone vulpis. BRAS. quomodo conficis hunc de ſcilla linctum? SEN. vt Meſue conficit. BRAS. ipſe ait eſſe medicamētum magni iuuamenti illis quibus materia craſſa, glutinoſa, & difficilis maturationis exhuberat, in mēbris anhelitus reddens eam facilem ad expulſionem, & confert difficultati anhelitus & dolori pectoris, ac laterū, & quomodo illud conficis? SEN. vt author facit, videlicet.

℞. Succi ſcillæ

Mellis deſpumati

Singulorum partes æquales.

Miſce & decoquantur in formam linctus, & lambēdo accipiatur. BRAS. ita accipiendus eſt cùm affectus illos quos retuli quiſpiam patiatur, omniáque eclegmata, quæ pro thorace ſumuntur, ita ſunt delingenda,

ac in

ac in ore seruãda, quoad paulatim stillent, partim ad thoracẽ, partim ad ventriculum. SEN. Quomodo in thoracẽ descẽdere pote runt? BRAS. Pars aliqua omnino descẽdit, ad pulmones, si homo pronus iaceat, alia pars ad gulam tendit, quę etiam resudat ad thoracẽ. SEN. Quid intelligeres tu in hac cõpositione per hãc particulã partes conuenientes? BRAS. Idẽ intelligo ac si dixisset partes æquales, nam & in capite de scilla eclegma facit, ex succo scillæ ac melle, & in cap. de tussi humida loch refert de scilla sabor expertũ & efficax in humida tussi, cùm eiuscemodi materias ex pectore educat, & ex partibus conficit æqualibus, nam dicit.

℞. Succi scillæ
Mellis
Singulorum partes æquales.

Coquãtur quoad incrassentur, hoc indiciũ esse potest, quòd æquales partes recipiendæ sint. SEN. Id tibi credebã etiã si probare nõ esses enixus, & Auic. in quinto canone inquit loch de scilla, cõferẽs ad anhelitus difficultatẽ, & sputi, & dolori laterũ, & pectoris, sumãtur succus scillæ & mel despumatum, & coquãtur simul, & lambat de eo ante cibũ, & post cibũ. SEN. Arbitror esse vehemens medicamẽtũ. BRAS. Vehemẽtissimum est, potissimũ verò senibus præbetur, qui

qui anhelitus difficultate deprehẽsi sunt,& materia crassa ac glutinosa abundant.nam mirũ in modũ illã incidit, ac attenuat, & à Serapione in septimo tractatu scriptũ est, loch de cæpa scillæ conferens ad asthma,& anhelitus difficultatẽ. sumatur succus scillæ,& mel æquali mẽsura, & igne decoquatur, donec spissitudinẽ acquirat, & lãbatur ante cibũ,& post cibũ. ex his planũ tibi esse potest, quòd æquales partes mellis & succi sunt accipiẽdæ. SEN. Quãto spatio ante,& post cibũ sumi debet? BRAS. Vnius horæ spatio,tamẽ toto die sumi debet,pro singula vice cochlear nostrate,capite verò prono sinatur,vt paulatim descẽdat,ac tu quomodo scillę succum extrahis? SEN. Hoc modo, scillam accipio, & extimos cortices, ac intimam pelliculã eiicio, & vna intrinsecam partem quam venenum esse fatentur,simul cum abiectis pelliculis, postea in triticeæ farinæ pasta includo,vel siligineæ, vel hordeaceæ,neque lutum accipio vt quidam faciunt,quia sordities in scillam decidit,cum scilla in pasta inclusa est,illam in furnũ pono,& tãdiu desero, quoad pasta sit cocta, & sit effectus panis. BRAS. Calefacis ne vehemẽter furnũ? SEN. Tẽperatè calefieri iubeo. BRAS. Multo igitur tempore indigebit ad cocturã. SEN. Indigeat,quid refert? ego panis

nis cocturam expecto, imo in furnum poni iubeo, postquam arthocopi panē suum decoxerint, neq; amplius furnum calefieri iubeo, deinde à furno eximo, & scillæ laminas ita calidas in lapideo mortariolo, pistillo ligneo pinso, quo ad scilla probè pinsa sit, deinde in tenue linteū inuoluo, atque exprimo, itaq; succum colligo. ferro autem non vtor, quia vti venenum euadit. BRAS. curaui ego vulnera ense, qui scillam inciderat illata. vix poterāt vulnera ad cicatricem perduci. SEN. ego hoc aliâs audiui. BRAS. & verissimum est, puerum vidi qui scillam cultro incidebat, & qui eodem cultro pollicem in iunctura sibi percussit, víxque sanguis exiuit, verum ex hoc vuluere obiit. SEN. nunquam audiui, quòd interficeret. BRAS. hoc deinceps nunquam dicere poteris, sed eandem ob causam qua tu lutum non accipis pro scilla in furno coquenda, Actuarius luto etiam non est vsus in suo de cōpositione medicamētorum libro, vbi de scilliticis agit panibus, & inquit, scillā nouellam, non per quam magnā oportet circunlinire, non vt nonnulli luto (sordidum enim mihi & spurcū videtur) sed subactam polline (inassatur enim facile tenerrimus hic pollen) hactenus Actuarius. SEN. fieri ne potest vt non sint diuersi ac dissidentes

in hoc

in hoc linctu pharmacopolæ? BRAS. diuersi haud sunt, sed omnes eodem præcise modo parant. SEN. reperitur ne apud antiquos eiuscemodi linctus? BRAS. imo est antiquissimus, & apud Dioscoridem inuenitur, qui vbi de scilla agit, inquit, prodesse diuturnis tussibus, suspirosis trium obolorum pondere cum melle in eclegmate. en quomodo cum melle prębet in eclegmate, & nihil aliud addit, imo & ipsemet Dioscorides illam vel luto coquit, vel pane aliquo ob vehemētem illam quam habet acrimoniam. SEN. ne pigeat obsecro Dioscoridis modum referre. BRAS. ita dicit, crustā ex panificio, & opere pistorio aut luto inuoluitur, inuolutáque in furnū coniicitur, aut carbonibus obruitur, donec circūlita crusta illa abunde tosta sit. quòd si amota crusta illa, nondum cocta penitus scilla tenerior facta flaccescet, noua ex panificio, & pistorio opere crusta, aut luto circundata iterum cremabitur: quod enim sic cremata nō fuerit graui periculo præsertimq; interaneis, dabitur. SEN. ita vrere videtur, vt in puluerem deduci possit. nam secunda vice vrit, quādo tenerior facta flaccescit. BRAS. si torreatur vt in puluerē reduci possit, ex puluere & melle fiet linctus, tamē hoc Dioscorides nō sancit, quòd ita scilicet torreatur, vt

in puluerem deduci poſsit, veruntamen alios coquendi modos præbet. SEN. quos nam? illos etenim ſcire flagro. BRAS. Ita ſequitur Dioſcorides, torreantur hæc ipſa etiam in operculato fictili in furnum coniecta, ſumitur ex ea abiectis extimis cunctis partibus quod maximè intimum eſt, coquitur eadem conciſa etiam, effuſa priore aqua, nouáque ſuperinfuſa vſque dum neque amaritudo, neq; acrimonia in aqua ſentiatur, ſiccatur in vmbra etiam in taleolas ſecta ſcilla, cum funiculo traiecto, ſic ne taleolæ inuicem ſe tangant, per interualla ſuſpenditur, vtimúrque ſic ſecta & ſeruata ſcilla ad oleum, vinum, acetúmque, quæ à ſcilla ſcillitica nominãtur, hæc Dioſcorides. SEN. Et perpulchre, miror tamen cur Gale. de hoc medicamento mentionem non fecerit. BRAS. Quis te hoc edocuit? SEN. Tu ipſe qui Gale. non adducis. BRAS. Nondum erat tempus, nec præſtabatur occaſio, imo Gale. de hoc linctu mentionem facit, ſed ad ipſum conficiendum, neque ſcillam, neque mel coquebatur. SEN. Fortè neque Meſue coquebat, licet de aliquibus ſcillæ coctionibus loqueretur, vbi de illa agit: tunc enim cùm cocta eſt, non adeò vehementer agit. BRAS. Haud eſt lethalis error, ſi quis ita excogitauerit, quamuis

Dioſc

Dioſcorides dicat plurimos habere crematam vſus, & quòd non cremata graui periculo ſit & præſertim interaneis. SEN. Gale. locum (ni pigeat) mihi indicato, vt in eo authore præſentem linctum inuenire poſſim. BRAS. Eſt prope calcem ſeptimi libri de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, vbi inſcriptio eſt Aſclepiade pharmaca ad dyſentericos conſcripta, & refertur ad Antonium Muſam, ſcillæ crudæ (inquit) ſuccum exprimito, eíque parem mellis attici menſuram addito, & ad prunas admota coquito, dato inde ante & poſt cibum myſtri menſuram. SEN. Non poſſum non arbitrari ab hoc Galen. loco Meſuen accepiſſe. BRAS. Id fieri non poteſt, quia accipit ipſe deſpumatum mel quod à Galeno non accipitur, verum cùm de hoc ſatis dictũ eſſe videatur ad aliud linctuum genus accedito. SEN. Id ſtatim efficiam, ſi me hac ambiguitate leuabis, à te dictum eſt Galen. ſcillam non coxiſſe, neque mel, tamen verba quæ ex eo adduxiſti illa decoxiſſe oſtendunt. BRAS. Intelligebam ante mixtionem: neque ſcillam coquebat, nec mel, vt alij faciunt, ſed poſt mixtionem coquebat.

SENEX.

Loch igitur de papauere cùm mihi satisfactum sit, contemplemur. BRAS. illud est quod diapapauer etiam vocatur. SEN. illud prorsus, verum quibus conuenit affectibus? BRAS. Mesue ait ad calidam tussim conferre, & ad pectoris asperitatẽ, & ad illum cuius sputum tenue est, & maturatione indiget ac incrassatione, & febri calidæ conducit, atque pectoris dolori, & pleuritidi, at tu quomodo illud conficis? SEN. vt Mesuæ facit, videlicet.

℞. Papaueris albi ʒ xxv.
Amygd. dul.
Granorum pini
Gummi arabici
Tragacanthi
Succi glycyrhizæ
Singulorum ʒ x.
Amyli ʒ iiij.
Seminis portulacæ
Lactucæ
Cotoneorum
Singulorum ʒ iiij.
Croci ʒ j.
Penidiorum alborum ℥ iiij.

Syrupi de papauere quantum sufficit. syrupus verò hic propriè fit ex seminibus papaueris albi, & nigri, & seminibus, lactucæ

ac viol

ac violarum. BRAS. ſcito me in aliquibus antiquis codicibus ſcriptum reperiſſe, amyli ℥ iij. & non iiij. quibus maximè aſſentio. forte dices cùm hic ponat ſyrupum de papauere, cur addidit qui fit ex ſeminibus & reliqua quæ recẽſet ſyrupum ingredientia. SEN. Imo ambiguitatem facit, quod dixiſti, at dilui poteſt, quòd duas poſuerit ſyrupi de papauere deſcriptiones, vt illam recenſeret, de qua intelligeret, ſimplicia quæ ingrediuntur, enarrauit. BRA. at ego excuſationẽ tuã recipiendam non eſſe ſuadebo, quoniam & ſi duas referat ſyrupi de papauere compoſitiones, tamen nulla illarum hæc eſt, quæ ſola illa accipit, quæ hîc referuntur. SEN. verum profectò eſt, ac nos ſyrupum de papauere accipimus, qui in vſu eſt, & quem in noſtro ſeruamus pharmacopolio. BRAS. multas præterea habet ſyrupi de papauere deſcriptiones in ſua practica Meſue, tamen nulla eſt huic ſimilis, idcirco arbitrandũ eſt Meſuen intelligere linctũ hunc ex ſyrupo de papauere ita concinnato confici debere. SE. mihi autẽ dubitatio occurrit contra ea quæ dixiſti, quia Meſue diminutus videbitur, cũ nõ edocuerit in quo liquore ſimplicia illa ebulliri debeant, & an compoſitio ſit zuccaro vel melle conficienda. BRASS.

non mihi diſplicet & licet nonnunquam in neceſſariis ambigere, vt res ipſæ certius inueniantur, ac diſcutiantur, ex his ergo quæ à Meſue enumerata ſunt, ſyrupus confici debet, & quamuis non referat in quo liquore hæc ſint ebullienda, intelligendum eſt in aqua, & ex zuccaro potius fieri debere quam ex melle, cùm mel calidius ſit, nam fulgidum linctum parare intendit. SEN. Verum & alter eſſe videtur in compoſitione error. BRAS. Qui nam? SEN. Quia ſimplicium quantitatem non ediſſerit. BRAS. At facilè eſt quantitatem inuenire. nam per hunc ordinem, & his ſeruatis ponderibus confici debet.

℞. Capitum papauerum alborum cum ſeminibus, Nigrorum
Singulo um ℔ ſ.
Seminum lactucæ
Florum violarum
Singulorum ℥ j. ſ.

Bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ſecundum artem, hoc eſt donec ſint papauerum capita decocta, deinde exprimãtur, & cum duabus zuccari libris fiat ſyrupus, vel ex vna zuccari libra, & altera penidiorum, hic eſt ſyrupus, qui eclegma hoc de papauere ingreditur, alij tamẽ aliter conficiunt, ſed ineptè, & præter artem. SEN. Eſſet

ne exec

ne execrandus error, si quispiam hoc diapapauer ex alio conficeret syrupo? BRAS. Non seruaretur authoris intentio, qui ita fieri monet, tamen si cum communi de papauere syrupo conficeretur, haud magnifaciendum esset, neq; execrabilis esset error. SEN. Semper ex hoc confeci. BRA. Nec solus es, sed omnes hunc modũ sequũtur pharmacopolæ, tamen mihi potius arridet, vt authorũ vestigia sequamur, & cũ illorum compositiones facimus, illa imponamus, quæ ab ipsis scripta sunt, si quis verò alia compositione vti voluerit, hanc suo modo paret, & cum arte, & non sequatur authorem. SEN. Confecisti ne tu quandoq; diapàpauer? BRAS. In tenui materia à capite ad pulmones descendente, & præsertim salsuginea, cùm ægroti vexãtur, vt dormire nõ possint, hoc eclegma confici iussi, & optimè conduxit.

℞. Seminum peponum
Cucurbitæ
Cucumerum
Singulorum ℥ j.
Seminum papaueris ℥ j. ß.
Amyli
Gummi arabici Tragacanthi
Succi glycyrrhizæ
Singulorum ʒ iij.

Seminis hyoſcyami ʒ ij.
Nucleorum pineorum
Amygdalarum
Singulorum ʒ vj.
Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Singulorum ℈ j.
Roſarum rub.
Balauſtiarum
Singulorum ℈ ij.

Miſce cum zuccaro violato cando, ex ſucco violarum confecto, & iuleb violato eodem modo facto fiat eclegma ſecundum artem, quandoque addo opij grana quatuor. SEN. debet eſſe cœleſtis coloris zuccarum hoc candum violatum, & iuleb violatum, ex ſucco violarum confecta. BRAS. eo prorſus colore affectum eſt, ſomnum inducit eclegma hoc, tuſſem mitigat, & materiam hanc tenuem ingroſſat, neque illam ad pulmones deſcendere ſinit, imo craſſa redditа per ſputum emittitur. SEN. in quo affectu addis opium? BRAS. cùm homines in deſperata quadam ſunt inſomnia, vt nullo pacto dormire poſsint, confici iubeo quandoque ex papaueris albi recentibus capitibus in aqua ad vltimam conſumptionem ebullitis, & per linteũ expreſsis, poſtea hoc, quod è linteo deſcenderit collecto bolum armen

armenum addi iubeo, & zuccarum candidum violatũ ex ſucco violarũ & iuleb violatum.itaq; linctus cõficitur, qui tenui deſtillationi,& inſomnię ſumme prodeſt.nõnulli dicũt Meſue diapapauer eſſe frigidũ in primo ordine,& humidum. verũ hoc eſt ſupra ſecundum ordinem frigidum & humidum. SEN. iubes ne & papaueris cortices ebulliri? BRAS. Et cortices ipſos.nam capita recentia accipi iubeo,& in aquã imponi. SE.ad quam copiam? BRA.hoc nihil refert, ſint quotcunq; capita,& in quocunq; põdere.nam poſteaquàm expreſſum fuerit ex ſingula expreſſi vncia, boli armeni vnciam addo & zuccari violati ſemiunciam. de violato autem iuleb tantum appono, quantum ad corpus molle reddẽdum ſatis erit, nonnunquam verò tragacanthum addo, vt glutinoſius euadat , & cùm ſumitur diutius in ore permaneat.nam quanto magis in ore ſeruatur,& paulatim ſtillat, tanto magis prodeſt. SEN. habemus & in vſu Nicolai diapapauer,quod author dicit, hecticis, phthiſicis, ac nimium vigilantibus, mirificè prodeſſe. BRAS. illius authoris compoſitionem referto. SEN. iam refero.

℞. Succi glycyrhizæ
Tragacanthi
Gummi arabici

Singulorum ʒ x.
Se. papaueris albi
Penidiorum
Singulorum ʒ xx.
Amygd.dul.mundatarum ʒ x.
Amyli
Se.cotoneorum
Portulacæ
Singulorum ʒ v.
Se.melonis
Cucurbitæ
Cucumeris
Lactucæ
Maluæ
Singulorum ʒ viij.

Omnia hæc in puluerem redigantur, & cum ſyrupo violaceo vel ſapa conficiatur. BRAS. Pauci ſunt in hac vrbe, qui hoc ſeruent Nicolai diapapauer. SE. Ego ſemper ſeruaui, tamen nũquam audiui medicum, qui inter dicendum diceret. ℞. diapapaueris Nicolai, ſed omnes ſimpliciter, diapapauer vel loch de papauere indicant, & tũc illud Meſue præbeo. BRAS. Ergo in tua pyxide, in tuóve labello Nicolai diapapauer, quod prima vice confeciſti integrum eſſe debet. SE. Niſi pauperculis quandoque gratis errogaſſem, totum haberem, quod prima vice cõfeci. BRA. Iam vires amiſiſſe non

nō dubito, cùm nimis antiquum ſit. S E. Ob hoc illud abiicere ſtatui, & deinceps nō conficere. B R A S. Fruſtra eſt illud ſeruare, ſi nō indicitur & in vanum ſimplicia amittantur, quæ illud intrant, at bonum eſſe inficias haud ire poſſum, & vtile, at Meſue diapapauer potius probo. S E. Nos pharmacopolæ vocamus illud Meſue loch de papauere, & hoc Nicolai diapapauer. B R A S. Tamen vtrūq; eſt linctus vtrunq; eſt eclegma, vtrunq; eſt diapapauer, hoc eſt ex papauere confectum, vos autem vocabulis vtimini, vt vobis in mentem venit, at Meſue in capite illo vbi agit de medicinis frigidis ad tuſsim catarrhalem, tria refert diapapaueris genera. S E N. Poſteaquam nobis nihil aliud agendum eſt in præſentiarum, quàm de his linctuum generibus agere, optarem vt tria hæc genera referres. B R A S. Id libenter efficiam: primò inquit author, diapapauer ex inuentione noſtra conferens cum auxilio Dei ad tuſsim catarrhalem, recentem, & antiquam, & pectoris ægritudines maturat, & eſt mirabile.

℞. Papaueris ℥ xxx.
Glycyrrhizæ
Tragacanthi
Penidiarum
Singulorum ℥ xxx.

Gumm

Gummi arabici
Succi glyzyrhizæ
Farinæ fabarum
Fœniculi
Anisi
Se.lactucæ
Amyli
Se.portulacæ
Maluæ
Singulorum ʒ x.
Se.cucumeris
Melonis Cucurbitæ
Singulorum ʒ v.

Confice cum melle colato, aut cum penidijs & melle sing. quantum sufficit. dosis est aur. ij. SEN. iam vnum audiui Mesue diapapauer. ad alia te conferas. BRAS. Mesue iterum dicit, diapapauer ex inuentione nostra conferens cum auxilio Dei tussi catharrali recenti, & veteri, pectoris ægritudines maturat, & est mirabile.

℞. Papaueris ʒ xxx.
Gummi arabici
Succi glycyrhizæ
Tragacanthi
Penidiorum
Singulorum ʒ xxx.
Seminum fœniculi
Anisorum

Lactuc

Lactucæ
Maluæ
Singulorum ℥ x.
Seminum cucumeris
Cucurbitæ
Melonis
Singulorum ℥ v.

Confice cum melle colato aut cum penidiis & melle quantum sufficit. Dosis aur. ij.
SEN. referas & tertium, vt ad maiora progredi possimus. BRAS. istud non est ex inuentione Mesue. sed est Hamech filii Zachariæ, cuius iuuamentum (inquit) est sublime ad tussim catharralem cum caliditate & asperitate, & siti, & ad raucedines vocis, & ad pleuritim.

℞. Papaueris albi
Penidiorum
Singulorum ℥ xxv.
Succi glycyrhizæ
Tragacanthi
Gummi arabici
Singulorum ℥ xx.
Amygdalarum dulcium ℥ viij.
Amyli
Seminum cotoneorum
Portulacæ
Singulorum ℥ v.
Seminum cucumeris

Citruli
Melonis
Cucurbitæ
Lactucæ
Maluæ
Singulornm ʒ iij.

Tempera cum syrupoviolato. dosis eius ab aur. ij. vsq; ad vnciam semis cum aqua hordei decoctionis iuiubarum & sebesten, & si vigilias habeat cum eo quod mulgetur ex papaueris semine cum cortice suo, hæc sunt diapapaueris genera à Mesue descripta. SE. At in vsu non sunt. BRA. Minimè, nisi quispiam in vsum ducat, at potius laudo diapapauer illud quòd etiam ex Mesue conficis, & in tuo seruas pharmacopolio. SEN. Nónne adest, & apud Auicēnā loch de papauere? BRAS. Adest in quinto canone, summa prima, tractatu quinto. SEN. Quomodo ab Auicenna conficitur? BRA. Alio modo quàm à Mesue cōficiatur. nam ita dicit, loch de papauere conferens ad sanguinis per vomitū expulsionem, & ad calidam febrem, tussim, pectoris dolorem & pleuritim, cuius cōpositio hęc est.

℞. Rosarū rubearum ablatis capitibus
Gummi arabici
Singulorum ʒ ß.
Amyli triticei

Trag

Tragacanthi
Granorum papaueris
Singulorum ℥ ij.
Spodii
Croci
Singulorum ℥ ß.
Succi glycyrrhizæ ℥ ij.

Aggrega has medicinas tritas, & cribellatas quæ hac actione indigent,& cõfice cum triplicato,& repone in vase,& vtere quando necesse fuerit,& bibatur cũ tereniabin, aut decoctione hyssopi. SEN. Quid intelligendum est per hoc,& confice cum triplicato? BRAS. Aliqui intelligunt cum vino cocto,cuius tertia pars consumpta sit. SEN. Hoc quadrare nõ videtur,quia hoc triplicatum vocari non potest,sed potius est resolutum. BRA. Posset prorsus in hoc casu sumi sapa, & conueniret, at potius arbitror hîc verbum deficere,& legi oportere & confice cum triplicato iuleb violato, aut zuccaro violato, aut aliquo simili. SE. Ita esse non dubito,sed ad alia cõtemplanda accedamus. BRAS. Quid impedit te aliud proponere considerandum ex his, quæ in tuo sunt pharmacopolio?

SENEX.

In meo pharmacopolio, nullæ aliæ insunt compositiones, quæ sub nomine loch

comprehendi possent. at multa sunt quæ delingendo sumuntur. BRAS. omnia illa quæ pro thorace & pulmone conficiuntur in medium adducito præsertim si delingenda sint, quamuis non sint sub nomine loch imponenda, hoc est eo non sint insignita nomine. SEN. electuarium igitur pectorale in medium prosiliet. BRAS. & hoc linctus vocari potest, at quis est ipsius author? SEN. ignoro, sed illud habeo in meo libello scriptum, & cùm electuarium pectorale indicitur, illud præbeo. BRAS. vocatur & loch pectorale, & multi recentiores medici vocant illud loch pectorale, veruntamen conficiendi modum referto. SEN. iam refero.

℞. Succi caulium ℔ j.
bulliat & despumetur, postea adde croci ℥.ij.
Mellis
Zuccari
Singulorum ℔ ß.

Fiat loch secundum artem & vtere lambendo. BRAS. quidam reperiuntur, qui habent quidem electuaria pectoralia, at illa loch non vocant, neque electuaria, sed potius mixturas pectorales. SE. quo modo confectæ sunt? BRAS. isto.

℞. Zuccari violati

Boragi

Boraginati
Buglossati
Manuschristi violati
Singulorum ℥ iiij.
Dia iris ex zuccaro ℥ vj.
Penidiarum
Diatragacanthi
Singulorum ℥ vj.
Diacalamenthi
Loch de althæa
Singulorum ℥ ij.

Misce cum syrupo violato, & fiat mixtura, ac reseruetur. SEN. Ineptum videtur vocabulum, hāc cōpositionem appellare mixturam. BRAS. Imò ineptissimum. nam vnāquanque compositionem, mixturam esse nemo ignorat, in hac verò cōpositione, quæ prædura sunt, primò debent in puluerem redigi, posteà conseruis recipiēda sunt, denique omnia cum syrupo violato sunt miscenda. SEN. Magna est differētia inter electuarium pectorale quod conficio, & istud. BRAS. Non me latet, cùm dixeris te nescire cuius sit authoris id quod conficis pectorale electuarium, authorem tibi aperiā, reperitur apud Gordonium, & ab ipso vocatur loch de caulibus, licet tu electuarium pectorale voces. in nonnullis tamen pharmacopoliis hoc quod sequitur electuarium

pectorale conficitur.

℞. Althææ præparatæ ℔ j.
Enulæ ℔ ij.
Hyſſopi
Gariophyllorum
Cinnamomi
Singulorum ℥ j.
Glycyrrhizæ raſæ ℥ ij.
Origani ℥ ſ.
Crocci ʒ j.

Althæa primo coquatur & enula optimè, & ſingula per ſe piſtentur, & fiat electuarium ſecundum artem, quo lambendo vtaris. S E. Vidi apud non paucos pharmacopolas iſtud confici.

℞. Penidiarum
Diatragacanthi
Singulorum ℔ ſ.

Miſce & cum iuleb violato fiat loch, aliqui ſunt, qui confectum ſeruant, & alij tunc faciunt cùm electuarium pectorale indicitur. BRASSA. Alij verò ſunt, qui ita conficiunt.

℞. Penidiarum
Zuccari candi violati
Diatragacanthi
Singulorum partes æquales.

Iuleb violati quãtum ſufficit, miſce & fiat eclegma, aliqui miſcent cum ſyrupo de glycyrrhiza

cyrrhiza, at ego diuersa præparari iubeo pectoralia eclegmata, vt conuenit ac contingit. nam in pleuritidis initio cùm nihil expuitur, & materia est penitus cruda ex iuleb violato, & zuccaro cando violato eclegma confici iubeo, postea syrupum de capillis veneris addo, & deinde penidia, postea diapenidia, & si materia sit partim crassa, partim tenuis, ita confici moneo.

℞. Diapenidiarum
Diatragacanthi
Singulorum ℥ j.

Cum syrupo de capillis veneris fiat linctus, vel cum syrupo de hyssopo, si crassa materia superet. si verò tenuis superet, cum violaceo, & plus addo de penidiis si sit crassa & multa materia, si verò sit tenuis, & in copia plus addo de diatragacantho, itaq; vario vt ei conuenit, qui affectus est, & materiæ expuendæ. nam ipsa est quæ augere, & minuere facit illa quæ compositionem ingrediuntur. SE. In materia crassa attenuãda quando magis augere volueris, quomodo incedes? BRAS. Post penidia, & diapenidia, loch de pino indico, cum syrupo de capil. vene. deinde loch sanũ accipi iubeo, postea diairidẽ, deinde loch de scylla, hísq; addo vt in linctus formã coniiciantur, syrupum de hyssopo primùm, deinde syrupum

de prasio, posteà oxymeli compositum, denique oxymeli scilliticum, itaq; per ordinem incedo. SEN. In materia verò tenui quem ordinem seruas? BRAS. Id tibi explicabo cùm omnia linctuum genera enodauerimus.

SENEX.

Nunc sequitur diatragacanthum. BRAS. Et si sub linctus nomine positum non sit, tamen cùm lambendo sumatur, & in ore seruando, vt hæ materiæ quæ in thorace sunt expuantur, idcirco ab re non erit, de illo in præsentiarum tractare, túque probè fecisti, cùm illud huc adduxeris, at cùm duplex sit diatragacanthum, calidum scilicet & frigidũ, de quo intelligis? SE. Cùm simpliciter profertur diatragacanthum, frigidum semper intelligitur, & cùm quispiam simpliciter petit diatragacanthum, illi semper frigidum præbeo, imò si calidum porrigere voluerim id efficere nequirem, quia neq; illud seruo, neq; vnquã seruaui. BRAS. At à quo authore frigidum accepisti? SEN. A' Nicolao, qui ait diatragacanthum à tragacantho nomen accepisse, & addit sanare omne pectoris vitiũ & pulmonis, quod ex caliditate fit & siccitate, præsertim phthisicis, hecticis, pleuriticis, & peripneumonicis, & addit valere ad omnem tussem quæ

ex cal

ex caliditate fit, vel ſiccitate, & ad omnem linguæ ac gutturis aſperitatem. cùm verò ſumitur tam diu in ore ſeruetur, quòd diſſoluatur. BRAS. Compoſitiones referto, nã præter ea, quæ ab authore ſcripta ſunt, ſcio tenuibus materiebus multum proficere, quæ incraſſari debent. SEN. A' Nicolao ita paratur.

℞. Tragacanthi albi ℥ ij.
Gummi arabici albi ℥ j. ʒ ij.
Amyli ℥ ß.
Glycyrrhizæ mundæ ʒ ij.
Seminum melonum
Citrulorum
Cucurbitæ
Cucumeris
Singulorum ʒ ij.
Penidiorum ℥ iij.
Camphoræ ℈ ß.

Syrupi violati, quòd ſufficit. BRAS. Quomodo hęc ſimul miſcet, vt compoſitio fiat? SE. Ita ait, ſemina cum aqua ponãtur ſupra zuccarum, tantáque ſit aquæ copia, vt zuccarum tegi poſsit, & bulliant vſq; ad aquæ conſumptionem, poſteà per rariſsimum pannum percolentur, & deinde quod percolatum eſt, ad ſyrupi decoctionem ac conſiſtentiam coquatur, poſteà fundatur in mortario aromatum pulueres bene miſcẽ-

do. BRAS. Hoc modo conficiendum eſt. primò tragacāthum ſeorſum in puluerem redigendum,& non cum aliis diutina indiget confuſione,priuſquam in puluerem redactum ſic.nam ſi aliis miſceretur,antequā eſſet tuſum, & cōtenderemus in puluerem omnia ſimul redigere, alia in tam tenuem pollinem redigerentur, quòd per aërem aduolarent,tragacantho igitur ſeorſum in puluerem redacto,& alia in puluerem redigantur,quæ redigi debent, ſemina deinde à ſuis corticibus liberanda ſunt,deinde fiat ſyrupus vt ipſe dicit, at aduertendum ne nimis coquatur. nam tunc pulueres recipere non poſſet. SEN. Nonnullos vidi,qui hunc ſyrupum clarificabant. BRAS. Ob quam rem? SE. Vt tragacāthum magis album efficeretur. BRAS. At poſteà eſt minus efficax,in ſyrupum primò ponatur tragacanthi puluis,deinde alij pulueres ſequātur probè ſemper commiſcendo, ſcitóque gummi genera in violarum aqua ſolui debere,& in puluerem minimè cōteri, & hoc eſt in omni compoſitione ſeruandum.nam ex hac tractatione magis album efficitur, neque illud faciendum,quod aliqui faciūt, qui pro ſingula puluerem vncia zuccari libram commiſcent. at pro ſingulis tribus puluerem vnciis,vna zuccari libra miſceatur

tur

tur, omniáque probè commiſta in placentulas vel in morſellos redigantur. SENEX. In quo loco apud Galenum ſyrupus albus reperitur Nicolai. BRAS. Cur hoc petis? SEN. Quia quòd dixi ſyrupus violaceus, in de compoſitionibus, & in multis codicibus ita ſcriptum eſt, ſyrupi albi Galen. authoréſque exponunt, id eſt iuleb violati, nonnulli verò dicunt, ſyrupi albi, id eſt ſyrupi violati. BRAS. In meis Nicolai codicibus, non legitur ſyrupi albi Gal. ſed ſimpliciter ſyrupi violati, tamẽ quia multi codices ita habent, videlicet, ſyrupi albi Galeni dicimus apud Galenum non inueniri ſyrupum album, ne dum hoc nomen ſyrupus, at apud ipſum legitur ius album, quòd huic compoſitioni minimè cõueniret, neq; Gal. cognitionem habuit iuleborum vel ſyruporum, vt noſtra hac ætate conficiuntur, & quia nonnulli dicunt Galenum per hunc ſyrupum iuleb ſimplex intellexiſſe, ex aqua, & zuccaro confectum, nos iſtis dicimus Galenum non cognouiſſe zuccarum quo nos vtimur, ex cannis excoctũ, cognouit tamen ſaccharum, quòd ſupra cannas æſtiuo tempore concreſcit, at hoc non eſt noſtrum vocatum zuccarum, ſyrupus igitur violaceus deſumendus eſt. SENEX. En ad quantam malitiam deuenere ho-

mines,vt hoc etiam diatragacanthum adul terare nitantur. BRAS. Quo illud adulteratur? SE. Amyli puluerem in magna copia adiiciunt,& pulueres alios ſubtrahunt. BRAS. Hos ego ſtatim ſuſpendi iuberem, quia ſi in re tam parui momẽti, & minimi lucri adulterium faciunt,ambigẽdum non eſt, in rebus maioris momẽti & amplioris lucri eſſe adulteria cõmiſſuros. SE. Nemo ambigere debet. BRAS. Si quempiam noſcis, qui hoc exerceat mihi indicato: nam primus erit quem puniri faciam,ob errore quos in compoſitionibus cõmittunt pharmacopolæ. SE. Si mihi quiſpiam occurrat adeò impius,illum protinus detegam,& vt à vitiis ſuis emendetur, atque expurgetur, tibi indicabo. BRAS. Huic illud boni præſtabis, quòd admonitus deinceps cauebit, ne huius generis errores committat. SEN. Sed peſsimus huius ſceleſtis animus nunquam corrigetur,erit hic bonus,vel ſaltem non malus formidine pœnæ, non autẽ virtutis amore. BRAS. Tibi iureiurando affirmo, ſi tres aut quatuor huius generis errores,vel potius excogitata adulteria, in aliquo inuenirem pharmacopolio, me illum è pharmacopolarum albo eſſe eiecturum, vt nunquam deinceps in noſtra hac alma vrbe artem exerceat,& ſi adulterium in catarthi

tarthicis sit medicamentis, præter annotatam punitionem, tercentis etiam mulctabitur scuris. nam illorum nulla ratio habenda est, qui ob paruum lucellum homines sponte necare volunt. SEN. Nulla est tam sæua punitio, qua hi improbi ac scelesti puniri non debeant, ad rem verò redeamus, nam diatragacanthum calidum sequitur contemplandum. BRAS. A' quo authore desumitur? SEN. A' Nicolao vt arbitror. BRAS. In Nicolai codicibus haud inuenitur. SEN. Cuius ergo authoris est? BRAS. Hoc diatragacanthum non legi, nisi apud quempiam ex recẽtioribus, quorum libri nunc vix leguntur. SEN. Quinam est hic author? BRAS. Gilibertus vocatur, qui in sua Praxi, in capitulo de thoracis strictura diatragacanthum calidum descripsit, quòd ad frigidi differentiam ita nuncupatum esse constat, hoc verò ita confici monet.

℞. Tragacanthi in sufficienti aqua temperati ℥ iij.
Hyssopi ℥ j. ʒ ij.
Cinnamomi ℥ ß.
Gingiberis ʒ ij.
Glycyrrhizæ
Succi glycyrrhizæ
Singulorum ʒ j. & G̃ xv.

 Confice

Confice cum calamento tragacanthum & sufficienti melle, & lento igne ad spissitudinem decoques, posteà ab igne deponito, pulueres addito ac vsui reseruato, & ad castaneæ quantitatem præbeto. SEN. Ego in meo pharmacopolio semel tantum in cuiuspiam medici gratiam confeci, & semel, aut bis tantum vendidi. BRAS. Nec immeritò, quia cùm valeat (vt ferunt) ad asthmaticos, hæmoptoicos, anhelosos, suspiriosos, peripneumonicos, pleuriticos, & ad omnẽ pectoris coarctationem, ac ventriculum roboret, & concoctionem adiuuet, & tussientibus conueniat ob frigidam pituitam quã eiicere non possunt, miror cur tragacanthum recipiat, quod adstringit, coagulat, & expuere non sinit. nam eius officium est incrassare id quod tenue est. non autẽ quòd crassum est attenuare. SE. Fortè ponitur ad adstringenda simplicia, vt forma in qua fit perficiatur. BRAS. Nimia est tragacanthi copia, si compositionem ad hunc finem ingrederetur. SE. Noui pharmacopolas nonnullos, qui plus etiam addunt in eorũ compositionibus tragacãthi. ita enim cõficiũt.

℞. Tragacanthi triduo in aqua temperati ℔ j.

Hyssopi

Pineorum

Amygd. mundatarum
Singulorum ℥ iij.
Seminis fœnugræci
Cinnamomi
Singulorum ʒ ij.
Seminis lini vſti ℥ iij.
Gingiberis
Glycyrrhizæ raſæ
Succi glycyrrhizæ
Singulorum ℥ j.

Pulverizentur tenuiter, quæ in pulverem redigenda ſunt, & quæ conterenda ſunt, contritioni mandentur, poſtea hoc modo conficiatur. tragacãthum in aqua infuſum, per linteolum extorquẽdo excerne, & cum libris duabus, & vnciis octo mellis cocti vſque ad ſpiſsitudinem, lento igne rudicula ſemper agitando miſceto, deinde nuclei pinei, amygdalæ, lini ſemina & fœnugræcum addantur, poſtea ab igne deponatur, & ſupraſcriptorum aromatum pulvis addatur vſuíque reſeruetur. BRAS. Eſt longè diuerſa ab illa quã retuli, & in ſimplicibus, & in ponderibus eiuſcemodi compoſitio, & ſi diatragacanthum calidum eſſet conficiendum, ac ſeruandum hoc proculdubio eſſet, niſi tantam tragacanthi copiam reciperet. nam huius compoſitionis intẽtio eſt attenuandi ac aperiendi, tragacanthum vero aſtr

ro aſtringit, & incraſſat. SEN. Prætermittam igitur. BRAS. Prætermittito, cùm alij adſunt ſuperius dicti linctus ad eoſdem affectus, valentius facientes, interim verò alia contemplemur.

SENEX.

Neſcio an diairidẽ huc afferre debeam. BRAS. Quam ob rem? SEN. Quia in linctuum genere eſſe nõ videtur. BRAS. Imò & lingendo ſumitur, & thoraci conuenit, ab re verò non eſt, ſi de eo agamus, cùm ſit compoſitio, quæ ad thoracis affectus conuenit, nam vt Nicolaus inquit, dyſpneis prodeſt, arteriacis, tuſsientibus, vocem deperditã reſtaurat, ſi ex frigiditate ſit. SEN. Hi omnes ſunt & thoracis, & ipſius partiũ affectus. BRAS. Ob hoc de illo tractare conuenit, at compoſitionem referto. SEN. Notandum primò reperiri diairidem ex melle, & diairidem ex zuccaro. BRAS. In his nulla alia differẽtia eſſe debet, quàm quòd vnum recipiat mel, & aliud zuccarum. SEN. Imò multũ differunt. BRAS. Vtrunque igitur referto, vt quomodo differant, contemplari poſsimus. SEN. Nicolaus diairim ex melle ita conficit.

℞. Iridis ℥ j.
Polij
Hyſſopi

Glycyrrhizæ
Singulorum ℥ vj.
Tragacanthi
Amygdalarum
Pineorum
Cinnamomi
Gingiberis.
Piperis.
Singulorum ℥ iij.
Caricarum.
Carnium dactylorum
Passularum mundatarum
Singulorum ℥ iij. ß.
Styracis rubræ ℥ ij. ℈ j.

Mel quod sufficit. sumatur vesperi cum vino calido. BRAS. Ego vnaquaq; hora præbeo, & perficit semper, & præsertim cùm crassas materias quę in thorace sunt expuere oportet. SEN. Tu ergo eo vteris ac si sit linctus? BRAS. Et quid est aliud quam linctus, qui lambendo sumi debet? notáque & si dicat sumi cum vino calido, hoc faciendum esse intelligit, posteaquam fuerit eliquatum, & descenderit. SEN. Amarum esse debet. BRAS. Ob quam rem? SEN. Quia iridem recipit. BRAS. At radix illa non est vehementer amara, tótq; adsunt dulcia, vt maiorem extinguerēt amaritudinē, quàm sit illa iridis, veruntamen hoc diairis quod

ex Nic.

ex Nicolao adduxisti, ex melle confectum est, nunc illud adducito, quòd ex zuccaro fit. SEN. Id ita conficio, zuccarum depuratum, ac clarificatum, & ad debitam coctu-ram percoctum accipio, & cùm infrigidatum fuerit, puluerem radicis iridis ad debitam quantitatem commisceo, & in vocatis morsellis confectionem facio. BRAS. Illa igitur non recipit, quæ in diairide cum melle sumuntur? SEN. Non recipit, & hoc est, quòd perenniter vendo. BRAS. Iuberem vt omnia adderentur, & in solidiorem formam ex zuccaro redigeretur. SEN. Ita deinceps efficiam. BRAS. Quantam mellis copiam id recipit quòd cum melle est? SEN. A' libra vna & semis vsque ad duas. BRAS. Nonnulli verò sunt, qui in Nicolai compositione tragacanthum accipiunt, & amygdalas ac reliqua in hoc ordine ad vncias tres. SEN. Hoc absurdum videtur, quia reliqua nimis superarent. BRAS. Arbitror ego compositionē quam adduxisti esse exquisitè illam Nicolai. aliqui prætereà sunt, qui vbi legitur caricarum, dactylorum, passularum singulorũ drachmas tres, & semis, legũt drachmas quatuor & semis. SEN. Hic est mitior error, verùm reperiturne apud antiquos eiuscemodi diairis? BRAS. Si antiquus est Nicolaus Alexandrinus

drinus apud antiquos inuenitur, quia apud ipſum eſt, imò Nicolaus propoſitus ab Alexandrino accepiſſe videtur, quia eiſdem ferè vtitur verbis. nam dicit, diairis, dicitur ab iride, & prodeſt dyſpnoicis, arteriacis, tuſsientibus, vocem perditam reſtaurat, ſi ex frigiditate fuerint. duodecima pars eſt libræ tres, ita verò conficit.

℞. Radicis iridis ℥ j.
Pulegij
Hyſſopi
Glycyrrhizæ
Singulorum ʒ vj.
Tragacanthi
Amygdalarum
Pineorum
Cinnamomi
Gingiberis
Piperis
Singulorum ʒ iij.
Caricarum
Carnium dactylorum
Paſſularum enucleatarum
Singulorum ʒ iij. ſ.
Styracis rubri ʒ ij. ℈ j.

Mellis quod ſufficit, ſumatur veſperi cum vino calido. SEN. Eadem prorſus eſt compoſitio cum illa, quam adduxi. BRAS. Nónne tibi dixi propoſitũ ab Alexandrino

accep

accepisse? SEN. At in alijs compositionibus aliquo modo differre videtur, in hac verò nihil discrepat. nam neque vna syllaba in vna est compositione, quæ in alia non sit. BRAS. Nota prętereà vbi dicit styracis rubri, aliquos addidisse styracis liquidæ sub eodem pondere, videlicet drachmas duas & semis. SEN. Putas ne hoc esse addendum? BRAS. Siue addatur, siue non addatur, haud magnifacio, tamẽ in maiori parte codicum non adest, cùm verò de diairide satis dictum sit, ad alia te conuertito.

SENEX.

Nescio an in hunc ordinem referendum sit diacodium. BRAS. Inferendum, quoniam inter linctus genera numeratur, sed hoc erit apud antiquos tam diuersum, vt à Galeno multa ipsius genera referantur, in libro de compositione medicamentorum secundum locos. veruntamen cùm de ipso plene tractaturi simus, ab illo incipiamus, quod tu paras & in pharmacopolio seruas. SEN. Ego Nicolai diacodion sequor, & hoc modo conficio.

℞. Capita papauerum nõ nimis viridium nec nimis exiccatorum numero xij.
Rosarum ʒ. ij. ß.
Croci
Acaciæ

Glyc

Glycyrrhizæ
Singulorum ʒ j.
Boli ℥ ß
Cinnamomi
Symphyti
Hypociſtidis
Balauſtiarum
Singulorum ʒ j.
Myrtillorum ℥ j
Corallorum rubrorum, alborum
Sumachiorum
Sanguinis draconis
Laccæ
Roris ſyriaci
Singulorum ℈ ij.
Seminis portulacæ ʒ ß

Ita verò conficiatur, papauerum capita in tantundem aquæ pluuialis imponantur, vt bene tegantur, hícque per tres dies dimittantur, & in eadem aqua vſque ad tertiam partem bulliant, poſtea colentur, & in hoc quod decoctum eſt, libra vna & ſemis mellis myrtini imponatur, in quo melle, quæ præſcripta ſunt admiſceantur. & ſi fortè quiſpiam ignoraret, quomodo myrtinum mel conficiatur, ſtatim Nicolaus quomodo fiat edocet, cùm dicit confectio mellis myrtini talis eſt, in duabus deſpumati mellis libris libra vna ſucci myrtillorum

imponatur, & ad ſucci cõſumptionem per-
coquatur, poſtea colatur. quantitas ſumen-
da eſt à drachmis quatuor ad ſex. BRAS.
Nihil plus addit Nicolaus, vt tu adduxiſti.
SEN. Et ego Nicolaũ ſequor. BRAS. Cur
potius Meſuen nõ ſequeris in compoſitio-
ne illa, quam vocat ſua lingua diaiacur, quę
græcè diacodion eſt? SEN. Ita didici à præ-
ceptore meo, & cùm à medicis diacodion
indicitur, ſemper hoc præbui, impræſen-
tiarum præbeo, & in poſterum præbebo,
niſi melius fuerim admonitus. BRAS. Ta-
men cùm antiquorũ compoſitiones haberi
poſſunt, nunquam probo, vt illæ deferan-
tur, & nouæ quædam introducantur. nam
illæ quæ ab antiquis ſcriptæ ſunt, per lon-
gam experiẽtiam comprobatæ ſunt. at no-
uæ compoſitiones, nondum certa iudicia
habere potuerũt. SEN. In hoc tecum facio,
ſed ego ſum id ſemper ſecutus, quod à pue-
ritia didici, ac imbibi, neque vllus ad hoc,
neq; tempus me admonuit, gaudeóq; non-
dum periiſſe vt diacodij compoſitionẽ con
ficere addiſcam. BRAS. Si de diacodio, o-
mnia quæ dici poſſunt referre tentarem,
dies prius deficeret, quàm ipſa compoſitio-
nis diacodij materia, idcirco dicendum eſt
diacodion, variis modis confici debere, vt
variæ ſunt intẽtiones, ad quas eo vti volue-
rimus

rimus, hæ verò diuersitates à Galeno docentur, in septimo de compositione medicamentorum secũdum locos, capite secundo, in quo loco cùm multas diacodij compositiones attulisset, denique propriam diacodij compositionem describit, notat nos ita vti debere sua compositione vt ipse illam composuit. SEN. At quomodo illam composuit? BRAS. Audito, arbitratur illam esse præstantiorem compositionem, in qua ad vnum aquæ sextarium, decem papaueris capita iniiciuntur, vt à Critone scriptum est, aut ad duos sextarios quindecim capita vt Soranus dixit, medium deinceps inuenit inter horum duorũ authorum sententias, quando octo aut nouem capita in vnum sextarium coniecerimus, neque præmacerat Gale. papaueris capita ad triduum vt Hæras faciebat, neque etiam statim collecta capita coquit. sed si humidiora sint, & meliora ad vnum diem, nocte etiam subintellecta, si etiam duriora & sicciora sint, longiori tempore macerat, idcirco nondum indurata accipere oportet, & valde mollia abiicienda sunt, & sicciora modicum succum habent, humectiora verò crassum quidem. sed crudum adhuc, & aquosum ac debilem, vt illa fugienda sint capita, quæ ex humidis, & pal-

lustribus locis affecta sunt, numerus verò iuxta aquæ proportionem iniiciendus est, de mediocribúsque intelligito capitibus, nam aliqua sunt moderatis maiora aliqua minora, alia inter hæc mediocria, ex his prædictum numerũ ad sextarium coniicere oportet, cocturæque terminus non sit, vt tertia pars, aut quarta aut aliqua talis pars aquę fiat reliqua, verum vbi primum in totum flaccida fuerint facta, cur verò flaccida esse debeãt, ratio à Galeno assignatur, quia succum expressurus est, quod facile fiet ipsis flaccidis effectis, diutius coquere iudicat superuacuum, huic succo mellis dimidiam mensuram commiscet, & lento igne coquit, ad attici mellis compagem. at quia nonnulli in pluuia aqua primam cocturam fecere, ne videlicet ipsa ad aliquam putredinosam qualitatem permutetur, idcirco addit & fontanam sufficere, pluuiosa non præsente, aquam verò non probat, quæ per plumbeos canales percurrit, quia nonnihil ex plumbo in ea continetur, & ideo, qui eiusmodi aquæ fęcem bibunt, dysenteriam incidunt. hæc est diacodij compositio Galeni. SEN. Parum differt ab illa Mesue in simplici compositione diacodij, priusquam adstringentia simplicia illi addantur. BRAS. Imò Mesue integram Galen.

compoſi

compoſitionem afferre debebat, quia illam ſe relaturum ſpopondit. SEN. Quinam eſt huius compoſitionis vſus? BRAS. Multiplex eſt, qui tam plane à Galeno deſcriptus eſt, vt eius verba tantum audire indigeamus. Datur his (inquit) qui ſomno opus habent, quibus plerunque etiam cogimur dare illa, quæ opium receperint, his præberi debet, qui tenuem habent, à capite ad aſperam arteriam deſtillationem, & ob ſequẽtem tuſsim dormire haud permittuntur. at Galen. pro his ex ſapa diacodion parat, túncque ait, ad huiuſmodi ſufficientem coctu ram eſſe, vbi papaueris capita ad aquæ medietatem fuerint decocta, imò addit, quod per paſſum, & theræum creticum melius eſt, quàm per mel cocturam fieri, vbi fluxus valde tenuis extiterit. nam non latebat Galenũ attenuantis facultatis eſſe mel, propterea tunc fugiendum, quia tenues fluxiones auget, admiſcet etiam dulcem radicem huic pharmaco, dum coquitur, & ſi abfuerit, eius ſuccum iniicit, qui de Creta aſportatur, ſi circa pulmonem adſit deſtillationis copia, quæ à capite deſcenderit confectionem ex melle, aptiorem eſſe dicit, ſicuti indigentibus ſomno illa quæ ex ſapa conſtat, his etiam qui indigent reiectio-

ne per ſputum, compoſitio quæ recipit mel eſt commodior, ſi æger ſomnum capere voluerit, diacodion accipiat, aut ex melle conditum, aut quod citra mel eſt apparatũ, ſi quandoque aliquid vrgeat, vt vtraque permixta ſint ex eo plus pone quòd magis vrget, notátque Galen. id vrgere magis, quod maiori auxilio opus habet, & ſi petas in quanta copia præbeatur, inquit datur commoderata menſura duorum cochleariorum ſatis magnorum copia, debet verò eiuſcemodi copia augeri, & minui iuxta corporis magnitudinem eius qui ſumere debet, & ætas conſideranda eſt, & anni tempus ac regio. nam in his omnibus frigidioribus minimum dandum, calidioribus amplius. adde deſtillationis reſpectũ ſuadere an plus, an minus ſit exhibendum. hæc eſt diacodij Galen. compoſitio, & mutatio, quam in ipſa facit. SEN. Scire optarẽ & illa diacodionis genera quę apud antiquos erant in vſu. BRASS. Nimis prolixum eſſet referre. SEN. Quid aliud acturi ſumus, quam iſtud? BRAS. Audito igitur, hæc, quam referam antiquiſsima fuit, & vſitatiſsima diacodij compoſitio, in qua tamen (vt Galen. notat) multum differebant. nam aliqui ad centum viginti papaueris capita aquæ ſextarios viginti infund

fundebant, vt vnumquodque ſextarium ſex papaueris capita reciperet, alij verò in octuaginta aquæ ſextaria octingenta papaueris capita infundebant, vt ſinguli ſextarij capita decem acciperent, nonnulli in vno aquæ ſextario, octo papaueris capita imponebant, alij (quos Galenus reprehendit) in aquæ ſextarios tres octuaginta papaueris capita imponebant. Alij (quos vehementius reprehendit) in tres aquæ ſextarios centum viginti papaueris capita imponebant. SEN. Si hoc erat commune, quæ poſtea erant propria authorum diacodia? BRASSA. Andromachus mille ducenta viridia papaueris capita ſumebat, poſtea pluuiam aquam indebat, neque ponit (vt Galenus refert) quantitatem. SEN. At quam aquæ quantitatem Andromachum poſuiſſe arbitraris? BRA. Tantam poſuiſſe arbitror quanta papaueris capita tegerentur, & ebullire poſſent. Crito autem hoc modo compoſuit, capita papaueris agreſtis octingenta, aquæ ſextarios octuaginta ad tertias coquito, & exprimito, & decem mellis libras adiicito. SEN. Hoc eſt ſimplicisſimum diacodion. BRAS. Simplicisſimum quidem, ſed nonnunquam compoſitum efficiebat Crito, cùm addebat.

Croci
Myrrhæ
Succi hypociſtidis
Singulorum ʒ xij.
Thuris ʒ vj.
Acaciæ ʒ xij.

Galenus tamen ſimpliciſsima vſus eſt compoſitione,& non iſta compoſita. SEN. Alia proſequaris obſecro. BRAS. Heras ita conficiebat diacodion,capita papaueris viridia centum viginti,aquæ pluuiæ ſextaria tria, triduo macerentur,poſtea ad tertias coquito,& exprimito,& addito mellis ſextario, in duplici vaſe coquito,&,cùm ſpiſſari cœperit,adde acaciæ ruffæ ʒ j. ſucci hypociſtidis ʒ j. at cum capita in aqua ponebantur,vna croci drachma in linteolo poſita, ſimul erat ebulliēda.quidam addunt myrrhæ ʒ j. quam cum modico paſſo terunt, poſtea quoad ſpiſſeſcat percoquunt, à Galenóque notatur,ſi cùm mel apponitur, nihil aliud addatur,eſſe diacodion non medicamentarium. SEN. Fuit pauca aquæ quantitas illa quàm hic author accepit. BRASSA.Galenus etiam idem iudicauit, verum Democrates in libro Philiatrus inſcripto,id eſt,rerum medicarum ſtudioſus, Themiſonis diacodion refert, ab eodem authore inuentum,& in metris confectum.

SEN. Et hæc carmina lubentissimè audirem. BRAS. Audies si aures accommodabis, nam ita cecinit.

Papaueris quòd nominant ipsi agricolæ
Agreste, nam spontaneum est, nec conseritur,
Capita virentia, & recentia, integra,
Semen rubrum, nondum nigrum gerentia
Decem quatuor centúmq; magnitudinis
Mediocris in nouam ollulam atq; amplā indito,
Infunde tres pluuia de aqua sextarios,
Macerato in his totam diem noctem simul,
Dein coquito lento igne, ac diutiuscule, &
Omnem liquorem expressum in ollam excipito,
Et mellis attici libras tres addito.
Rursúsq; lenem ad flammulam decoquito
Dum mellis haud fiat liquidi bona compages,
Mox frigefacta in vitreum vas condito,
Sic nos quidem, ac Themison primus, qui perdidit
Vsum, addidit myrrham, acaciam, & rubens crocum, &
Hypocistidis succum, ast ea obsoleta iam.
Simplex enim parata commodissima est
Iocunda valde lenis atque viribus
Ex hac datur mystri minuti quantitas
In noctem aliquando plus, minus rursus diem,
Vt tempore pauco in ore hanc sic detineat
Iussus liquentem sensim, ita post vt deuoret

Quòd si nolles aluum morandi gratia, &
Sistatur vt pulmonis & stomachi fluor,
Eruptióq; sanguinis septum supra
Facere, eupatoricæ, aut tu potius hinc ponticæ
Addes, rhois succi, simul drachmas duas
Tantundem & acaciæ bonæ, non veteris, &
Auferre iam volens ab igne pharmacum
Diluta passo ambo hæc simul confundito
Paulatim, adhuc feruentibus in ollula,
Quo ferueant parum simul, mox vasculo
Refrigerata indantur, inde vitreo.

SE. Gestio animo cũ medicamẽta audio carminibus composita. BRA. Hoc boni habẽt quòd in ipsis simpliciũ põdera facilè variari nõ possunt. nam minima quæq; mutatio carmẽ deprauare potest, adde facilius posse memoria cõmendari. SE. Alia prosequaris. BRA. Adest & Sorani diacodiõ, ab ipso authore ita cõfectũ. ℞. Capita papaueris numero centũ quinquaginta, aquæ sextarios viginti, in lebetẽ nouũ cõiecta ad dimidias coquito, & reiectis capitibus mellis sextarium vnum addito, postea vero.

Myrrhæ
Croci
Hyppocistidis
Succi acaciæ
Singulorum ʒ j. obolos iij.

Lint

Linteolo illigato, & in lebetem suspendito, quo simul cum melle coquantur, postquam verò crassescere inceperit, fasciculum colligatum tollito, & in mortarium coniectum, cum pasſi cyathis tribus terito, indéq; in lebetem coniectum lente simul donec spissetur, coquito. at à Sorano scriptum est, mitior est confectio, quæ ex solo melle, & capitum papaueris cremore constat. efficacior autem redditur si in fasciculum linteoli pro adstringentibus mellilotum, & radicem dulcem addideris, hæc à Galeno in præcitato libro referuntur. SEN. Hoc ferè modo conficit Mesue. BRAS. Imò Mesue Galeni modo conficit, licet postea diuersa addat, vt antiqui faciebant. nam acaciam addit, rubeam, ensistidem pro quo legendum est hypocistida, crocum, myrrham, balaustia, & ramich admonet, præterea nonnullos mellis loco penidia apposuisse. alij verò zuccarum apponunt, quod mihi semper magis placet quàm mel, & mellis vires habet, licet sint remisſiores, monet præterea dispositionem quandoque exigere vt ex nigro papauere conficiatur, ad quinquaginta capita, & quandoque fieri debere ex papauere nigro & albo simul. SEN. In tanta authorum diuersitate, quod nam diacodij genus con-

fectur

fecturus sum? BRAS. Illud quod ex Galeno retuli. SE. Illud posthac cõficiam, at reliqua prosequaris. BRAS. Refer tu quodnam genus linctus supersit cõsiderandum. SEN. Nullum genus à me prorsus relictũ est, ex his quę in vsu sunt. BRAS. De eclegmatibus ergo finitum erit.

SENEX.

Finitum prorsus erit, nisi inter linctus, manus Christi vocatum, diamargaritonem, & saponeam numerare volueris. BRASSA. Cur non numeranda cum pectori ac thoraci conueniant? SEN. Audiui manuschristi adstringere, quomodo igitur pectori ac thoraci conferet? BRASS. Si id quòd dicis verum esset, in tenui saltem ac calida conueniret destillatione. at tibi ostendam genus aliquod manuschristi pectori conferre, & aliud ad alia. SEN. Iam ore aperto quod dicas expecto. BRAS. Ego verò à te peto quomodo conficias. SEN. A' quo initium sumere debeo? BRAS. A' manuschristi. SEN. Duo manuschristi genera conficio, & in meo pharmacopolio seruo, alterum simplex, alterum perlatum vocatum, quòd à perlis hoc est margaritis quæ illud ingrediuntur nomen sortitum est, est verò illius compositio quod simplex est, talis.

℞. Zuccari clarificati, & ab aqua percolati ℔ j.
Aquæ rosaceæ ℔ ß
Misce & ad aquæ consumptionem simul bulliant, & vnà ad vehementem zuccari coctionem, deinde supra marmor farina aspersum iniice, & in placentulas conformentur. BRAS. Nonnulli oleo amygdalarum dulcium sibi manus inungunt, & in placentulas conformant. SEN. Placet ne tibi hic modus? BRASS. Imò displicet, sed potius probo vt supra farinam conficiantur hoc est manuschristi, quod aliquã habet adstringendi vim, at cõficis ne aliud manuschrĩsti genus? SEN. Nõ aliud quàm perlatũ. BRA. Tamen & eodem modo fieri debet pro thorace manuschristi violatum. SEN. Quo nam modo? BRAS. Isto.
℞. Zuccari clarificati, & ab aqua percolati ℔ j.
Aquæ violarum ℔ ß
Misce & coquatur vt superius dictum est, & eodem modo cõformetur. nota me quandoque ex succo violarum & succo rosarum fieri iussisse, túncq; maiorem gratiam habebat, & plus conferebat, quàm facta ex aquis destillatis. SEN. Iubebas igitur & rosarum succum, & violarũ simul misceri? BRASS. minimè omniũ: sed iubebam fieri

manuſchriſti violatū ſeorſum, & ſeorſum manuſchriſti roſatum. SEN. Fortè poſſet, & hoc modo manuſchriſti boraginatum, confici, & bugloſſatum, & ſaluiatum. BRAS. Quis fieri impedit? imò & ex his fieri poteſt, & eorum vſus ad illos erunt affectus, ad quos herbę ipſæ, aut flores conferunt. SEN. Aliqui ſunt, qui duas tantum aquæ vncias pro ſingula zuccari libra imponunt. BRAS. Hi errant, quia tunc nullam fere haberet ab aquis efficaciam, at pro ſingula zuccari libra ſex aquæ vel ſucci vrticæ eſſe debent, nunc tuum manuſchriſti perlatum referto, & modum quod illud conficis. SEN. Ita conficio.

℞. Zuccari clarificati & in aqua diſſoluti. ℔ j.
Aquæ roſarum ℔ ß.

Miſce & bulliant ad conſumptionē aquæ, & quo ad zuccarum conſiſtentiā habebit, atq; perfectam, vt ſcilicet duriuſculum euaſerit, tunc iniice margaritarū nō perforatarum, & in puluerē redactarum ℥ j. Miſce & in placētulas redigitur. BRA. Videtur eſſe nimis pauca margaritarū quantitas. SEN. Quanta igitur eſſe deberet? BR. Vncia vna. SE. Ita ſemper cōfeci. BRA. Et ſemper aberraſti, imò & vſq; ad duas vncias apponi poſſet, tamen cōueniēs etiam eſt ſi vnam tan-

tum

tum margaritarum vnciam receperit, conficis ne aliud manuſchriſti genus? SEN. Memini me quandoq; confeciſſe manuſchriſti exfragmentis vocatum, ſed confici dimiſi, quia nullus vnquã illud indicebat. BRAS. Cùm verò illud ea vice confeceris, quomodo confeciſti? SEN. hoc modo.

℞. Zuccari clarificati & in aqua diſſoluti ℔ j.
Aquæ roſarum ℔ ß.

Miſce & bulliant ad aquæ conſumptionẽ, & ad zuccari duriciẽ, poſtea in fine addãtur.

Omnium fragmentorum pretioſorum ſubtiliſsimè puluerizatorum ℥ iij.
Margaritarum ℥ j.

Miſce & ſupra marmor farina aſperſum fiant placentulæ. BRAS. An hoc ſerues, an nõ ſerues nihili facio, idémq; de perlato intelligo, qui in pretioſis illis lapillis, hoc eſt meris vitris paucam habeo fidem, imò & ſi etiam eſſent veri lapilli nullam adhibeo fidem illis lapillis, neq; etiam in margaritis ſpem aliquam pono, niſi pulchrum monile ipſarũ haberem, & illud venderẽ. SEN. Hoc fortè vtilius eſſet, quàm collo geſtare. BRAS. His manuſchriſti diuerſa addi poſſunt, & ſecundum iſta nomen diuerſum efficere. at hæc quæ dicta ſunt, de his manuſchriſti ſatis eſſe videntur. SEN. Et

ob

ob id potiſsimum, quia eodem ſemperfiũt modo, quicquid ipſis addatur BRAS. Saponeam igitur contemplemur.

SENEX.

Saponea duobus conficitur modis. BRA. Hi modi à te referendi ſunt, vt contemplemur an pectori conueniat, cùm multi eam ad hunc vſum ſeruent, & ita præbent ac ſi linctus vice fungatur. SEN. Hic vnus eſt cõficiendi modus.

℞. Zuccari clarificati & aqua conſumpti ℔ j.
Aquæ roſaceæ ℥ iiij.
Amyli pulueri zati ℥ iiij.

Bulliant hæc omnia ſimul ad aquæ cõſumptionem, & quo ad zuccarum durã coctionem nactum ſit, poſteà adde Gingiberis optimè puluerizati ʒ ij. deinceps in vocatos morſellos ſupra marmor extendantur. hic eſt vnus modus conficiendi ſaponeam. at ſcire percupio vnde deductum ſit nomen hoc ſaponea. BRAS. Ab albo ſapone (vt arbitror) quia in albas redigitur portiunculas, vt albus ſapo, verum ſecundam afferto compoſitionem. SEN. hæc eſt.

℞. Amygdalarum dul. mundatarũ ʒ xvj.
Amyli puriſsimi & noui ʒ iiij.
Zuccari albi & clari ℔ j.

Ex hoc

Ex hoc zuccaro nouem vnciæ sumantur, cum tunsis amygdalis, quæ simul mixta per densum setaceum percolentur, & ad ignem suspendantur, cúmq; spissari cœperit amylum, & reliquæ tres zuccari vnciæ sunt ad prædictam compositionem addendæ. sinendúmq; est, vt ad perfectam coctu ram redigantur, ad quam cùm peruenerit in bolos quos morsellos vocant, redigendum est. BRAS. Cùm minori coctura in linctus formam deducitur, & in thoracis affectibus præberi potest, sed modicè efficax est, imò in hoc iuuandi genere, æquè vel etiam magis iuuabunt pignocata vocata, & mazapanis. SE. Multos vidi, qui hæc pro tussi emebant. BRAS. At quomodo conficis pignocata, & mazapanes, cum thoraci conferre non dubitem, & in hunc ordinem sunt reponenda.

SENEX.

A mazapanis incipiam, quos ita confici iubeo. Recipiatur amygdalarum dul. semilibra, quæ tenuissimè conteratur, & in tenellam pastam redigatur, his addatur libra vna zuccari tenuissimè puluerizati, & vnà probè misceantur, ac pistentur, inter pistandum verò, ac subigendum valenter misceãtur, & addatur aquæ rosaceæ quantum sufficit, vt probè misceantur, & ad quantum

ſubuerit quantitatem extendantur, deinde zuccaro in quo nonnihil tragacanthi diſſolutum ſit, & ex oui albumine clarificato, cruſtam mazapani ſuper induo, quæ vti vitrum videtur, quàm vulgus Roſellam appellat. BRASSA. Ego nonnunquam ex amygdalis & peponum ſeminibus fieri iubeo, quandoq; ex amygdalis & nucleis pineis, quandoq; ex amygdalis, & piſtachiis, ac nucleis pineis, quandoque ex prædictis, & caponum pulpa cum quiſpiam nutriendus eſt. SEN. Vnde nomen hoc accepit mazapanis? BRAS. Eſt nomen compoſitum ex maza & pane, maza verò antiqua fuit compoſitio, qua veſcebantur, vnde poſteriores ád compoſitionem illam alludentes mazapanem nuncuparunt. at facilius eſt ſcire, vnde pignocata nomen ſortitum ſint. nam à nucleis pineis nomen ſortita ſunt, quæ quomodo conficis, enarrato.

SENEX.

Hoc modo pignocata conficio, zuccari clarificati, at nõdum perfectè cocti libram vnam, accipio, & ligulam in qua decoquitur ab igne remoueo, ac rudicula vehementiſsimè circunduco, poſteaquam optimè agitatum fuerit, ac dealbatum, quòd ex hac agitatione fit, addo nucleorum pineorum ℥ iiij. & iterum probè miſceo, poſtea perfec

perfectè coquo, & in vocatos morſellos redigo. BRAS. Non mihi placet tanta zuccari quantitas, in tam pauca nucleorum pineorum copia. SEN. Si aliter fierent, diu perdurare non poſſent. BRAS. Neque volo vt perdurent, ſed potius dum recentia ſunt edantur. SEN. Nonnulli pro ſingula zuccari libra, nucleorum pineorum libram imponunt, ſed diu perdurare non poſſunt, idem in mazapane dicendum eſt. BRAS. Scio cùm in tali copia adeſt zuccarum guſtui magis placere, ſed vis nucleorum pineorum minus exercetur, at diamargaritonem vocatum iam contemplemur.

SENEX.

Duo compoſitionis de margaritis genera parata ſeruo, alterum ex Nicolao, alterum ex Auicenna ſumptum. BRAS. Vtrunque referas, vt illud probemus, quod magis probandum videbitur. SENEX. En igitur Nicolai diamargariton audito.

℞. Gariophyllorum
Cinnamomi
Spicæ
Galangæ
Ligni aloës
Glycyrrhizæ
Trochiſcorum diarhodon

Diaui
Singulorum ʒ j.ſ.
Nucis moſchatæ
Maceris
Aliptæ moſcatæ
Zedoariæ
Rhabarbari
Styracis calamitæ
Singulorum ʒ j.
Margaritarum perforatarum, non perforatarum
Oſsis de corde cerui
Blattæ byſantiæ
Ambræ
Cardamomi
Leuiſtici
Seminum baſilici
Singulorum ℈ j. minus G̃ ij.
Camphoræ G̃ vj.

Mellis roſati quod ſufficit, detur in æſtate cum rhodo ſtomate, id eſt aqua roſacea, vel cum aqua frigida in hyeme cũ vino mane, & meridie. BRAS. Ad quæ conferre dicit Nicolaus? SEN. Authoris verba referam, vt inde colligas ad quos conferat affectus, inquit verò diamargariton à duobus dici margaritarum generibus perforatarũ inquam, & non perforatarum, quæ compoſitionem ipſam ingrediuntur. BRAS. Miror

cur ſolas nõ perforatas non acceperit, quia perforatio illa à margaritarum perfectione nonnihil aufert. nam ob aliquam acrem materiam, quæ illos erodit, perforantur, idcirco non adeò exquiſitæ ſunt, vt nõ perforatæ. SEN. Si tibi placuerit, deinceps non perforatas ſolas ad duplum ponderis quàm ſint recipiam, vt vicém perforatarum ſuppleant. BRAS. Illa proſequaris, quæ à Nicolao ſcripta ſunt. SEN. Sequitur valere ad cardiacos triſtes, hoc eſt mæſtos, & ad omnem cordis imbecillitatem, & ſtomachi faſtidium aufert, digeſtionem procurat, aſthmaticis, dyſpnoicíſq; opitulatur, phthiſicis opem fert, & his qui ex longa ægritudine ſunt extenuati, in calce verò compoſitionis animaduertit Nicolaus, phthiſicis potiſsimũ, & conſumptis prodeſſe. BRAS. Hoc non eſt diamargariton, quod in vſus ſeruatur, & quod in rotulis vbique conformatum inuenitur, & album eſt. nam in electuarij formam hoc potius conficitur. SE. Ita profectò eſt, at ego nunquam aliud diamargariton confeci, quàm iſtud, & illud Auicennæ, quod ex tertio canone ſumitur. BRAS. Multa hîc eſſent conſideranda, vt de trochiſcis diarhodon, de trochiſcis diaui, id eſt, de violis. Verùm cùm in libello de trochiſcis ſint à nobis explanata, non ſunt

iterum repetenda, ſed erit ſatis animaduertiſſe hoc non eſſe diamargariton, quod communiter in omnibus fit (præterquam in tuo) pharmacopolis, impreſentiarum verò Auicēnæ compoſitionem referto. SE. Hæc eſt quæ ſequitur.

℞. Margaritarum non perforatarum
Pyrethri
Singulorum ʒ j.
Gingiberis
Maſtiches
Singulorum ʒ iiij.
Been albi, rubri
Piperis
Macropiperis
Singulorum ʒ iij.
Zedoariæ
Doronici
Seminis apij
Thapſiæ
Nucis moſchatæ
Maceris
Singulorum ʒ ij.
Cinnamomi ʒ v.

Zuccari ſublimis ad pondus omnium, & nonnihil plus ſi opus ſit, & fiant morſelli, imò & in electuarij forma fieri poteſt. BRASSA. Ad quæ dicit conferre hoc ſuum diamargariton Auicenna? SEN. Mulieribus

bus conferre ait, nam maniacum affectiones ſanat, & affectiones quæ ſunt in mulierum ventriculis remouet. notat verò adhibendum eſſe ſtudium in illarum ventriculis, idcirco ait illos roborari oportere, cum his quæ ſunt veluti zeleniabin cũ xyloaloë, & maſtiche, & ſimilibus, his etiam conferunt electuaria ex zuccaro plurimo cum ſpeciebus aromaticis, in quibus non adeſt multa caliditas facta, & cum emplaſtris ſtypticis calefacientibus aromaticis. BRAS. Et cur viris præberi non poteſt eiuſcemodi diamargariton? SEN. Non negat Auicenna viris præberi. BRAS. Mirum tamen videtur cur fœminarum ventriculis tot adhiberi voluerit, cùm ipſum diamargariton ad hæc perficienda ſit ſatis. SEN. Tot fortè adhibuit, vt breuius in ſanitatem reſtituatur, tamen quicquid ſit, illa ſunt Auicennæ verba, quæ adduxi. BRAS. At his prætermiſsis dicimus hæc quæ adduxiſti, non eſſe diamargariton illud quod in publico & communi vſu habet. nam maxima pharmacopolarum pars hoc ſeruat, quod referam.

℞. Zuccari fini
Margaritarum perforatarum, non perforatarum
Singulorum ℥ ij.

Misce & fiat puluis subtilissimus, ex quo & rosacea aqua fiat confectio in rotulis secundum artem. SE. De hoc iam locuti sumus. nam est manuschristi perlatũ. BRAS. Nota tamen aliquos esse pharmacopolas, qui Nicolai diamargariton parant, & illud vocant diamargariton calidum, & subinde aliud conficiunt, quod frigidum appellant. SEN. Quomodo frigidum hoc conficiunt? BRAS. Hoc modo.

℞. Sandalorum omnium
Florum rosarum
Violarum
Seminis peponum mundatorum
Trochiscorum diarhodon
Serici contusi
Singulorum ℥ ij.
Ossis de corde cerui
Spodij
Doronici romani
Been vtriusque
Spicæ nardi
Croci
Singulorum ℈ ij.
Margaritarum perforatarum, non perforatarum
Rasuræ eboris
Saphyrorum
Smaragdorum

Hyac

Hyacinthorum
Seminis acetosæ
Endiuiæ
Ligni aloës
Ambræ grisæ
Singulorum ℥ ß
Auri optimi ℥ j
Camphoræ ℈ j.
Moschi G ij.

Misce & fiat puluis, ex quo deinde possunt fieri morselli vel placentulæ vt lubebit. SE. Nunquam audiueram hoc genus diamargariton frigidi. BRAS. Deinceps ita dicere haud poteris. SEN. Reperitur ne apud antiquos diamargariton? BRAS. Actuarius cōpositionem quandam parat, quam diamargariton vocat, sed à præscriptis differētem. SEN. Illum libenter audirem. BRAS. Ita dicit Actuarius, diamargariton, id est, ex vnionibus illinctus, concinnatur contra vehementem cordis vibratum, falsas abolet imaginationes, aberrantésque à ratione cogitationes animi, quibus addicti sunt insani & atræ bilis principatus, & dæmonia abigit. SE. Hæc mira videntur. BRAS. Ita verò conficit.

℞. Intubi
Linguæ bouis maioris, minoris
Santali citrini

Rutuli
Linguæ passeris
Singulorum ʒ vj.
Agalochi
Succini
Coralli cremati
Ambaris
Gariophyllorum
Margaritarum
Seminis citri
Basilici
Cyperi
Boli armeniaci
Corianni sicci
Auri
Argenti
Aluminis
Galliæ moschatæ
Setæ crudæ
Scobis cornu ceruini
Spodij
Rhoei indici
Singulorum ℥ ß.
Thymi
Florum roris marini maioris, minoris
Senecionis
Zudæræ
Croci
Cubebe, id est carpesij
Maceris

Maceris
Nucis indicæ
Seminum intuborum
Singulorum ʒ iij.
Moſchi
Camphoræ
Singulorum ſexquiſcrupulum.
Ea tuſa cretáque cum punicorum Zulapio vt fermenteſcat miſceto, modus eſt ſicilicus ſexquiſcrupulus ex antedicto Zulapio. SEN. Poteſt ne, & in rotulas conformari? BRAS. Quid impedit? SEN. Maxima videtur compoſitio. BRAS. Idcirco & illi minorem fidem adhibeo, præſertim cùm dicat fugare dæmonia. SEN. Exorcizata aqua fugantur, atque benedicta. BRAS. Imò rectis actionibus, mentéque recta, & ſpe tota in Deo optimo maximo poſita, ac in ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto. ad rem verò redeuntes, Alexādrinus diamargariton aliud retulit capite 159. SEN. Neque iſtud prætermittito. BRAS. Ita inquit, magnum & pretioſiſsimum contra omnes cordis imbecillitates, & ſtomachi diſtemperantiam, faſtidium aufert, coctionem procurat, Aſthmaticis, dyſpnoicis opitulatur, phthiſicos, & eos qui ex longa ægritudine extenuati ſunt reficit, & renutrit ſubito deficientes magna cum celeritate leuat, &

ad

ad miraculum vſque recreat. SEN. Non dicit illa fatua, quæ ab Actuario referuntur. BRAS. Ita verò conficit.

℞. Cinnamomi
Ligni aloës
Gariophyllorum
Spicæ
Galangæ
Glycyrrhizæ
Trochiſcorum violarum
Diarhodon
Singulorum ʒ xv.
Nucis moſchatæ
Alyptæ
Zedoariæ
Nardi
Maceris
Rhabarbari
Styracis
Singulorum ʒ x.
Margaritarum integrarum perforatarum
Oſsis eboris
Oſsis de corde cerui
Gingiberis
Blattæ byſantiæ
Singulorum ʒ v.
Moſchi
Ambari

Cardamomi
Seminis libiſtici
Baſilici
Singulorum ʒ iij.
Camphoræ ʒ j.

Mellis roſei quod ſufficit. dentur de eo drachmæ duæ mane, & in meridie aut cùm opus fuerit. SEN. Hæc compoſitio oſtendit Alexandrinum non fuiſſe antiquum, quia recepit os de corde cerui, ambracanum, & camphoram. BRAS. Id prorſus oſtendit, ſed ad alios linctus te cõuertito. SEN. Nullos alios ſeruo, aut vidi vnquam ab aliquo ſeruari pharmacopola, niſi medicus quiſpiam nonnunquam genus vnum, aut alterum ſibi parari iubeat, quo dum viuit in ſuis vtatur ægrotis. at illo obeunte ab vſu deſueſcit. BRAS. Otiari igitur erit opus? SEN. An hæc tibi videtur eſſe conueniens hora redeundi domum? BRAS. Imò iam tranſacta eſt, heus puer mulam ducito, vale mi ſenex. SEN. Et tu quoque, verùm redire non obliuiſcaris, vt denique nihil in meo pharmacopolio prætermiſſum ſit, quin ſub examen venerit.

*

ANT

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium infuſionum, quæ apud Ferrarienſes pharmacopolas ſeruantur.

BRASSAVOLVS SENEX.

BRAS. Planum eſt in veſtris pharmacopolis nullas decoctiones prorſus ſeruari, ſed tunc fieri cum à medicis pro ægrotantibus indicuntur. De infuſionibus verò locuturus à te peto num aliquæ per quodpiam temporis ſpatium ſeruentur? SEN. Imò aliquæ ſunt infuſiones quæ diu ſeruantur. BRAS. Quænam? SEN. Roſarum infuſio, imò multæ roſarum infuſiones ſeorſum à pharmacopolis ſeruantur. BRASS. Omnes referto. SEN. Id in præſentiarum efficiam, ſi aures accõmodabis. BRAS. Iam prorſus accommodatæ ſunt. SEN. Audias igitur, ſyrupum roſatum

rosatum vocatum simplicem conficimus, qui ex paucis rosarum infusionibus cōstat, infusionem hanc pro hoc syrupo conficiendo, si eo indigebimus seruamus, huius infusionis quantitatē quampiam conficimus ex cuius parte syrupum rosatū simplicem paramus, si contingat nobis syrupum hunc deficere, ex seruata infusione illum efficimus, antequam nouæ rosæ emerserint, ac floruerint. si verò vsque ad nouas rosas huius syrupi satis habeamus, infusionē eiicimus, & aliā paramus, ad eundem conficiendum syrupum. en igitur hæc vna est rosarum infusio, quam seruamus. BRAS. Alias referto. SEN. Syrupum etiam de siccis rosis conficimus ex siccarum rosarum infusione, hanc etiam infusionem seruamus. BRAS. Quid opus erat hanc infusionem vos seruare cùm toto anno siccæ rosæ habeantur? SEN. Vt in promptu habeatur infusio, & ne illam tunc efficere cogamur. BRASSAVOL. Quid refert hoc si illam etiam, tunc efficeres? SEN. nihil refert. at illam semper in meo pharmacopolio seruare volui. BRASSAVOL. Id facis, quod multi alij non faciunt, nam in rarissimis inuenies hanc infusionem pharmacopolis, & fortè in nullis præterquam in tuo. SENEX. Ne ab antiquo more desciscam,

illam

illam ſemper ſeruabo, neque vnquam me pœnitebit. BRAS. Ad alias ſermonem cõuertito. SEN. Fit etiam ſyrupus roſatus ſolutiuus vel de nouem infuſionibus, huius ſyrupi tantam quantitatem paro ſingulis annis in menſe Maij, quantam arbitror toto anno mihi ſuffecturam, & reliquum infuſionis quod mihi supereſt ſeruo. ſi ſyrupus ipſe deficeret, ex hac ſeruata infuſione tantam ſyrupi quantitatẽ paro, quanta videbitur ad nouas vſque roſas ſuffectura. BRAS. Corrumpetur ſi tanto ſeruabitur tempore. SEN. Nonnunquam vidi infuſionem hãc corruptam, & putrefactam, tamen ne putreſcat illam modice ebulliri facio, & in vitrea phiala ſeruo, oleo ſuperingeſto, ne vel tantillum aëris ingredi poſsit, hac nimirum præparatione huius generis infuſa diu ſeruari nihil impediet. BRAS. At ego tantum ſyrupi ſemel facerem in menſe videlicet Maij dum roſæ floreſcunt, quãtum mihi potius ſupereſſet, quàm deficeret, & infuſionem hanc minimè ſeruarem. SEN. Huius ſyrupi quãtitas quæ conſumi debeat ſciri non poteſt, ſicuti neque ſciri poteſt, quot ægroti futuri ſint in hac noſtra alma patria Ferraria, qui ſyrupo ſolutiuo indigere debeant, inſuper accedit vt nonnunquam pharmacopolis externis huius ſyrupi plus

pi plures libras vendam. BRAS. Si huius syrupi mercator esse instituisti secus est, à te verò hoc agendum esset, vt tantam copiam parares, quanta pro hoc populo sit satis, iámque instructus esse deberes, quanta copia singulis annis in ægrotis consumatur, & licet par ratio semper non sit, tamen non magnopere euariabit, si deinde vt externis vendas copiam aliam conficere volueris conficito, tamen id semper seruato quod in nostræ patriæ gratiam conficitur, & nunquam nisi ciuibus qui eo indigent ad expurganda corpora vendatur. SEN. Hoc quòd consulis deinceps efficiam. senæ etiã infusionem per tres aut quatuor dies seruamus. BRAS. Hoc non est seruare, sed est illam quando opus erit conficere. illa nimirum tantum seruari dicuntur, quæ per multos menses, aut de anno in annum, vel per amplius spatium integra seruantur. de senæ verò infusione nihil in præsentiarum agendum est, cùm in syruporum libello satis amplè pertractata sit, hic illud tantum addere placet pharmacopolas exprare, qui senæ infusionẽ præbẽt etiam corruptam, qui per decem aut quindecim dies confecta permanserit. SEN. In meo pharmacopolio in æstate singulis diebus, in hyeme alternis conficitur, neque vnquam

hoc ipse diem quartum attingit. at hi qui corruptam præbent infusionem dire vti crassatores puniendi sunt. BRASSAV. Ita mente volutabam, quempiam in hoc errore deprehensum in carcerem trudi iubere, & per quindecim dierum spatium nihil aliud in potu ei præbere, quam putridam senæ infusionem, quæ dum corrumpitur acescit, & hunc saporem vehementem habet, qui bibentibus summopere displicet. SEN. Videretur ebullitionem semper debere esse infusione potiorem, quia in ebullitione simplicia plus morentur cum vehementi calore, quàm in infusione. BRAS. Et hæc est causa cur aliquorum debet fieri infusio, aliorum ebullitio, & non infusio. nam illa quæ vires habent in superficie infundenda sunt, ne diu ebulliendo vires istæ exhauriantur. adde illa quæ vires habent tenues, & tenuis sunt substantiæ ob eandem causam potius infundenda esse, quàm ebullienda, & illa quæ modicas habent vires potius infundenda sunt, quàm ebullienda, insuper illa quæ substantiam raram habent, à quibus vis facile euaporare potest, infundenda sunt, non autem ebullienda, vnde flores, tenella folia, ac similia potius infundenda sunt, quàm ebullienda. SEN. Mihi subit memoriæ Mesuæ senten-

tiæ

tia, qua dicit infusionem meliora reddere medicamenta. BRASSAVOL. Postea-quam de Mesue incidit sermo, optarem vt referres quomodo medicamenta per infusionem meliora fiant. SEN. Id libenter efficiam. nam spero me saltem hoc recepturum, quod Mesue contextum vbi obscurus videbitur interpretaberis. BRASS. Incipito igitur, nam agere nequeo quin tibi satisfaciam. SEN. À Mesue ita scriptum est, infusionem medicamenta ita reddere meliora, quoniam eorum facultatem maleficam aufert. BRASSAV. Miror cur de hac re exemplum non præbuerit. SEN. Imò præbet. nam dicit sicut granum cnidium & Esula aceto macerata superficialem acrimoniã amittunt, quæ alioqui maximè vrerent. BRASSAV. Hoc non voco infundere, sed macerare. nam non opus est acetũ calefacere, sed hæc in ipsum vt frigidum est imponuntur, & in illo macerantur, & si tibi in his placuerit vti vocabulo infunduntur, nullus impedit, & hãc actionem infusionem vocare poteris, hoc etiam modo & coriandra in acetum infunduntur, cùm præparantur, & aceto ipso macerantur. SEN. Ita prorsus constat, sed aliud exemplũ præbet Mesue in eadem re. BRAS. Quod nam? SEN. Inquid & turbith

lacti mulso infusum & siccatum ventrem non amplius turbare. BRAS. Ex his ergo colligere putas infusionem à medicamentis malignitatem auferre. SEN. Imò nihil aliud intelligo. BRAS. Tamen cùm sermo noster de infusionibus esse debeat, quæ per os sumuntur, & nõ de ipsis infusis: propterea quòd à te adductũ est ad rem ipsam non videtur. SEN. Imò ad rem est vt de infusionibus verba facimus, licet omnes non sint infusiones quæ per os insumantur, at infusa diu seruari possunt, nõ autem infusiones ipsæ, imò hæ de quibus verba facimus abiiciuntur statim, cùm nouerimus à medicamentis vim malignam iam esse ablatam. BRAS. Fateamur ergo & has infusiones considerari debere, quæ infusa corrigunt, tamen ipsæ non sumuntur, sed abiiciuntur. at reliqua prosequaris, quæ de his infusionibus à Mesue scripta sunt. SEN. Iam tenes iuxta Mesuem infusionem maleficam medicamentorum vim auferre, aliud deinceps à Mesue scriptum est, & ipsam infusionem vim habere, bonam medicamentorum facultatem augendi. BRAS. Prębet ne exemplum Mesue? SEN. Præbet. nam dicit turbith succo cucumeris agrestis infusum vel maceratum ab hac infusione hoc recipere, quòd crassam materiam ac pituitosam, à remotis

remotis partibus vehementius educit, & hermodactylus ſcillitico aceto infuſus, vt ſcillæ ſucco, aut raphani ſucco, id acquirit quòd à iuncturis materias vehemẽter educit, & longè vehementius quàm ſit ipſius natura. tertium præterea in agarico præbet exemplum, quòd ſcilicet in oxymelite infuſum vehementius purgat quàm ſuapte natura facere ſoleat. hæc ſunt tria in his rebus Meſue exempla, quæ etiam ad propoſitum oſtendendum ſatis apta videntur.
BRAS. Quod de hermodactylo ſcriptum reliquit, non eſt in vero hermodactylo intelligendum: ſed in colchico ephemero, in præſentiarũ hermodactylum vocato, quod prorſus infundendum eſt vt vim illã amittat, qua inſumentes ſtrangulando necare poteſt. SEN. Infuſiones nonnunquam in medicamentis fiunt vt vim quam habent medicamenta cuipiam liquori impartiantur. BRAS. Hæc eſt vera & exquiſita infuſio. SEN. Et eſt in tertio loco à Meſue relata. BRAS. Authoris exempla referto, vt contemplemur an ſit vera, & exquiſita infuſio. SEN. In aloë exemplum præbet, cùm inquit, aloëm in aliquem infundi liquorem vt ipſius vis in illum conuertatur.
BRAS. ad eundem finem fit rhabarbari infuſio, vt ipſius vis in liquorẽ tranſeat. SEN.

Multæ vero à Mesue causæ referuntur, cur hoc fiat. BRASSAV. Causas istas ne silentio pertranseas. SEN. Inquit Mesue medicos infusiones facere vt infusæ rei vis ob multas causas in liquores transeat, inter quas vna est vt medicamenti vis ad profundas partes, ac remotas promptius penetret. BRASSAV. Et ratio est quia medicamenti vis in crassa est substantia, cùm verò infunditur, & in liquorem quempiam vis exit, quæ ob liquorem facile penetrare potest, id verò prius non habebat, aqua igitur infusionis aloës facilius penetrat, quàm faciat ipsa aloë in substantia sumpta. SEN. Exemplum verò præbet, vt cùm decoctum aromatum, cui infusa sit aloë bibendum præbemus. BRASSAV. Aromatum decoctum aloëm proculdubio magis penetrare faciet, quàm ita per se ipsam penetrasset, & quàm penetrasset, si in pura aqua esset infusa, quia aromata aquæ impartiuntur vt facilius penetrare valeat, & omnia quæ sunt simul mixta per easdem vires magis penetrare possunt. SEN. Aliam rationẽ reddit Mesue inquiens interdum fieri infusionem vt medicamenti vis mitior fiat. BRASSAV. In aloë ipsa hoc fieri non erat opus, quia vis aloës mitissima est, neq; hoc indiget vt mitior efficiatur

ciatur

clatur. SEN. Mesue in scamonio exemplum præbet, nam scamonium lineo panno quandoque ligatum in syrupo aliquo incoquimus, siue in sapa, siue in alio succo, vt ipsius vis quæ insolens est ac vehementissima mitescat. BRASSA. Hoc & in colocynthide fieri potest, & in turbith, & in vnoquoque vehementissimo medicamento. SEN. Nonnunquam medicamenta reperiuntur quæ vires habent oppositas, tunc infunduntur vt commixtæ vires ab inuicem separentur. BRASSA. Huius rei exemplum præbeto. SEN. Mesue exemplum referam in rhabarbaro, & myrobalanis. hæc infunduntur, vt deiectoria vis, & ventrem subducens in liquorem transeat. vis autem adstringens, in rhabarbaro, & myrobalanis permaneat. BRASSA. Hoc est cur nonnulli infundere voluere priusquam in alui profluuiis rhabarbarum præberent. at in profluuiis opto ego quòd prauum est subducat, postea adstringat, hæc nimirum causa est cur in alui profluuiis rhabarbarum exhibeam, & myrobalanos, vt ventrem scilicet subducant, postea adstringant. nã subductoria vis prius agit quàm adstrictoria. SEN. Nõ ne saltẽ vstulatum præbes in alui profluuiis rhabarbarum? BRASS. Et hoc

mihi displicet, quoniam vstulatio illa eductoriam rhabarbari vim exhaurit, tamen rhabarbarum quòd in alui profluuiis adhibetur, primò subducere debet, secundò adstringere. & hæc est intentio quam in profluuiis, in quibus rhabarbarum conuenit medicus habere debet, vt quòd prauum est prius educatur, & quòd bonum est adstringatur, vel aluus adstringatur, ne quæ bona sunt excernat. SEN. Nonnulla quandoque infunduntur, vt nouam acquirant naturam. BRASS. Quomodo hoc intelligis? SEN. Vt Mesue facit, cùm ait colocynthidis medullam tragacanthi mucillagine imbutam ventriculi villis adhærere desinere, imò cito permeare, neque sedi, neque vesicæ obesse, & de scamoneo exemplum præbet, quod oleo violaceo infusum nullo modo obesse posit. BRAS. A' Mesue denique notatur inter illa quæ infunduntur, aliqua esse quæ vim solam in infusione relinquunt, alia quæ vim solam non relinquunt, sed aliquid etiam eorum substantiæ commiscetur. SEN. Quænam hæc sunt? BRASSA. Casia, & tamarindi, cùm hæc infunduntur eorum vis in liquorem transit in quem infunduntur, & nonnihil etiam substantiæ ipsorum in eundem liquorem transit. SEN.

Hoc

Hoc planiſsimum eſt, tamen rariſsimè vel nunquam caſsia infunditur, tamarindi verò plerunque infunduntur, & eorum ſubſtantia ab ipſis difficulter remouetur. BRASSA. Cum pinſa ſunt, portio aliqua aufertur, ſed hæc miſſa faciamus, & de infuſionibus quæ quotidie fiunt pertractemus. SEN. Ab re tamen non fuit hæc quæ ex Meſue retulimus, in medium attuliſſe, vt cur ſimplicia infundantur cauſam haberemus. BRASSA. De infuſionibus nunc pertractemus quæ ſimplicium vires recipiunt, ſimplicia infunduntur, quia decoctionem non ferunt, decoctionem verò non ferunt, vel quia vires illas quas habent in ſuperficie ſeruant, vel quia modiciſsimas habent. SEN. Adde vel vt à profundo aliqua ſimplicis medicamenti vis attrahatur. BRASSA. Hoc nunquam dixerim, quoniam eiuſcemodi ebullitione potius indigent, vt à profundo ad circunferentiam vis aliqua educatur, nulla autem infuſione indigent. SEN. Ita eſſe non dubito, ſed id mihi inconſiderate in mentem venerat effutiendum, nunc verò ad rem propoſitam redeamus. BRASSA. De re propoſita iam ſatis dictum eſſe arbitror. SEN. Cur hoc? nondum eſt hora quòd de infuſionibus verba facimus.

BRASSA. Tu ergo colloquia horis meteris? dic verò quæ est intentio nostra in hoc sermone? SEN. De infusionibus peragere, quæ in Ferrariensibus pharmacopolis seruari consueuerunt. BRASSA. At cùm nullæ seruentur à vobis infusiones, quid nobis dicendum relinquitur? SEN. Nihil prorsus quantum de hoc sit, at multa alia supersunt consideranda. BRASS. Tot fortè non sunt quot esse arbitraris, vt autem sermoni de infusionibus quæ diu seruari non possunt finem imponamus (quanquam infusa aliqua diu seruari valeant) dicendum est, infusiones has tunc esse conficiendas cùm à medicis indicuntur, nisi per tres aut quatuor dies plus minus illas seruare libuerit. de infusionibus verò intelligo cùm herbarũ vires in quempiam liquorem recipiuntur, & hæc de infusionibus iam satis esse videntur. SEN. Dixisti infusa diu posse seruari, infusiones autem minimè, at infusa sunt infusionum infusa, igitur si infusa diu seruari poterunt, & infusiones diu perduraturas censendum erit. BRASSA. Non me latebat te nonnunquam declaratum esse dialectica, nunc autem video quantum profeceris, nam argumentum hoc tuum eorum quæ sunt ad aliquid regulis

lis innititur, videlicet quòd vno posito aliud ponitur, & quod vno remoto aliud remouetur, quæ regula in ipsis relatiuis, vt relatiua sunt vera est, at in rebus ipsis hoc est in substantia cui relationes innituntur vera non est, quoniam nunquam erit pater vt pater, nisi filius adsit, tamen is homo qui fuit quandoque pater absque filio esse potest, idem in infusionibus & infusis dicendum est, infusio vt infusio non aderit, si abfuerit infusum, & è contrario. at res ista quæ infusio vocatur, absque infuso esse potest, & infusum sine infusione, quanquam dici etiam posset infusum & infusionem non esse vera ad aliquid: sed hæc quæ ad propopositũ minimè spectant, missa faciamus. SEN. Ego in his argutiis summè delector. BRASSA. A Platone derideberis, qui pueriles has nugas tam longæuus exerceas, quoniam idem author quendam senem qui in his versabatur garrulis nugis derisit, ac penitus à Philosophorum schola explosit. SEN. Tamen & tu te dialecticæ præstantia vtilitate ac necessitate, nonnunquam verba fecisti. BRASSA. Tunc pueriles annos agebam, & de vera dialectica verba faciebam, non autem de sophisticis his nugis, quæ hominem derisui tradunt

dunt

dunt. SEN. Optarem vt edoceres quibus argumentis huius artis vtilitatem ac necessitatem annotabas. BRAS. Iam supra crepidam loqui inciperemus. SEN. Neque hac hora aliud à nobis agendum est.

BRASS. Posteaquam rem hanc vehementer tibi cordi esse conspicio, alias vt pueriles nostros lusus legere possis efficiam.

*

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium aquarum, quæ in publicis Ferrarienſibus pharmacopolis ſeruantur.

BRASSAVOLVS SENEX.

BRAS. Aquæ illę quas in pharmacopolis ſeruatis, ſunt ne eodem modo confectæ? SEN. Eodem prorſus nam omnes vi ignis eliquatæ ſunt, & per vocatum alambicum ex herbis extruſæ. BRASS. Tamen & hoc etiam modo confectæ, id eſt, vi ignis eliquatæ, diuerſo modo extruduntur. SEN. Ita conſtat, nam aliqui balneo vocato Mariæ has aquas conficiunt, alij ſolo alambico, balneum verò Mariæ ad id alludere videtur, quòd apud antiquos in duplici vaſe eſt. BRAS. Deſtillandarum aquarum modum ignorarunt antiqui, quod verò frequens

eſt

est apud Galenum in duplici vase coqui non est balnei Mariæ modo eliquari. at est coctura quædam, quæ ab igne immediatè non fit, sed à re alia, ab igne tamen excitata, vt id quod coquitur nihil ignis recipiat, quæ verò per balneum Mariæ fiunt herbarum vi ignis eliquationes, coctiones minimè sunt, sed vaporũ ab herbis extrusiones, qui vapores deinde conglobati in aquam descendunt, in hac destillandi arte authores naturam summopere imitati sunt, pluuias mollientem, nam ex vaporibus à terra, & ab aquis eleuatis pluuiæ fiunt, à solis verò calore eleuantur, à quo tenuitatem acquirunt, & in mediam vsque aëris regionem ascendunt, quæ frigidissima est, in qua cùm sunt ob loci frigiditatẽ condensantur, & condensati in aquam congelantur, ac descendunt, & hæc pluuia appellatur. eodem modo ars paruum quempiam plumbeum mundum effecit, in quo talia sunt à quibus vapores eleuari possunt, qui eleuantur, & vsq; in mediam huius parui mundi regionem ascendunt, in qua cùm sunt, quia frigida est condensantur, & aqua efficiuntur, ac per mundi latera descendunt, & in carnali colliguntur, per canulámque exeunt. plerunque verò si aquam extrudere volumus alambi-

eorum summitates frigida aqua refrigerare cogimur, vt vapores intus condensari valeant, qui alioqui ab ignis vt consumerentur, & aqua colligi non posset, sunt verò eiuscemodi instrumenta plumbea effecta, quia metallum hoc frigidum est, & vapores condensare aptum. SEN. Putas ne aquas omnes quæ alambico fiunt simplicium è quibus extruduntur vires seruare? BRASSA. Aliquas seruare arbitror, alias minimè. SEN. Eas quæ seruent libenter addiscerem, & eas quæ non seruent. BRASSA. Imprimis te in genere docebo, postea singulatim de vnaquaque herba, cuius aqua in vsu est verba faciemus. in genere igitur herbæ omnes calidæ & siccæ aquas suas optimas reddunt, quæ caliditatem seruant, ac siccitatem, at herbæ frigidæ & humidæ suam non seruant humiditatem, neque frigiditatem, quia ex igne in alambicum recepto nonnihil caliditatis acquirunt, quòd suam propriam ab aqua aufert naturã, neq; aqua ista illius simplicis medicamenti, à quo extruditur amplius naturam habet. SEN. Nihil igitur habet illius simplicis à quo extruditur naturæ? BRA. Dicendũ nõ est quod nihil prorsus habeat propriæ qualitatis, ad modicam habere nemo ambigere debet. SEN. Tamen

endiuiæ

endiuiæ aqua & lactucæ ac solatri (vt experientia ostendit) infrigidare valent. BRASS. Id quidem faciunt, sed modice, alioqui verò vehementer infrigidarent, si proprias herbarum à quibus extruduntur qualitates seruarent. SEN. Quid igitur agendum vt proprias seruare posśint qualitates? BRASS. Decoquendæ sunt, & decoctum sumendum est, vnde in his aquis in quibus frigiditatem, & humiditatem expetimus, aquæ non sunt alambico extrudendæ, sed herbæ potius decoquendæ, vel in fluminis aquam infundendæ, & aquæ loco alambico extrusæ hac aqua vti debemus. tamen si quispiam his aquis potius vti exoptet, quæ vi ignis eliquatæ sunt, noscat si balneo vocato Mariæ eliquētur, humidarum ac frigidarum virium minus amittere, quàm si alambico eliquentur, vel capello vocato. nam hæ aquæ plus calidi ac sicci recipiunt, quàm illæ quæ balneo Mariæ conficiuntur. SEN. Destillandi hoc munus, vnde hoc nomen sumpsit vt Mariæ balneum vocaretur? BRAS. À mari. nam magna adest aquæ copia, quę in magno vase ebullit, fumus verò qui ab hac ebulliente aqua eleuatur, is est, qui sua caliditate humidiores partes & vaporosas ad herba eleuat, quæ in bona vocata condensan

denſantur,& aqua fiunt,quæ in vas recipiẽs colligitur,vnde aqua quæ ebullit mare eſſe videbitur, vt potius vocari deberet maris balneum,quã Mariæ,niſi imaginemur huius balnei inuentorem vel huius modi deſtillandi,mulierem quãdam fuiſſe Mariam vocatam. SE. Quicquid ſit & vnde nomen deduxerit, ad id quòd cœpimus negotium nihil facit. ego autem ſcire voluerim, quæ nam herbæ vi ignis eliquari debeãt,& quæ non debeant eliquari, ſed potius decoqui. BRAS. Id libẽter efficiam,ſi tu ſingulatim aquas omnes vi ignis extruſas,quas in pharmacopolis ſeruatis in medium attuleris. SEN. Id ſtatim efficiam neque diu immorabor,peoniæ aquã ſeruamus. BRAS. Hæc alambico extrudatur, quoniam caliditate ſua viget,& in frigidis affectibus prębetur, vt in epilepſia,in apoplexia, & in eiuſdem generis reliquis, quanquã & mulieres illa vtãtur ad puerorum vermes,& ad affectum vulgò brutam vocatum. SEN. Seruamus & nenupharis aquam. BRAS. Hæc alambico conficienda non eſt,quoniam ea ad infrigidandum vtimur, alambici verò calor propriam illius frigiditatem aufert, at flores potius decoquendi ſunt, & decoctum vbi opus erit exhibendum, vel ſaltem Mariæ balneo extrudatur. SE. Et ſcabioſæ aquam

seruamus. BRAS. An calida sit, an frigida eiuscemodi aqua, ambiguum videtur. nam quid sit apud antiquos ignoratur, & illi qui stœbem esse arbitrati sunt decipiuntur, sed in nostro simplicium examine hac de re lo cuti sumus, tamen quicquid sit recentes illam calidam & siccam in secundo ordine arbitrantur. SEN. Si ita esset vi ignis eliquata seruari deberet. BRAS. Et illam ita seruato. SEN. Et parietariæ aquam in phar macopolis habemus. BRAS. Ad quē finem illam seruatis? SE. Medici ad vrinam prouocandam illam indicunt. BRAS. An id verum sit ex Dioscoride colliges, qui ait helxinem (hoc etenim nomine illam vocat) esse frigidæ, & adstringentis naturæ, si illam ad refrigerandum serues (vt vires habet) vi ignis eliquanda non est, sed potius ebulliēda, & in simplici aqua, ita nimirùm propriam frigiditatem seruabit, neque tuo sine frustraberis, si ea ad infrigidandum vti volueris. SEN. Et lactucæ aquā seruamus. BRAS. Cùm hac ad infrigidandum & humectādum vtamur, decoctum tunc facito, quando à medicis lactucæ aqua indicitur. SEN. Hoc non efficiam ne cum illis cōtendere cogar. BRAS. Verùm cùm hāc aquam ego indixero, decoctum pro meis ægrotis præbeto. SE. Alambico etiam dissoluta frigida

gida esse videtur, quia experientia ostendit imbecilliorem nonnullis ventriculum reddidisse, qui illam exhausere. BRAS. Nõ negatur in hac aqua etiam vi ignis eliquata frigiditas aliqua, sed tanta non est quanta indiget medicus vt ægrotãti applicet, quãdo ægrotãtem secũdum talem gradum alteraturus est. SEN. Et maluæ aquam seruamus. BRAS. Alambico dissoluta seruari potest, quia caliditatem aliquã habet. at ipsius humiditas ab ignis calore remittitur. SEN. Neq; bardanæ aquã prȩterimus. BRAS. Est vngula caballina. SE. Nos etiam farfaram vocamus. BRAS. Bechion à Græcis, à Latinis tussilago dicitur, quia tussi opitulatur, cùm frigida sit herba, decoctio potius faciẽda est, quã alambico eliquãda. SE. Quomodo frigida si tussi opitulatur? BRAS. Partes aliquas calidas habet idcirco à Gal. acredinẽ habere notatũ est, idcirco non magnifacio, siue huius herbæ aqua per alambicũ collecta sumatur, siue per ebullitionẽ in dulci aqua. SE. Et capillorũ veneris aquam seruamus. BR. Adiãthũ est apud Dioscor. & Gal. capillus veneris. Gal. verò notat inter caliditatẽ & frigiditatem esse symmetron, idcirco vbi moderata indigemus caliditate aqua vi ignis eliquata vti poterimus, si verò tẽperato frigore indigeremus, esset po-

tius decoquēda herba, habet & desiccādi facultatem, quæ in aqua vi ignis eliquata magis pollet. SEN. Et maioranæ aquam seruamus. BRAS. Galenus dicit in caliditate esse tertij ordinis in siccitate secundi, idcirco igne detrusa, quia ipsius caliditas augebitur, seruari poterit. SEN. Quid sentis de sabinæ aqua, qua nullum caret pharmacopolium? BRAS. Ipsius vis calida est idcirco vi ignis eliquanda, quæ caliditate adhuc magis vigebit. SE. Non deest in meo iuæ aqua pharmacopolio. BRAS. Et hæc ignis vi ab ipsa herba extrudenda est. nam in secundo ordine calefacit, in tertio iuxta Galenum desiccat, hæ verò qualitates ignis vi vehementiores redduntur. SEN. Arbitror idem iudicium futurum de apij aqua apud nos recondita. BRAS. Idem prorsus. SEN. Et idem erit de aqua ex eupatorio iudicium. BRAS. Hoc non est tam certum, támque constans, quoniam à Galeno notatur incidendi, extergendíque facultatem habere, citra manifestam caliditatem, propterea posset & vi ignis eliquari, & ebulliri. SEN. Quid de scolopendrio dicendum? BRAS. Si de illius herbæ aqua, quæ passim à pharmacopolis scolopendria vocatur, & ab antiquis phyllitis intellexeris, cùm frigida sit herba, & adstringens, erit potius decoquenda

da, quàm ab ea vi ignis extrudenda aqua. at si antiquorum scolopendriam intellexeris, quòd à pharmacopolis citrach vocatur, cùm sit herba calida, caliditatéque vigeat, vi ignis eliquari poterit, atq; seruari. SEN. Et portulacæ aquã seruamus. BRAS. Hæc nullo modo est igne eliquãda, nam ea qua posset frigiditas remitteretur. SE. Et chamæmeli aqua nostra vasa plena sunt. BRAS. Cùm temperata sit herba, poterit vi ignis eliquata seruari, & si opus erit decoctum etiam confici. SE. De matricariæ autẽ aqua quid dicendum videtur? BRAS. Cùm sit calida herba, & calor ab alambico vehementior reddatur, igne eliquatam seruatam esse censemus, imò & idem iudicium de saluiæ aqua, menthæ & hyssopi faciendum est. SE. Et has omnes seruamus, & vna rutæ aquam. BRAS. Et hæc est alambico confecta seruanda. SE. Fortè & cardi benedicti, & lupulorum aquas & asparagi igne eliquatas seruare oportet. BRAS. Hæ herbæ prorsus calidæ sunt caliditatéq; vigent, quanquam in lupulis aliqua fortè sit ambiguitas, tamen calidos esse cõstat, propterea & hanc, & illam igne eliquatas seruato. SE. De solani aqua quid sentire oportet? BRAS. Quid aliquid quàm illam non esse seruandam, quæ igne sit eliquata? frigidissima

nimirum herba est,& frigiditate pollet,id-
circo ne vi ignis incalescat cùm ea indige-
mus herba decoquenda est,& decocto vten
dum,idem de cucurbitæ aqua censendū est,
de aqua plantaginis, de endiuiæ aqua, de
aqua violarum,& similibus. SEN. Quia o-
mnes frigidæ sunt. at de cuscutæ aqua quid
sentis? BRAS. Nescio an ciros vocē,an her-
bam hoc quod cuscuta dicitur, de qua re-
centiores ambigunt. SE. Sunt veluti capil-
lamenta, à nonnullis podagra lini vocatur,
quoniam lini culmos lædit, nam lini plan-
tas ambigit,tegit,& crescere nō permittit.
BRAS. Ferrarienses rustici grungū vocāt,
nōnulli existimant esse calida capillamēta,
alij frigida. in vsu est huius plantæ aqua ad
iecoris obstructiones referādas, ratione hu
ius actionis calida esse videbitur, tamen se-
cundum ordinem excedere nō sentio, vnde
poteris,& hanc seruare vi ignis eliquatam,
quamuis & per decoctionem vires proprias
seruare posſit. SE. Et graminis aquam ser-
uamus. BRAS. Hanc herbam temperatam
esse arbitror, in actiuis scilicet qualitati-
bus, tamen ob dulcedinem quam habet ad
temperatam depēdere caliditatem, vel sal-
tem calidas partes habere, quanquam Gale
nus in sexto simplicium dicat, radicē eius
esse modicè frigidam, & siccam, de her-
ba

ba verò dicit quòd primo excessu refrigerat, in humiditate verò & siccitate moderata est, verùm dulcedo aliquid caliditatis habere testatur. at mulieribus quæ ipsa vti volunt ad necandos vermes in puerulis iubeo vt illam decoquant potius, quàm vi ignis eliquatam accipiant. SEN. Audiui alias te dicentem vermes haud necare, cùm tamen herba sit apud omnes publicitus recepta. BRAS. Et nunc iterum audies, nam herba est quæ vermibus potius blanditur, quàm aduersetur. nam non solùm non est amara, sed dulcedine quadam viget, quo sapore vermes delectantur, tamen vt mulieribus satisfaciam nonnunquam contentus sum, vt hac herba vtãtur, ne tandiu imbibitam opinionem statim eruere volens deridear. nam & si vermibus non aduersetur, febri saltem aduersari videtur, imò iubeo vt simul ebulliat cum huius herbæ radice hordeum, quoniam qui vermibus vexantur, vt plurimùm febre correpti sunt, præsertim si vehementer iis corripiantur. at de his satis, quæ ad hoc propositum minimè spectant. SENEX. Sum ne graminis igne confectam aquam seruaturus? BRAS. Vt lubet, tamen mihi potius arridet vt in aqua ebulliat. SEN. Et betonicæ aquam in pharmaco-

polis habemus. BRAS. An calida ſit, an frigida, à Galeno minimè explicatum eſt, tamen vires quas refert calidam eſſe oſtendunt, quæ nonniſi à calido medicamento haberi poſſent: inquit enim quòd incidit, & eſt amara, ac ſubacris, calculos rumpit in renibus, pulmonem, pectus, & iecur expurgat, abſtergítque, menſes quoq; cit, & comitialibus prodeſt, cum rupta conuulsáq; curat, poſtremò acidum ructantibus, & iſchiadicis pota auxilio eſt, hi affectus non niſi à cauſa calida fieri poſſunt. arbitror verò eſſe in ſecundo ordine calidam, quia ſenſu calidam eſſe percipitur, & in eodem ferè ordine exiccare, vel in primo ſaltem intenſo. SEN. Ex hac igitur herba aqua vi ignis eliquata ſeruanda erit. BRAS. Iam ex te ipſo noſcere incipis, quæ nã herbæ ſint vi ignis eliquandæ, & quæ minimè. SEN. Vir eſſet pinguiori mineruæ præditus, qui hoc ſtatim non nouiſſet cùm à te dictum ſit, & verè dictum aquas ab igne in alambicum agente nõnihil caliditatis adipiſci, idcirco cùm frigidæ herbæ hoc modo igne eliquẽtur earum aqua frigiditatem remittit. in herbis autem calidis earum caliditas augetur. BRAS. Argumentũ ſumito quòd aquæ ab ignis caliditate nonnihil recipiant, quoniam cùm bibuntur ſenſus, quidam vſtio-

nis

nis in ipsis semper sentitur, quem vstionis sensum vulgus brustolinum vocat, ac si rei vstulatæ odorem nactæ sint, si verò balneo vocato Mariæ aquæ conficiantur, huius odoris speciem vel non habent, vel modicissimè habent. idcirco si frigidæ aquæ Mariæ balneo eliquentur, minus caloris recipiunt, vnde si ex herbis frigidis aquas vi ignis eliquatas extrudere volueris in vocato Mariæ balneo eliquentur, veruntamen in frigidis herbis decocta potius semper seruabo, quàm aquas vi ignis extrusas. SE. Et pimpinellæ aquam seruamus. BRAS. Ea medici vtuntur ad incipientes hydropes, ad cachexias, & alios similes affectus, tamen ignota est apud antiquos herba. nõnulli arbitrati sunt esse Dioscoridis Thelephium, apud Theophrastum mentio fit bibinellæ herbæ, Theodoro Gaza ita vertente, quicquid tamen sit videtur apud antiquos ignota. vnde vel ea non vtor, vel rarissima vtor, nonnulli putant quòd lapidem in renibus ac vesica cõfringat. SE. Cùm de simplici aliquo medicamento audio quòd vesicæ lapidem frangat, semper vires aliæ quas illi attribuunt authores, mihi suspectæ sunt, quoniam huius sententiæ sum, nihil prorsus esse quòd vesicæ lapidem cõfringere possit, præter malleum & incu-

dem. BRAS. Neque ego à tua ſententia, vel tantillum dimoueor, ſed & hi addunt pimpinellam contra ſtranguriam valere, & dyſuriam, & quòd vim habet vrinam prouocandi, & iecoris obſtructiones ac lienis aperiendi, nonnulli arbitrati ſunt pimpinellæ puluerem in eclegma redactum in melle, vel zuccaro in febrientibus ad duas drachmas per multum temporis inſumptum, cum quatuor vnciis aquæ pimpinellæ ægrotum à phthiſi liberare. SEN. Hoc mirificum eſſet. BRAS. Imò proſicuum, ſi experientia ita eſſe oſtenderet. SEN. Quid putas tu? BRAS. A' phthiſi non liberaturum etiam ſi mille pimpinellæ acetaria ederentur. SEN. In acetariis plerunque pimpinellam commiſceri vidi. BRAS. Tamen ex his herbis eſt, quæ difficulter coquuntur. SE. Seruanda igitur erit aqua vi ignis eliquata. BRAS. Illa inquam ex pimpinella. SE. At ex chelidonia, quænam ſeruanda eſt? BRAS. Conſideremus prius quid Galenus de ea ſentiat, arbitror te ſeruare chelidonij maioris aquam. SEN. Illam prorſus. BRAS. De eo autem Galenus dicit eſſe tertij ordinis abſoluti iam calefacientium & exiccantium. SEN. Iam ſcio aquam ex chelidonio igne eliquatam potius eſſe ſeruandam, quàm decoctum faciend

ciendum: ſed & idem iudicium in abſinthij aqua faciendum eſt, & in aqua meliſſæ, cùm ſint calidæ harum aquarum herbæ. BRAS. Ex te ipſo iam negotiari potes. SEN. Tamen mihi ſummè placet, vt omnes quas in pharmacopolis ſeruamus aquas contemplemur, aut illas ſaltem nominemus. BRAS. Vt lubet. SEN. Neſcio quid faciendum ſit de bugloſſæ & boraginis aquis. BRAS. Si herba quæ vulgò bugloſſa vocatur cyrſion ſit apud antiquos, eſt calida herba, & borago, quam Dioſcorides ac Galenus bugloſſum vocant calida eſt, & humida, caliditatis ratione igne eliquari deberet, humiditas verò vt decoquatur expetit, quoniam humiditas per decoctionem facilius ſeruatur, imò & aqua in qua decoquitur ad illam nonnihil addit. at cùm hæ aquæ ad hilaritatem inſumantur, & potius temperatæ ſint, quàm in hac vel in illa qualitate multum excedant, idcirco per Mariæ vocatum balneum eliquatæ potius ſeruandæ, nam ita gratiores erunt, neque in hoc conficiendi modo humiditas multum amittitur. SENEX. Quid dicendum eſt de verbenæ aqua? BRASSA. Quid? quòd alambico educta ſeruanda ſit: nam vt Galenus dicit vim habet hactenus deſiccandi, vt vulnera conglutinet. an

verò calida ſit an frigida minimè exprimit. nos in frigiditatem inclinare putamus, ſiue de recta loquamur, ſiue de ſupina verbenaca, de recta Dioſcorides dicit ignes ſacros cohibere, & exedentia compeſcere, hæc verò ſunt rei frigidæ munia, non autem calidæ. ſupinam autem contra tertianas præbet. at quicquid ſit, illam quæ in Mariȩ balneo eliquata eſt, ſeruato. SEN. Et fumi terræ aquam ſeruamus. BRASS. Herbam calidam eſſe ipſius vires oſtēdunt, quæ obſtructiones aperit, vrinam prouocat, & ventriculum roborat, idémque ſapor oſtendit, qui acris eſt, & amarus, licet Galenus addat & aliquid habere acerbitatis. SEN. Ex his ergo inferendum eſt, aquā vi ignis eliquatā ſeruari debere, at de acetoſæ aqua quid dices? BRAS. Nihil aliud quàm eſſe per decoctionem faciēdam cùm ſit frigida herba. SEN. Si frigidam eſſe nouiſſem, neque iſtud ignoraſſem, eius ſcilicet aquam per decoctionem eſſe faciēdam, verum & cichorij aqua eodem modo erit paranda. BRAS. De hoc ambigendum non eſt, cùm frigidæ ſit temperiei. SEN. Eſt etiam ſiccæ. BRAS. Ita Galenus ait, & has vtraſque habet in ſecundo exceſſu qualitates, notáque domeſticam eſſe ſylueſtri magis frigidam, notat inſuper multæ humi-

ditatis

ditatis admixtionem ſiccitatem extinguere. vnde per decoctionẽ potius erit facienda, ſi hac humiditate vtamur. ſi autem ſiccitate vti voluerimus, per alambicum facta potius erit ſeruanda. SEN. Et iridis aquã in pharmacopolis ſeruamus. BRAS. Et hæc vi ignis eliquanda eſt, quoniam caliditas in ipſa exigitur & ſiccitas. SEN. In alchachengi aqua quid facturus ſim, ignoro. BRAS. Cùm hac aqua ad aperiendum, & vrinam prouocandam vtamur, calidam eſſe conſtat. SEN. Reliquum non ignoro. BRAS. Quid ſcilicet? SEN. Eſſe vi ignis eliquandam, ſed & corticũ fabarum aquam ſeruamus. BRAS. Vrinæ ardorem mitigat, quia frigida eſt, & cortices illi frigidi ſunt & humidi. SEN. Hoc oſtendit aquam eſſe per decoctionem faciendam. BRAS. Verùm eſſet ſi virides cortices per hyemem ſeruari poſſent. at cùm ſeruari non poſsint, aqua balneo Mariæ ex his corticibus in æſtate fiat. SEN. Imò vtuntur etiam ad mitigandam vrinam ſi acris eſt, cicerum preſbyterorum aqua. BRAS. Si hæc herba ſaliunca ſit calida potius eſt, quàm frigida, & vrinam prouocat, idcirco potius ſeruanda eſt alambico confecta. SEN. Et lauandulæ aquam ſeruamus, quam igne eliquari oportere regulę à te enarratæ oſtendunt.

BRAS.

BRAS. Si ſpicæ genus ſit, vel non ſit, tecum facio. nam calida herba eſt, atque ſicca, & his viget qualitatibus ſicuti & roris marini aqua vi ignis eliquata ſeruanda eſt, cùm & ipſa caliditate ac ſiccitate polleat. SEN. Et citrangulorum aquam ad epithemata pro roborando corde ſeruamus. BRAS. Et hæc quoq; calida eſt, & Mariæ balneo conficienda. SEN. Quid de Eufragiæ aqua dicendum videtur? BRAS. Nondum reperi apud antiquos euphragiam, cùm tamen herba ſit oculis vtiliſsima, & quæ illos abſtergit, ac viſum acuit. SEN. Ignoras igitur qua qualitate ſit prædita? BRAS. Imò non ignoro, quia calida herba eſt in ſecundo ordine, & in eodem etiam exceſſu ſicca, abſtergítque ac emundat, & viſum puriorem redit, oculorúmq; humiditates reſoluit. SEN. Ergo ſeruanda eſt vi ignis eliquata. BRAS. Ita ſeruanda prorſus, reliquas proſequaris aquas. SEN. Nullas alias ſeruamus. BRAS. In officinis igitur aquam vocatam Nampham non habetis. SEN. Neque habemus, neque ſeruamus, at illam myropolæ ſeruant. BRASSA. Si quiſpiam medicus pro epithemate illam indiceret, quid à te ageretur? SEN. Ad myropolas ſtatim mitterem, quorum in foro copia eſt, & illam ad quantitatem quæ tunc ſufficeret

emerem

emerem. BRAS. Et profectò eiuscemodi aqua non est diu seruanda, cùm eius odor euanescat, si nullas alias in pharmacopolis seruatis aquas, ab re non erit ad prandium accedere, reliqua quæ ad hoc negotium attinent cùm tempus dabitur oportunũ tractaturi, interim verò scito frigidas aquas vi ignis eliquatas in vsum venire posse, cum tanta non indigemus frigiditate quanta est herbæ cuius est aqua, frigiditas. SENEX. Neque hoc prætereundum erat.

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium ſuffuf & puluerum quæ apud Ferrarienſes pharmacopolas in vſu ſunt.

BRASSAVOLVS SENEX.

BRAS. Illa ne ſeruatis quæ à Meſue ſuffuf nominantur? SEN. Neque ſcio quid ſuffuf nomē ſignificet, imò ſi quiſpiam canem lapide percuteret ac diceret inter iaciēdum ſuffut, non dubito quòd tantùm à loco in quo eſt diſcederet, quantum pedes illum ferre poſſent. BRAS. Imò & ſi prolata dictione caro vel panis percutiatur idem efficiet. SEN. Neque in illo morabitur loco ſi panibus & oſsibus impetatur. at quid ſignificat nomen hoc ſuffuf? BRAS. Eſt arabum nomen quod puluerem odoratū ſignificat, antiqui nonnullis vtebantur odoratis pul-

ueribus ad membra intrinſecus & extrinſecus roboranda, & ad flatus ac alia ſimilia arcenda. ſemper autem erant odorata, propterea dici poteſt quod de odoratis pulueribus hîc loquemur. SEN. Nos in pharmacopolis diuerſas puluerum compoſitiones ſeruamus, ſed multæ non ſunt odoratæ. BRAS. Mihi animo eſt vt omnes illos pulueres contemplemur. SEN. Nihil ad rem faciunt, quia odorati non ſunt, & prætereà aliâs ingrediuntur compoſitiones quibus deinde vtimur compoſitis. at ſi ſuffuf puluerem ſignificat, de his pulueribus agemus, & idem erunt quod ſuffuf. BRAS. Tamen ſuffuf & puluis differre videntur. SEN. quo nam modo? BRAS. Quia puluis nomẽ eſt generale ad quodcunq; pulueris genus, & vnumquodq; ſimplex medicamẽtum ſiue craſſe, ſiue tenuiter in puluerem redactum, puluis dici poteſt, & cinis, ac terra ipſa minutiſsimè trita puluis dicitur. at ſuffuf eſt puluis tenuiſsimus atque odoratus. SEN. Pulueres igitur omnes quos in pharmacopolis ſeruamus ſum adducturus? BRAS. Illos omnes, vt cõtemplemur nunquid ipſorum aliquis ſuffuf ſit, nam ſuffuf puluerem ſignificat ex pluriũ ſimplicium pulueribus confectum, atque odoratũ, hos igitur tuos pulueres in medium adducito.

SEN. En puluerem quendam seruamus ex quo fit stomachica nocrea. BRASS. Quis nam est? SEN. Hic qui sequitur.

℞. Cinnamomi
Gingiberis
Singulorum ℥ j.
Macis
Nucis moschatæ
Gariophyllorum
Singulorum ʒ j.

Misce & fiat puluis subtilissimus. hunc seruamus puluerē ad trazeam stomachicā cōficiendam. BRASS. Est odoratus puluis & talis qui vētriculum roborat, flatus dissoluit, coctionē procurat, obstructiones aperit, & reliqua agit, quæ aromatū calida facere cōsueuerunt. at de illo nihil in præsentiarum dicendum videtur, quoniā agemus secū de trazea ipsa verba faciemus. SEN. Seruamus etiā & diagalangæ species. BRAS. Quæ nam sunt? SEN. Hæ quæ sequuntur.

℞. Galangæ ℥ j. ß.
Gingiberis ʒ vj.
Glycyrrhizæ ʒ ij.
Piperis ʒ iij.
Hyssopi siccæ
Gariophyllorum
Cardamomi maioris
Cinnamomi

Nucis

Nucis moſchatæ
Singulorum ʒ j.
Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. BRAS. Et eiuſcemodi puluis ſuffuf vocari poteſt, cùm odoratus ſit, de quo agemus quando de diagalanga ſermonem habebimus, diſſoluit & ipſe flatus, ventriculum roborat, & frigida membra calefacit. SEN. Cùm de hoc puluere alibi etiam tractaturus ſis, ſenæ puluerem in mediũ afferam, qui ad catapotia continenda ſeruatur, ad electuaria inſuper, & quãdoque ex iure in potu ſumitur, vel ex aliquo liquore. BRAS. Puluerem hunc adducito. SEN. Illum audito.

℞. Foliorum ſenæ
Tartari albi
Singulorum ℥ ij.
Gariophyllorum
Cinnamomi
Galangæ
Anidis
Singulorum ʒ ij.
Diagridij ʒ iij.
Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. BRAS. De hoc puluere in libello in quo de catharticis agimus medicamentis quæ pilularum formã non ſeruant, locuti ſumus. SEN. Memoria habeo propterea pulueres hierę ſimplicis Galeni in medium adducam. BRAS.

quales nam? SEN. Hos.
℞. Cinnamomi
Mastiches
Assari
Croci
Xylobalsami
Spicæ nardi
Singulorum ʒ vj.
Aloës optimi ʒ c.
Misce & fiat puluis subtilissimus. BRAS. De hoc puluere vbertim locuti sumus in nostro pilularum examine. SEN. De speciebus ergo hieræ picræ Galeni verba faciamus. BRAS. Illas referto. SEN. Hæ sunt.
℞. Cinnamomi
Croci
Spicæ nardi
Schoeni
Assari
Casiæ ligneæ
Xylobalsami
Carpobalsami
Violarum
Absinthij
Epithymi
Agarici albi
Ros. rub.
Turbith electi
Colocynthidis

Masticheſ
Singulornm ℥ j.
Aloës ad pondus omnium.

BRA. Et de hac hiera in prædicto loco verba fecimus, & vna oſtendimus nõ eſſe Galeni, neq; illam vnquã ſomniaſſe Gale. SEN. de aromatico igitur roſato Gabrielis agamus, cuius ſpecies, id eſt, pulueres in pharmacopolis ſeruamus, ita verò conficitur.

℞. Roſ. rub. ℥ x.
Glycyrrhizæ raſæ ℥ iij. ℈ ij.
Ligni aloës
Sandalorum citrinorum
Singulorum ℥ ij.
Cinnamomi electi ℥ iij. ℈ j.
Macis
Gariophyllorum
Singulorum ℥ j ℈ ij.
Gummi arabici
Tragacanthi
Singulorum ℈ v. G̃ vij.
Nucis moſchatæ
Cardamomi maioris
Galangæ
Singulorum ℈ ij.
Spicæ nardi ℈ j. G̃ vij.
Muſci G̃ xiiij.
Ambracani ℈ j. G̃ vij.
Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

BRASS. Abſurdum videretur nos medicamentis locum præoccupare velle: de hoc enim agemus quando de aromatico roſato verba facturi erimus. SEN. De ſpeciebus igitur, id eſt pulueribus confectionis Eleſcoph agamus, quæ ex his conficiuntur.

℞. Scamonij
Turbith albi
Singulorum ʒ ij.
Gariophyllorum
Cinnamomi
Gingiberis
Myrobalanorum emblicorum
Nucis moſchatæ
Polypodij
Singulorum ʒ ij. ß.
Zuccari albi ʒ vj.
Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

BRASS. De hoc locuti ſumus in medicamentorum examine quæ pilulæ non ſunt, & catharticã vim habent. SEN. Fruſtra igitur hæc refero. BRAS. Non fruſtra quia in memoriam ſaltem illa reuocas, quæ niſi ſępius pertractentur, obliuioni traduntur. SEN. Puluerem igitur audito quem ad necandos vermes ſeruamus.

℞. Cinnamomi electi ʒ ij.
Gingiberis
Cornucerui vſti

Spodij

Spodij
Peoniæ
Corallorum rubrorum
Lupinorum
Dictamni
Coriandrorum præparatorum
Singulorum ʒ j.
Seminum caulium
Centonici
Sementinæ
Singulorum ℥ j.
Misce & fiat puluis subtilissimus.

BRAS. Et de hoc etiã puluere locuturi sumus, cùm de electuariis & vocatis cõfectionibus agemus. SE. Et pro diacymino conficiendo puluerem seruamus qui talis est.

℞. Cymini præparati ʒ vj.
Cinnamomi
Gariophyllorum
Singulorum ʒ iij.
Gingiberis ℥ ß. ℈ ß.
Galangæ ʒ j. ß.
Piperis
Satureiæ
Calamenthæ
Singulorum ʒ ij.
Piperis longi ʒ ß.
Spicæ nardi
Nucis moschatæ

Singulorum ℈ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

BRASS. Et de hoc in prædicto agemus loco. SEN. Puluerem igitur diarhodon abbatis contemplemur, qui hoc modo conficitur.

℞. Sandalorum alborum
Sandalorum rubrorum
Singulorum ʒ ij.ß.
Tragacanthi
Gummi arabici Spodij
Singulorum ℈ ij.
Aſſari
Spicæ
Maſtiches
Cardamomi maioris
Cardamomi minoris
Croci
Ligni aloës
Gariophyllorum
Galliæ moſchatæ
Seminum aniſorum
Seminũ fœniculorum
Cinnamomi
Seminum baſilici
Berberis
Seminum ſcariolæ
Seminum portulacæ
Maluæ

Lact

Lactucæ
Papaueris albi
Cydoniorum
Citruli
Melonis
Cucumeris
Cucurbitæ
Singulorum ℈ j.
Ossis de corde cerui
Margaritarum
Singulorum ℈ ß.
Zuccari candi
Rosarum rub.
Singulorum ℥ j. ß.
Succi glycyrrhizæ
Rhabarbari electi
Singulorum ℈ j.
Camphoræ G̃ vij.
Musci G̃ iij. ß.
Misce & fiat puluis subtilissimus.

BRAS. Neq; de hoc puluere vel tantillum verba facturi sumus, quoniam in libello de electuariis, de eo vt conuenit, verba faciemus. SEN. Abstinere non possum, quin pul uerem illum referam, ex quo diamuscum dulce conficimus, est verò hic.

℞. Croci
Doronici
Zedoariæ

bus vacuam cauitatem ſemper impleat. SEN. Omnino ille eſſe videtur, quē ſeruo modus. At Meſue negligere videtur an ex ferro ſit, an ex ligno. Sed ego experior ex ferro id magis efficere atq; plenius. BRAS. Dioſcorides eodem modo conficere videtur. SEN. Dioſcoridis modum & ipſius authoris verba referto. BRAS. Sumit ipſe (at de amararum amygdalarum oleo loquitur, quamuis idem ſit conficiendi modus) quartam modij amygdalarũ partem, quas purgat, hoc eſt à corticibus liberat, deinde areſcere ſinit, quod nobis indicium eſt à corticibus feruēti aqua liberaſſe, poſteà ita exiccatas piſtillo leuiter comprimit, quo ad in offam, vel in placentulam illas redegerit, deinde aſperſis feruentis aquæ laminis duabus, ſemiſſem horæ confundere ſinit, poſteà ab aqua eximit, & iterum in mortario contundit. Cùm verò ſecunda hac vice fuerint contuſæ, in alueolum ponit, vel in prelum ac exprimit. SEN. Non eſt magna differentia. At quid nunc dicis, cùm Dioſcorides aquā ſuperingerat, aquoſum igitur erit? BR. Omnino magis aquoſum erit, quàm ſi amygdalæ non fuiſſent aqua imbutæ. Nota verò Dioſcor. nō fuiſſe prima expreſsione contentũ, ſed amygdalas illas accepiſſe, quæ erant expreſſæ, &

aquæ laminam superinfudisse, paululúmq; fuisse, vt combiberẽt, deinde ab aqua exemisse, & iterum expreſsisse. SEN. Magna olei quantitas hac secunda vice exire nõ debet. BRA. Tanta exit, quanta exire potest. Verùm hoc oleũ cum præcedenti simul miscebant antiqui. SEN. Ex amygdalis verò ita conficiendo, quanta olei quãtitas emittitur? BRAS. Dioscorides dicit amygdalarum semodium, vnam olei heminam reddere. SE. Aliàs ex vna amygdalarum libra, quinq; vel sex olei vncias elicere solebam. Nunc cum meo illo ferreo instrumento ad octo, & nouem vncias educo. BRASS. Tuũ illud ferreum instrumentum gratiſsimum tibi esse debet, cùm te non modicè superlucrari faciat. SEN. Gratiſsimum mihi prorsus est instrumentum, tum quia vtile, tum quia à me inuentum. BRASS. A' te inuentum? fortè è ferro illud aliàs factum esse non constat, sed ex alia materia extitisse, ex Mesue sententia constat, qui in torculari concauitatem facit, & iuxta concauitatis capacitatem, quæ in torculari est, globum. non exprimit verò, num ex ferro, an ex ligno esse debeat: sed modum alium audito, quo oleũ istud efficitur. amygdalæ vehementer terendæ sunt, postea in feruentem aquam iniiciẽdæ, & ebullire sinendæ,

ping

Hasce
Anisorum
Singulorum ℥ j.
Spicæ
Amomi
Singulorum ℈ j. G̃ x.
Casſiæ
Seminum apij
Sileris montani
Asſari
Enulæ ſiccæ
Singulorum G̃ xv.
Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

BRAS. De diatrion pipereon ſuo agemus loco, propterea ne ipſius tractationem præoccupemus: tunc enim de illo agemus, quando in aliorum ordine erit pertractandum. mirum verò eſt quòd pulueres in pharmacopolis non ſeruetis, qui deſeruiant ſolum vt pulueres, & compoſitiones alias non ingrediantur. SEN. Cõſtrictuum puluerem ad hũc vſum ſeruamus. BRAS. Cuius authoris eſt? SEN. Eſt puluis (vt vocant) magiſtralis, qui certum non habet authorem, ſed ita in vſum receptus eſt. BRAS. Pulueris compoſitiones referto. SEN. Hæc eſt quæ ſequitur.

℞. Boli armeni
Terræ ſigillatæ

Nucum cyparißi
Seminum portulacæ
Myrtillorum
Acaciæ
Singulorum ℥ ß.
Seminum plantaginis
Gypsi
Singulorum ℥ ij.
Thuris albi
Sanguinis draconis
Singulorum ʒ ij.
Masticheś
Tragacanthi
Gummi arabici
Consolidæ maioris
Singulorum ʒ v.
Misce & fiat puluis subtilißimus.

BRAS. Cùm medici constrictiuum puluerem indicunt tu hunc præbes? SEN. Hunc semper præbeo, nisi medicus quispiam particulariter puluerem alium indixerit. BRASS. Sunt & alij Ferrariæ pharmacopolæ, qui hunc puluerem conficiunt, sed plura habent in compositione simplicia, quàm tu adduxeris. SENEX. Quæ nam? BRASS. Leporis pilos, chartam vstam, & furni fuliginem. SEN. Compositionẽ quàm alij parant integram adducito. nam memini me illam quãdoq; vidisse, in quo autem

loco

loco, mente non teneo. BRASS. Hæc eſt quam refero cōpoſitio, à tua etiā in ponderibus differens.

℞. Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Seminum portulacæ
Myrtillorum
Acaciæ
Pilorum leporis vſtorum
Seminum plantaginis
Chartæ vſtæ
Singulorum ℨ j.
Fuliginis furni
Gypſi
Singulorum ℨ iiij.
Sanguinis draconis
Thuris
Aloës
Singulorum ʒ ij.
Maſtiches
Tragacanthi
Gummi arabici
Conſolidæ maioris
Singulorum ʒ j.
Miſce & in puluerem redigantur.

SE. Percipio iam in hoc puluere, plura eſſe ſimplicia, quàm in meo. at meo haud pauci vſi ſunt, & valde profuit. BRASSA. In hoc puluere conficiendo nonnulli dicunt

crasso

crasso modo terenda esse simplicia, quod absurdum iudicare oportet. nam nõ solum sunt tenuissimè conterenda, sed etiam per cribrum ex pergameno eliquanda. SEN. Sumitur ne per os hic puluis? BRAS. Sumi nihil prohiberet, at eius frequentissimus est per extrinseca vsus, quando sanguis sistendus est: tunc enim oui albumen sumunt ac concutiunt, postea huic pulueri miscent, & stuppa, vel linteis, vel penicillis recipiunt, & supra locum è quo emanat sanguis imponunt. nõnulli oui albumine & plantaginis succo ad puluerem ipsum dissoluendum vtuntur. SEN. Idem est & pulueris quem seruo vsus. BRAS. Idem prorsus est, sed is quem adduxi magis adstringit. SEN. Omnes igitur aut meum seruant puluerem aut eum quem adduxisti? BRAS. Minimè omnium, nam multi alio vtuntur constrictiuo puluere, & aliũ seruãt. SE. Quẽ nã? BRA. Hũc qui sequitur.

℞. Boli armeni ℔ j.
Myrtillorum ℥ vj.
Sanguinis draconis ℥ iij.
Masticheſ
Thuris
Singulorum ℥ j.
Rof. rub.
Balaustiarum

Singulorum ℥ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

SEN. Puluis quem ſeruo eſt longè vehementior iſto. BRAS. Inficias minimè eo, & ille quem ſuperius adduxi eſt tuo vehementior. SEN. Extant ne alij, qui alium ſeruent? BRASS. Imò apud aliquos pharmacopolas hunc ſeruari vidi.

℞. Maſtiches
Thuris
Nucum cypariſsi
Antimonij
Corticum granatorum
Balauſtiarum
Copularum glandium
Singulorum ℨ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus.

SEN. Et ego quoq; hunc pulueꝛem ſeruo, ſed cùm alicui inteſtinum exit, illum tantum præbeo. BRAS. In hoc caſu ob id conuenit quia adſtringit, verum alij pharmacopolæ pro conſtrictiuo puluere hunc adhibent cùm ſimpliciter conſtrictiuus puluis indicitur, & prorſus conſtrictiuus eſt, non tamen aliorum comparatione, nam vehementius adſtringũt ſupraſcripti, & hic quẽ pro inteſtini recti exitu ſeruas, non tantum adſtringit, ſed etiam membra roborat, ſupra quæ ponitur. SEN. Sunt ne

antiqui

antiqui de aliquo constrictiuo puluere locuti? BRAS. Sunt prorsus. nam Galenus in quinto methodi medendi libro puluerem quendam describit, quo in omni sanguinis profluuio ad astringendum vtitur. SEN. Opto summoperè hunc Galeni puluerem addiscere. BRAS. Id statim efficies, nam suum puluerem ita Galenus conficit.

℞. Thuris partem vnam
Aloës partis vnius semissem
Misce & fiat puluis subtilissimus. SEN. Quomodo hoc puluere vsus est Galenus? BRAS. Illum cum oui albumine ad mellis crassitudinem subigit, postea pilo leporis mollissimo excipit, & loco supraponit, vnde sanguis emanat. SEN. Nonnullos vidi, qui medicamẽtum pilis non excipiunt, sed pilos potius minutim incidunt, & medicamento miscent. BRAS. Hoc non magnifacio, nam tot possent incisi pili accipi, quòd illis etiam medicamentum exciperetur. Aetius verò eodem vtitur medicamento, & pilis non excipit, sed lana, locóq; imponit. SEN. Alios etiam vidi, qui gosopion accipiebant. BRAS. Nonnulli etiam sunt, qui sequenti vtuntur constrictiuo puluere.

℞. Thuris
Aloës
Pilorum leporis vstorum

Boli armeni
Sanguinis draconis
Terræ ſigillatæ
Maſtiches
Singulorum ℥ j.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. SE. Qui nam eſt ipſius vſus modus? BRAS. Is qui ſuperius in aliis pulueribus dictus eſt, plantaginis ſucco miſcetur, & oui albumine, ſtuppáque excipitur. SEN. Ego nunquam vidi te conſtantem cùm pulueres conſtrictiuos indicis, ſed modo vno, modo alio vteris puluere. BRAS. Ita fieri neceſſarium eſt, cùm diuerſæ etiam ſint intentiones, ad quas ego vtor, & modo hunc adſtringẽtem puluerẽ, modo illum vt affectui quẽ curo, conuenit, mihi parandum iubeo, & nunc duo, nunc tria, nũc plura miſceo ſimplicia, vt plus, & minus, adſtringere animo eſt, & vt ſimul membra ipſa roborare intendo. SEN. Quo modo adſtringentia per magis & minus differunt? BRAS. Si omnia in ordinem quæ adſtringunt tibi referre voluerim, & ſecundum vires proprias, ſecundum magis & minus diſtinguere, nimis amplũ eſſet negotiũ. at paucula quædam per hunc ordinem tanquã omnium ſpecimen adducam, de quibus Galenus mentionem facit, in ſexto de compoſitione medicamento-

rum

rum ſecundum locos capite tertio. SE. Hæc haud oſcitanter expecto, & ore aperto à te deprehendere incipio. BRAS. Hæc moderatè adſtringunt, roſæ, roſarum flos, palmulæ, phœnicobalani, pampini vitis, rubus, rubus caninus, aſpalatum, cyperum, cycinũ, ſiliquæ mori, mori radices, hypociſthis, mala auſtera, pira acerba, ſorba, rheõ, aloë, iunci rotundi odorati flos, radix nardi indicæ, radix nardi communis. SENEX. Quæ poſt hæc vehementius adſtringunt? BRAS. His fortiora ſunt, neq; manifeſtam habent aſperitudinem, fructus ſpicæ Aegyptiæ, rheon, diphryges, rhus obſoniorum, balauſtium, cycini, malicorium, galla, galla omphacitis, baccę myrthi, cotonea acerba, virgulta tenera ilicis, arbuti, ſmilacis, phagi glandes, corna, meſpila, fructus memœcilli. eximiè verò adſtringentia ſunt, omnia aluminis genera, ſed ſciſſum eſt tenuiorum partium, ideo vtilius, atramentum ſutorium, tamen aliquid habet caliditatis. SEN. Acaciæ nullam mentionem feciſti. BRAS. Sub Aegyptia ſpina continetur. SEN. Neq; de bolo armeno, aut terra ſigillata verba habuiſti. BRAS. Inter mediocriter adſtringentia numeranda ſunt. at hîc locus nõ eſt de adſtringẽtibus omnibus pertractandi. tibi autem in pręſentiarum ſatis

ſit, vt hæc ex Galeno ſumpta pro exemplo poſuerim, vt tu ipſe alia ex his inuenire queas. SEN. Cuperem vt tu conſtrictiuum quendam puluerem conficeres, qui vehementiſsimus eſſet. BRAS. Hic eſt vehemẽtiſsimus adſtrictorius puluis.

℞. Aſpalati
Muſci
Helenij
Myrrhæ
Thuris
Thuris corticis
Maſtiches
Nucum cypariſsi
Myrices
Cyperi
Hypociſtidis
Litij
Acaciæ
Rhu obſoniorum
Nucleorum pineorum
Balauſtiarum
Malicorij
Buccinorum
Eboris
Cornu cerui
Seminum plantaginis
Seminum hederæ
Aloës

Sarcocollæ
Symphyti
Mororum rubrorum exiccatorum
Psylij
Myrtillorum
Plumbi cremati
Aluminis liquidi
Pumicis
Gypsi
Corallorum alborum
Lapidis hæmatitis
Gallæ omphancitidis
Cornum fructus
Maceris
Mastiches
Consolidæ maioris
Singulorum ℨ iij.
Lapidis armeni
Boli armeni
Terræ sigillatæ
Squamæ ferri
Aluminis scissilis
Atramenti sutorij
Singulorum ℨ ij.

Misce & fiat puluis subtilissimus. cuius vsus erit ad omnia adstringēda, quæ adstrictione indigent. SEN. Arbitror tuum hunc pulverem omnia cōplecti, quæ adstrictoriam vim habere scripta sunt. BRAS. Multò plu-

ra sunt adstringentia, quàm illa quæ compositioné ingrediuntur, tamen multa sunt, & talia quæ nunquam te decipient, si puluere isto vtaris, qui & per os insumi potest, & extrinsecus adhiberi, & per clysteres iniici, vt adstrictione indigemus & ratione loci in quo fieri debet. SEN. Posset tamen & ex paucioribus fieri adstringẽtibus simplicibus. BRASSA. Posset profectò, & ego quandoq; duo aut tria indico, vt illis opus habeo. at in præsentiarum reliquos pulueres quos seruas, adducito.

SENEX.

Et capitalem temperatum puluerem seruamus. BRAS. Nónne & frigidum seruatis atque calidum? SEN. Minimè omnium. BRAS. Ergo cũ capitalis puluis indicitur, siue calidus dicatur, siue frigidus, siue temperatus, hunc semper adhibetis, quem temperatum vocasti? SE. Hunc semper adhibemus, & ita præceptor meus faciebat, & ego ad hanc vsq; ætatem semper feci, si aliũ me facturũ edocebis, illum deinceps cõficiam, ac seruabo. BRAS. Necessarium erit pulueres istos, secundum has tres intentiones distinguere, & vnumquenque seorsum paratum seruare, ne talis deinceps error contingat, qualem ad hoc vsque tempus semper commisisti. nunc verò tuum illum referto

capit

capitalem puluerem, quem ſeruas temperatum. SE. Hic eſt quem refero.


℞. Sandaracæ
Roſ. rub.
Nucum cypariſsi
Myrtillorum
Corticum thuris
Maſtiches
Gariophyllorum
Singulorum ℥ ß.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. BRAS. Gariophylla, contra reliqua ſimplicia ſola pugnant, tamen ad temperiem quodammodo accedunt. at ne putes vnumquenque tuo modo conficere, cùm nonnulli ſint, qui capitalem puluerem hoc modo componant.

℞. Florum chamæmeli
Florum ſtœcadis
Florum meliloti
Singulorum Man. ß.
Maſtiches
Macis
Cubebarum
Nucis moſchatæ
Corticum citri
Roſ. rub.
Singulorum ℥ j.
Corallorum rubrorum ℈ ij.

Salis vsti ℈ iiij.

Conterantur hæc & in puluerem redigantur, ac supra coronalem commissuram extendatur. SEN. Præceptor meus hac compositione vtebatur ad sacculum conficiendum supra caput imponendum. BRASSA. Nihil impedit sacculum fieri, & hoc puluere impleri, ac supra caput poni. SEN. Quænam debet esse sacculi forma supra caput imponẽdi? BR. Si vna & lambdæ cõmissura roboratione indigeat, hęc est sacculi forma



qui his pulueribus implendus est, & capiti supraponendus. nota verò nonnullos sub aliis ponderibus hũc puluerem seruare. SE. Quonam modo? BRAS. Isto qui sequitur.

℞. Florum chamæmeli
Florum stœcadis
Maioranæ
Singulorum Man. ß.
Macis
Masticheѕ
Singulorum ℥ j.

Cora

Corallorum rubrorum ℈ j.
Cubebarum
Nucis moſchatæ
Corticum citri
Roſarum
Singulorum ℥ j.
Salis vſti ℈ iiij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. SE. Pauca eſt in hoc, & in ſuperiori differentia. BR. Pauciſsima omnino, quoniam præcedens deſcriptio recipit corallorum rubrorum ℈ ij. hæc verò recipit corallorum rubrorum ℈ j. in reliquis conueniunt. SEN. Vidi ego pharmacopolas, qui ſequentem ſeruabant puluerem, & nunc ſeruant, & pro capitali omnibus vendunt. BRAS. Nōdum vidi qui nam puluis ſequatur. SEN. Neq; videbis, ſed audies. ita enim conficiunt.

℞. Sarcocollæ
Thuris
Iridis
Sanguinis draconis
Myrrhæ
Ariſtolochiæ longæ
Farinæ hordei
Aloës
Singulorum partes æquales.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. BRAS. Eſt Auicennæ puluis, ſed qui non ponitur

ſupra caput, ad roborandum, niſi vlcus in capite adfuerit, nam de hoç puluere Auicenna agit, vbi de cranei fractura verba facit, quoniam poſt vlceris concoctionem ac emendationem eo vtitur, vt caro ſub detecto oſſe generetur. SEN. Quos pulueres ad hoc propoſitum iuberes tu ſeruaturos eſſe? BRAS. Optarem vt hunc temperatum ſeruares, & cùm temperatum puluerem capitalem indixero, hunc præberes.

℞. Roſ. rub.
Balauſtiarum
Maſtiches
Singulorum ℥ ij.
Macis
Thuris
Myrtillorum
Singulorum ℥ j.
Nucum cypariſsi
Stœcadis
Singulorum ℥ j. ß.

Miſce & fiat puluis tenuiſsimus. SEN. Multa calida puluerem hunc ingrediuntur. BRAS. Si frigida calidis comparabis, totam compoſitionem ad temperiem accedere percipies, cùm verò capitalem puluerẽ frigidũ indixero, hũc qui ſequitur prębeto.

℞. Boli armeni
Roſ. rub.

Myrt

Myrtillorum
Maſtiches
Balauſtiarum
Corallorum rubrorum
Gummi arabici
Terræ ſigillatæ
Singulorum ʒ ij.

Miſce & fiat puluis tenuiſsimus. SEN. Non videtur multū frigidus hic puluis. BRAS. nec caput vehementer infrigidandum eſt, in quo ſcilicet frigidiſsimum continetur membrum, adde non debere eſſe valde frigidum, quia frigidi natura eſt obſtruere. SEN. Tamen in phrenitide maximè infrigidamus ex oxyrhodino, & non fit obſtructio. BRAS. In oxyrhodino acetū adeſt quod penetrat ac incidit: idcirco non obſtruit, imò non conueniret ſi obſtrueret, nunc calidum capitalem pulverem audito.

℞. Nucis moſchatæ
Macis
Corticum citrorum
Stœcadis
Maioranæ
Hyſſopi
Acori
Cubebarum
Iridis illiricæ
Coſti

Menthæ
Singulorum ℥ j.
Gariophyllorum
Cinnamomi
Singulorum ℥ ij.
Euphorbij ℈ j.

Misce & fiat puluis tenuissimus, quo etiam sacculus fieri poterit, & commissuris supraponi. at si puluerem absque sacculo commissuris applicare volueris, in frigido puluere commissuras myrtino oleo vel rosaceo prius delinias, postea frigidum puluerem supraspargito, pro temperato puluere oleo rosaceo vel chamomelino commissuras delinito. cùm verò calidus puluis applicandus erit, nardino oleo commissuræ delinendæ sunt, vel oleo de nuce myristica, quia oleorum vires puluerum viribus simi les esse debent, qui commissuris supraponuntur. SEN. Deinceps in tui gratiam hæc tria puluerum genera parata seruabo, vt cùm indixeris, distinctè præbere possim. BRASSA. Alia iam prosequaris puluerum genera.

SENEX.

Seruamus & puluerem sanctum nuncupatum. BRASSAV. Et si de hoc puluere in catharticis locuti simus medicamentis, tamen ab re non erit compositionem saltem referre

referre. examen verò si quispiam scire voluerit, ad libellum de catharticis recurrat, in quo omnia sunt aperta. SENEX. Ipsum igitur puluerem adducam. BRAS. Id facito. SEN. En adduco.

℞. Folliculorum senæ ℥ j. ß.
Tartari albi ʒ ij.
Gingiberis ʒ ß.
Misce & fiat puluis. BRASSAVOL. Alij hunc puluerem ex elaterio conficiunt, ac reliquis supradictis, tamen de hac re in præsentiarum nos minimè loquemur, sed te potius ad alia referenda excitabimus.

SENEX.

Seruamus & senæ puluerem. BRAS. Tamen & ille quem sanctum nominasti senæ puluis est. at de illo etiam in libello de medicamentis catharticis, quæ pilulæ non sunt verba fecimus, vnde te pulerem referre satis erit. SEN. Senæ puluis hic est.

℞. Foliorum senæ
Tartari albi
Singulorum ℥ ij.
Gariophyllorum
Cinnamomi
Galangæ
Amidis
Singulorum ʒ ij.

Diagridij ʒ iiij.

Miſce & fiat puluis. BRAS. De hoc puluere illa in memoriã reducito, quæ in libello de catharticis medicamentis quæ non ſunt in pilularum forma ſcripta reliquimus. SEN. Alios ergo referam quos ſeruamus pulueres. BRAS. Iam referto.

SENEX.

Inter illos quos ſeruamus pulueres, puluis cordialis temperatus ſuum ordinẽ habet. BRAS. Alios ne à temperato ſeruatis? SEN. Et frigidum ſeruamus. BRAS. Calidum verò non ſeruatis? SEN. Alium nõ ſeruamus à temperato, & frigido puluerem. BRAS. Hoc fortè probe effectum eſt. SEN. Quam ob rem? BRAS. Quia cor nunquam calefaciendum eſt, etiam ſi frigidiſsimum ſit. at cum calefactione indiget talibus calidis vti debemus, quæ ad temperiem accedant, & ad calidum dependeant, non autem his, quæ cordis caliditatem nimis augere poſſent. at puluerem hunc tuum pro corde temperatum contemplemur. SEN. Eſt hic quem refero.

℞. Roſ. rub.
Florum boraginis
Florum buglosſi
Florum violarum
Singulorum ʒ. vj.

Sandal

Sandalorum alborum
Sandalorum rubrorũ
Singulorum ℥ ij.
Charabe
Corticum citri
Singulorum ℥ j. ℈ j.
Spodij ℥ j.
Gariophyllorum
Macis
Croci
Singulorum ℈ j.
Ossis de corde cerui ℥ ß.
Been albi
Been rubri
Singulorum ℥ iij.
Misce & fiat puluis.

Quidam volunt cõtundendum esse crasso modo, alij tenuissimè. BR. Cũ his facio qui in tenuissimũ puluerẽ cõminuendum esse monent, quando eo indigemus. SEN. Ita facimus, illum seruamus in frustula concisum, vel mediocriter contusum, postea cum vti voluerimus eum in tenuissimum puluerem redigimus. BRASSA. Hoc prudentè effectum est, ne à tenuissimo illo puluere vis effluat medicamentosa, & ideo pro pulueribus seruãdis hæc vna sit regula, primo crasso quodam modo contundantur, quousq; oportunitas contingat, qua illo vti

voluer

voluerimus, tunc in tenuissimum puluerem facilè redigetur, vel etiã integra simplicia seruẽtur, quoad ipsis vti voluerimus, & tunc in tenuissimum puluerem redigantur. SEN. Nónne est temperatus eiuscemodi puluis? BRAS. A' temperato nonnihil declinat, tamen alij sunt qui alio vtuntur pro corde temperato puluere. SEN. Quonam? BRAS. Isto.

℞. Rubini
Granatæ
Iacinthi
Smaragdi
Saphiri
Singulorum ℈ j.
Margaritarum non perforatarum ℈ j.
Corallorum rubrorum
Corallorum alborum
Ossis de corde cerui
Cornu vnicornis
Singulorum ℈ ß.
Musci
Ambræ
Singulorum G̃ iiij.
Foliorum auri
Foliorum argenti
Singulorum folia. vj.

Omnia subtilissimè pulcerizentur & per linteum eliquentur prẹter aurum & argentum

tum, quæ postea addantur, aliqui sunt, qui hunc seruant (vt vocant) cordialem puluerem. SEN. Quid tu de hac cõpositione sentis? BRAS. Quid aliud quàm quòd aliâs dixi? cõpositiones quæ pretiosos recipiunt lapides, & aurum ac argentum, vanas esse, nisi sint coronæ regię, aut pontificum infulæ. nam lapides illi pretiosi præter id quod vitra sunt, etiam si essent veri lapides, vires illas ad cor non habere arbitramur, quas arabes authores illis imponunt, idcirco quantũ in me sit potius probo compositionem à te adductã, quàm hanc in præsentiarum à me relatam, & à multis pro cordiali puluere seruatã. SEN. Vidi ego & alios qui cordialem vocatũ puluerẽ seruabãt, ad epithemata cõficienda, & pretiosorũ lapidum fragmẽta recipit, tamẽ & multa alia etiam recipit præter pretiosa fragmenta. BRAS. illum referto. SEN. Hic est qui sequitur.

℞. Florum buglossi
Florum boraginis
Florum melissæ
  Singulorum Man. ß.
Sandalorum alborum
Sandalorum rubrorũ
Sandalorum citrinorũ
Ros. rubrarum
  Singulorum ʒ ij.

Doronici
Been albi
Been rubri
Carabæ
Oſsis de corde cerui
Singulorum ℈ iiij.
Corticum citri
Seminis acetoſæ
Ligni aloës
Gariophyllorum
Singulorum ʒ j. ß.
Croci ℈ ß.
Margaritarum ʒ ß.
Muſci G̃ iij.
Camphoræ G̃ vj.
Rubini
Granati
Iacinthi
Smaragdi
Saphiri
Singulorum ʒ j.
Corallorum rubrorũ
Corallorum alborum
Spodij
Singulorum ʒ ß.
Vnumquodq; horum ſimplicium ſeorſum in puluerem redigatur, poſtea vnà miſcean tur, ex hoc deinde puluere cum aceto, vino cretico, aqua roſacea, & aliis aquis, vt
melissæ

melissæ, boraginis, buglosi, acetosæ, epithemata conficiunt. BRASSA. Idem nunc repeto, me scilicet nullam in his pretiosis lapillulis habere spem, nisi magni haberentur, & multa pecuniarum summa venderentur. at si pulueres, vel in epithematibus, vel quocunq; alio modo cordi non applicantur vt calefaciant, vel vt frigefaciant, quando videlicet hæc pretiosa fragmenta recipiũt, sed solum vt cor ipsum roborent. veruntamen alios etiam vidi pharmacopolas, qui ad sacculos pro corde roborando conficiendos sequentem puluerem seruabant. SEN. Illum audire expecto. BRAS. Hic est, ne amplius expectes.

℞. Florum boraginis
Florum buglosi
Florum melissæ
Singulorum ℥ ß.
Rosarum rubrarum ʒ ij.
Florum chamæmeli
Florum roris marini
Singulorum ʒ j ß.
Sandalorum alborum
Sandalorum rubrorũ
Sandalorum citrinorũ
Been albi
Been rubri
Boli armeni

Ossis de corde cerui
Singulorum ʒ j.
Corallorum rubrorum
Seminum acetosæ
Corticum citri
Singulorum ʒ ß.
Ligni aloës
Spodij
Singulorum ℈ ij.
Croci
Setæ crudæ
Singulorum G̃ x.
Camphoræ ℈ ß.

Vnumquodque crasso modo puluerizetur, ac misceatur. SEN. Pro conficiendis sacculis conuenit vt contritio crasso modo fiat, pro epithematibus autem debent tenuis simplicia in pollinem conteri. at perdurant ne diu puluerès? BRAS. Tantum perdurant, quantum simplicium vis in ipsis permanet, & odor, ac sapor seruatur. SEN. Ego mihi pulueres paro per duos mēses BRAS. Fortè neque eorum vis tandiu perdurat, tamen puluerum crasso modo cōtritorum vis diutius permanet, quàm in pollinem contritorum. SEN. Nosco & pharmacopolas qui hunc sequentem seruant puluerem.

℞. Zaphiri
Hyacinthi

Rubini
Smaragdi
Granatæ
Singulorum ʒ ß.
Corallorum rubrorũ
Corallorum alborum
Osſis de corde cerui
Spodij
Limaturæ auri
Argenti
Charabæ
Singulorum ʒ ij.
Croci
Xyloaloës
Singulorum ʒ j.
Cinnamomi electi ʒ iij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. BRAS. Eſt puluis à Nicolao Florentino confectus libro quarto in capite de ſyncope, quo vti poſſumus ad epithemata, ad cataplaſmata, ad linimenta, ad ſacculos, vt alia illi cõmiſcebimus. SEN. Sit vel Nicolai Florentini, vel alterius, nihil ad rem facit. BRAS. Nota verò nonnullos in hoc puluere etiã addere.

Criſtalli
Ambræ
Singulorum ʒ ß.

SEN. Hoc ignorabam. BRAS. Nunc non ignoras, aliqui præterea extãt Venetiis qui

pro temperatis conficiendis pro calido cor
de sacculis alium seruent puluerem. SEN.
Quem nam? BRAS. Hunc qui sequitur.

℞. Sandalorum rubrorum
Sandalorum citrinorum
Rosarum
Corallorum alborum
Corallorum rubrorũ
Spodij
Camphoræ
Foliorum myrti
Boraginis
Singulorum ℥ j.
Been albi, rubri
Corticum citri
Nucis moschatæ
Spicæ
Ossis de corde cerui
Granæ tinctorum
Foliorum lauri
Gariophyllorum
Zedoariæ
Ligni aloës
Ozimi
Roris marini
Cubebarum
Mellissæ
Singulorum ℈ j.
Musci G̃ iiij.

Ambræ
Croci
Singulorum ℥ iij.

Contundantur,& fiat puluis qui pro conficiendis ſacculis reſeruetur. SEN. Eſt magna compoſitio. BRAS. Imò eſt confuſa, neq; combuſtam ſetam in compoſitionem aliquam recipiẽdum voluerim. de oſſe autem de corde cerui, quòd eſt chartilago quędam neruea, nihil in præſentiarum loquor. nam nullas pro corde habere vires non dubito. at hæc pro temperato puluere qui ad cordis affectus conferat ſint ſatis, nunc de frigido verba faciamus, aliqui pro corde, hunc ſeruant frigidum puluerem.

℞. Roſarum
Florum bugloſsi
Florum boraginis
Singulorum ʒ ij.ß.
Corticum citri
Foliorum myrti
Corallorum alborum
Corallorum rubrorum
Coriandrorum præparatorum
Sandalorum rubrorum
Sandalorum citrinorum
Singulorum ʒ j.ß.
Camphoræ ℈ j.
Miſce & fiat puluis.

SEN. Hic non eſt frigidus puluis quem ſer
uo, ſed pro conficiendis ſacculis pro corde
calido hunc potius ſeruari vidi. BRASSA.
Tuum igitur hunc frigidum cordialem (vt
aliorum verbis vtar) puluerem explicato.
SEN. Iam explico.

℞. Roſ. rub.
Florum violarum
Florum boraginis
Florum bugloſsi
Singulorum ʒ vj.
Triaſandalorum
Charabæ
Spodij
Corallorum rubrorum
Corallorum alborum
Myrtillorum
Corticum citri
Singulorum ʒ ij. ß.
Macis
Nucis moſchatæ
Croci
Ligni aloës
Been albi
Been rubri
Singulorum ʒ ß.
Meliſſæ
Baſiliconis
Florum nenupharis

Sing

Singulorum ℥ ij.
Camphoræ
Osſis de corde cerui
Singulorum G̃ xv.
Miſce & fiat puluis.

BRAS. Neq; hic eſt ita frigidus puluis vt fieri poteſt, ſed fortè is qui compoſuit, calida addidit vt frigida penetrare facerent, quoniam frigida ſuapte natura ſunt ad penetrandũ inepta. at alij ſunt Ferrariæ pharmacopolæ qui puluerem alium pro corde magis frigidum ſeruant? SEN. Qui nam eſt? BRAS. Hic qui ſequitur.

℞. Roſ. rub.
Florum nenupharis
Florum boraginis
Florum bugloſsi
Florum violarum
Singulorum ℥ ß.
Sandalorum alborum
Sandalorum rubrorum
Sandalorum citrinorum
Raſuræ eboris
Corallorum alborum
Corallorum rubrorum
Singulorum ʒ ij.
Coriandrorum ℥ ß.
Lambruſcæ
Semen acetoſæ

Singulorum ℨ j.
Osſis de corde cerui ℈ ij.
Margaritarum ℈ iiij.
Camphoræ ℨ j.
Croci ℈ ß.
Miſce & fiat puluis.

SEN. Hic prorſus eſt prædicto frigidior. BRAS. Nulli dubium eſt, quia nihil recipit calidi, vel euidenter ac inſigniter calidi. SEN. Arbitror pulueres pro corde adductos eſſe omnes ad id propoſitum qui à diuerſis pharmacopolis per totam Italiam ſeruantur. BRAS. Adducam & alium puluerẽ, qui pro corde ſeruatur, ac per os ſumitur, vnde & zuccarum recipit. SEN. Nũquam audiui pulueres pro corde, zuccarum recipere. BRASSA. Hoc deinceps dicere non poteris, quoniam hanc pulueris compoſitionem tibi referam per os ſumendam, quanquam & nihil impediret eo in epithematibus vti. eſt verò hic qui ſequitur ne illum deſideres.

℞. Corallorum alborum
Corallorum rubrorum
Terræ ſigillatæ
Singulorum ℥ ß.
Raſuræ eboris
Cornu cerui
Singulorum ℨ ij.

Corian

Coriandrorum præparatorum
Spodij
Rosarum
Singulorum ℈ ij.
Seminis acetosæ
Saphiri
Rubini
Smaragdi
Hyacinthi
Granatæ
Ossis de corde cerui
Singulorum ʒ ß.
Zuccari albi ℥ iij.
Foliorum auri
Foliorum argenti
Numero xxv.

Cōterantur omnia subtilissimè & seruetur. SEN. Zuccarum profectò non reciperet nisi per os insumeretur. at fragmenta illa per os insumere, an tutū sit ignoro. ERAS. tutū quidem est, sed ob quē finē recipiātur, me latet. nam non arbitror illas habere vires, quas illis attribuunt arabes. secus verò est pro vna intentione pro roborādo corde puluerem adhibere, aliud pro alia. SEN. Quid ex tuis his verbis intelligere statuisti? BRA. Istud, quod pro corde pulueres quandoque seruantur ad cor à venenosis materiebus tuendum, quandoque

ad

ad infrigidandum, quandoque ad calefaciendum, & quandoque per extrinſeca, quandoq; per intrinſeca, quoniam his pulueribus extrinſecus vtimur, ex ipſis epithemata parando. intrinſecus verò in potu præbendo, vel in catapotia redactis transglutiendo. SEN. Deſiderio quodam agitor quempiam pro corde puluerem ex his qui illud roborant, & à materiebus venenoſis tuentur ſeruare. BRAS. Pulueris compoſitionem te edocebo, ſed nunquam vendes, niſi egomet indixero, aut ex meis diſcipulis quiſpiam. SEN. Et hoc mihi erit ſatis, nam plura à te ſingulis annis in meo pharmacopolio pro ægrotis indicuntur, quàm ab aliis huius vrbis decem medicis ſimul indicãtur, verum ſi aliqua contigeret peſtilẽtia, ego eo in epithematibus vterer, & per os pręberem. BRA. Hic eſt pro corde puluis qui venenoſis materiebus aduerſatur, & aëri venenoſo ac peſtilenti obſiſtit, quem te ſeruaturum deinceps moneo. SEN. Non deficiam quin ſeruem, ſed illum referto. BRAS. Iam refero.

℞. Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Corallorum rub.
Corticum citri
Singulorum ℥ j.

Scordei
Calendulæ
Giragæ, id eſt, polemonij
Thlaſpi
Singulorum ʒ ij.
Cinnamomi
Roſ.rub.
Singulorum ʒ j.ß.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus, quo ad epithemata vti poteris, & ſi per os inſumẽda volueris adde zuccari ad pondus omnium, & cinnamomi quantitatem auge, vt ad tres drachmas perueniat. nam tunc magis ſapiet. SEN. Cur in hoc puluere os de corde cerui non poſuiſti, ſpodium, eboris raſuram, & pretioſos lapillos? BRAS. Quia ad hoc negotium nihil prorſus conferre arbitror, nam à nullo authore fide digno proditum eſt, neque vllam habent manifeſtam qualitatem, qua hoc efficere poſsint. at illa omnia quę in præſcripta cõpoſitione extant, apud antiquos authores reperiri conſtat, & ad ea peragenda quæ diximus apta eſſe teſtantur, neſcio etenim quid valere poſsit ad corroborandum chartilago illa neruea, quæ in cerui corde reperitur, minúsq; ſcio quomodo ad idem præſtandum cõferat ſpodiũ, ac pretioſi illi lapilluli, imò ſi quid ex his eſſet cui hoc

præſtari

præstari posse considerem , potissimum
essent margaritæ, quibus tamen modicam
fidem adhibeo, & nullam prorsus auro &
argento, nisi ratione qua copiosè habẽtur,
& ad necessarias res emendas quibus frui-
mur expenduntur. SEN. Si hæ compositio-
nes quas adduxi tibi minimè placuerint tu
aliqua parandam edoceto, nam ego illam
in tui gratiã seruabo. BRAS. Nõ ne serua-
tis puluerem pro corde calidum? SEN. Ego
nõ seruo, neq; aliquem audiui qui seruaret.
BRAS. Cur nõ seruatis? SEN. Ignoro. BRAS.
Fortè hæc causa quia cor calidissimum est
omnium mẽbrorum quę in corpore conti-
nẽtur, idcirco refrigeratione aliqua semper
indiget, vt pulueres illi qui temperati di-
cuntur calidorum vice fungantur . nam
maiorem nõ exigit caliditatem quàm illa
sit, quæ in temperatis continetur pulueri-
bus cor, hanc ob rem nemo calidũ puluerẽ
pro corde seruauit. at temperato pro calido
vtuntur. SE. Nũquam audiui medicum ali-
quem , qui puluerem pro corde calidum
indiceret, sed tẽperatũ indicentes audiui, cũ
epithemata fieri volunt. BRAS. Id fit ob id
quod à me dictũ est, cùm à medicis puluis
pro corde frigidus indicitur, illum præbe
frigidũ quẽ vltimo loco adduximus, & cũ
tẽperatũ indicunt illũ præbe, quẽ tu cõficis.

ego autẽ hos pulueres nũquã indicam, sed statim puluerem mihi parabo, cum eo pro meis ægrotis indigebo, tamẽ pro horũ puluerum forma ex simplicibus qui cordi vere conferunt, hic qui sequitur est puluis pro corde frigidus, quem seruandũ voluerim.

℞. Florum nenupharis lutei
Ros.rub.
Florum violarum
Florum boraginis
Florum buglossi
Florum labruscæ
Se.acetosæ
Singulorum ʒ vj.
Corallorum rubrorum
Terræ sigillatæ
Boli armeni
Singulorum ʒ ij.
Sandalorum rubrorum
Sandalorum luteorum
Singulorum ʒ iiij.
Camphoræ
Myrtillorum
Singulorum ʒ j.
Croci ℈ j.
Ambracani G̃ iiij.

Misce & fiat puluis subtilissimus, qui præbeatur quando puluis pro corde frigidus à medicis indicitur. SE. Ego deinceps hunc

parabo. BRA. Si temperatum conficere voluẽris id facilè efficies, ſi hæc quæ ſequũtur ſimplicia prædictæ cõpoſitioni addideris.

℞. Macis
Nucis moſchatæ
Cinnamomi
Ligni aloës
Corticum citri
Singulorum ℥ ij.
Muſci Ǧ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus, & pręcedenti pulueri miſceatur, quo poteris etiam pro calido vti, quoniam cor ſimpliciter calida non exigit, tamen ſi alicui placeret calidum puluerem parare, id facilè fiet, ſi ſupraſcripta ſimplicia tantum ſumantur gariophyllis additis, & in puluerem redactis, ſed calidis ſolum nunquam indiget cor. nunc alios proſequaris pulueres qui in pharmacopolis ſeruantur. SEN. Nullos alios (quod ſciuerim) ſeruo. BRAS. Tamen alij etiam apud alios ſeruantur pharmacopolas. SEN. Fortè ex ſimplici re. nam & ego omnium ferè ſimplicium puluerem ſeruo. BRAS. At hoc non probo, cùm melius ſit tunc in puluerem redigere cùm medici eo indigẽt, & pulueres quos dixi ab aliis ſeruari pharmacopolis nõ ſunt ſimplices, ſed ex diuerſis compoſiti. SEN. Tu illos referto.

BRASSAVOLVS.

Multi incarnatiuum vocatum puluerem ſeruant, quem ſupra vlcera quæ exiccatione indigent ſpargunt, quoniam ob nimiam humiditatem caro in ipſis augeri non poteſt. SE. Ex quibus conficitur ſimplicibus? BRAS. Ex his.

℞. Maſtiches
Sarcocollæ
Sanguinis draconis
Boli armeni
Corticum thuris
Myrrhæ
Lithargirij
Aloës
Singulorum ℥ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus. SEN. Ferrarienſes chirurgos video compoſitiones ſemper indicere vt illis videtur, cùm his pulueribus indigent. BRAS. Tamen & nõnulli Ferrariæ, Venetiis ac Romæ hunc prædictum ſeruant, & cùm puluis incarnatiuus indicitur præbent. SEN. Alios proſequaris pulueres quos minimè ſeruo, tamen apud aliquos in vſu ſunt.

BRASSAVOLVS.

Nonnulli ſunt, qui pro virilis membri exanthematibus puluerem ſeruant, quem vulgò vocãt puluerem pro tarolis. SE. Ego

quandoque hunc puluerem seruaui, sed postea animaduerti me nunquã illum vendere, idcirco illum cõficere ac seruare prætermisi. BRAS. Tu nullum debes habere cum tonsoribus commercium, & cum nõnullis qui temerè medentur. SEN. Neque cum his partem vllam habere volo. BRAS. Sed hi sunt, qui hos pulueres vendi faciunt, & quæ ingrediuntur ignorãt, imò si etiam scirent quæ simplicia ingrediantur, eorum tamen vires ignorãt. SEN. Hunc puluerem referto, nam statim an is sit quem seruabam percipiam. BRAS. Pro virilis membri exanthematibus hic est puluis.

℞. Aloës
Tutiæ præparatæ
Turis
Boracis
Cucurbitæ
Lithargirij
Aluminis rochæ
Tartari
Aristolochiæ rotundæ
Iridis
Boli armeni
Singulorum ʒ iij.
Camphoræ ʒ ß.
Zuccari albi ℥ ß.
Misce & fiat puluis subtilissimus.

SEN.

SEN. Hic est præcise puluis quem ego seruabam. BRAS. Mihi subiit mente causa, cur illum amplius non vendis. SEN. Quæ nam est? BRAS. Quia omnes vocato præcipitato vtũtur, in puluerem redacto, nam hoc breuissimè eiuscemodi exanthemata tot prætermissis simplicibus in sanitatem restituit. SEN. Ego etiam seruare solebam puluerem quendam ad virile membrum vlceratum. BRAS. Et multi pharmacolæ illum seruant, quem referre ne pigeat. SE. Ille quem seruabam hic est.

℞. Gallarum
Aloës
Singulorum ℥ ß.
Zuccari albi
Sanguinis draconis
Singulorum ʒ ij.

Misce & fiat puluis, cuius vsus est primò aqua aluminosa locum abluere, postea puluerem supraponere. BRAS. At hi pulueres nihil sunt, si præcipitato comparentur, verum horum vsus sit prius, vt à leuioribus curatio exordiatur.

BRASSAVOLVS.

Miror autem, quòd puluerem aduersus lumbricos nõ serues. SE. Imò seruo. BRAS. Tamen non retulisti. SEN. Eram oblitus, sed hanc compositionem in meo seruo

pharmacopolio.

℞. Seminis portulacæ ʒ j.
Musci G̃ iiij.
Corallorum rubrorum
Coriandrorum præparatorum
Singulorum ʒ j.
Seminis attriplicis ℥ ß.

Misce & fiat puluis, qui cum vino præbeatur potenti, vel aqua decoctionis radicum graminis, vel agrimonij, dosis est ʒ ß. vel G̃ iij. BRAS. Nescio cur tam pauca copia præbeatur. SEN. Ita audiui. BRAS. Quando ego puluerem pro vermibus indico, tu hunc præbes? SEN. Hunc met. BRAS. O Dij immortales nihil ferè habet, vel modicum quid, quòd vermibus aduersetur, sed de aliis quibusdam miror pharmacopolis, qui libistici radicem sumunt, ac exiccant in furno cùm panis eductus fuerit, postea in puluerem redigunt, & cùm pro vermibus puluis indicitur præbent. SEN. Non conuenit? BRAS. Meliora adsunt, & vermibus magis propria, quis aut tibi persuasit, vt talem pro vermibus seruares puluerem? SEN. Nullus, sed præceptorem meum secutus sum virũ grauissimũ, qui puluerem ita paratum seruabat, veruntamen & alium pro vermibus seruabat puluerem præceptor meus, quem semel tantũ confeci, quia mihi

mihi videbatur potius pro corde puluis.
BRAS. Illum referto. SEN. En refero.
℞. Cornu cerui vſti
Granellæ præparatæ
Dictamni
Seminum caulium
Sem. acetoſæ
Sem. coriandrorum præparatorum
Sem. portulacæ
Oſsis de corde cerui
Singulorum ʒ ß.
Lapidum pretioſorum
Singulorum ʒ j.
Rhabarbari electi ʒ j. ß.
Foliorum auri nu. vj.
Sem. libiſtici ℈ iiij.
Miſce & ſubtiliſsimè terantur ac ſeruẽtur.
BRAS. Quid eſt granella? SEN. Eſt herba Ianuæ. BRAS. Ignotum per ignotum tradidiſti, nam minus in præſentiarum te intelligo, quàm prius, nempè quid ſit herba Ianuæ non intelligo, vocabulum fortè deprauaſti, & vbi herba Ianuæ legiſti, ſcriptũ erat herba Iamana. eſt verò herba Iamana coſtus, coſtúſque (de amaro intelligo, ac nigro non de illo, qui nunc eſt in vſu dulci) vermes interficit. SE. Ita nos vocamus herbam quandam, & granellam, & herbam Ianuæ. BRAS. Alij ſunt qui hanc ferè com-

positionem conficiunt, verùm nonnulla ex superabundanti addunt, nunc ad alia transeundum est, quoniam tua hæc herba mihi ignota est, nisi sit vocata sementina. SEN. At tu horum compositionem referto, vt quæ addiderint, percipiam. BRASSA. Ita conficiunt.

℞. Cornucerui vsti
Granellæ præparatæ
Dictamni
Mirrhæ
Tormentillæ
Sem. caulium
Sem. acetosæ
Sem. coriandrorum præparatorum
Sem. portulacæ
Ossis de corde cerui
Singulorum ℨ iiij.
Saphyrorum
Smaragdorum
Rubinorum
Granatorum
Hyacinthorum
Singulorum ℨ j.
Rhabarbari electi ℨ j.ß.
Sem. libistici ℨ x.
Foliorum auri numero xl.

Misce & fiat puluis subtilissimus. SEN. Aliqua omninò adest differentia. at non valde magna

magna. BRAS. Tamen vtraq; compositio ad cor roborãdũ potius facit, quàm ad vermes (si illa etiam ad cor faciunt, quæ in cõpositione posita sunt. nam multa sunt quæ neq; cordi cõuenire arbitror) at ego de his compositionibus admiratione afficior. tu verò in mei gratiam hunc, qui sequitur puluerem seruato, qui mirum in modum vermes interficit.

℞. Corallinæ
Sementinæ
Scordei
Singulorum ℥ j.

Misce & fiat puluis subtilissimus. SE. Hunc tuum puluerem deinceps seruabo. BRAS. At tibi sum compositionem aliam præstaturus quam in mei gratiam seruabis, quando pro lumbricis puluerem indixero: illam verò in scriptis mandaui in vermium curatione quam edidi. SEN. Cùm primũ illam præbebis statim parari faciam. extant verò alij pulueres qui in vsu sint?

BRASSAVOLVS.

Seruatur & à nõnullis pharmacopolis puluis pro his, qui in lecto mingunt. SEN. Ego aliâs seruare solebã, sed diu est quòd illum nõ vendidi, imò & aliqua portio fortè adest in pyxide. BRAS. Modum igitur refer quo illum conficiebas. SEN. Hic est modus.

℞. Coriandrorum præparatorum
Gummi arabici
Granorum myrtillorum
Boli armeni
Singulorum ʒ j.
Miſce & fiat puluis,cuius ſumenda quantitas eſt drachma vna ex vino calido nigro ſtyptico in lecti ingreſſum. BRAS. At illi pharmacopolæ de quibus intelligebam, alium conficiunt puluerem,cuius compoſitionem in Montagnanam referunt. SEN. Compoſitionem hanc (ni pigeat) referto. BRAS. Hæc eſt quam refero.
℞. Stomachorum gallinarum præparatarum ʒ iiij.
Agrimoniæ ʒ j.
Cineris erinacei combuſti ʒ iij.
Miſce & fiat puluis,cuius præbeatur ægrotanti drachma ex vino,vel ex iure,cùm itur dormitum. SEN. Quomodo præparantur gallinarum ventriculi? BRAS. Hoc modo ventriculi gallinarum ſumãtur cultro, deinde ab extima pelle liberẽtur,aquã poſtea quæ à capitello deſcendit cùm nigrum ſaponem parare volunt, accipito,& per horã ventriculos in illam infundito,poſtea duabus aut tribus vicibus vino lauato,dein in nigrum vinũ per horam infundito, poſtea vino alio lauato, & deinde in prædictam
capit

capitelli aquam infundito, postea lauato, & iterum in vinum infundito, hócque toties facito, quoties album euaserit, denique in furnum ponantur in quo prius coctus fuerit panis, & exiccentur, ac ad vsus reseruentur. SEN. Ego compositionem istam haud magnifacerem. BRAS. Et ego minus. SEN. Quem ergo puluerem pro hoc negotio seruandum desideras? BRAS. Hunc qui sequitur.

℞. Boli armeni
Terræ sigillatæ
Singulorum ℈ j.
Acaciæ
Balaustiarum
Myrtillorum
Corallorum alborum
Rosarum rubrarum
Singulorum ʒ j.

Misce & fiat puluis subtilissimus, cuius sumenda quantitas est drachma vna in vino styptico nigro, cùm dormitum itur. SEN. Videtur potius cõstrictiuus. BRAS. Et quis nam alter esse potest? SEN. Sunt ne alij pulueres, qui ab aliis seruētur pharmacopolis?

BRASSAVOLVS.

Non ne & tu Ducis puluerem seruas? SEN. Seruo, sed illum inter aromata numero. BRAS. Idcirco suffuf est, id est odoratus

puluis, quo ad ventriculum vtimur roborandum, ac calefaciendum. at quomodo illum conficis? SEN. Hoc modo.

℞. Cinnamomi ʒ ij.
Gingiberis
Galangæ
Gariophyllorum
Nucis moſchatæ
Cardamomi maioris
Cardamomi minoris
Cubebarum
Piperis longi
Singulorum ℈ j.
Zuccari albi ℥ vj.

Miſce & fiat puluis primò pinſendo aromata, poſtea zuccarum. BRAS. Melius eſſet pro ſingula puluerum drachma zuccari vnciam commiſcere. at hunc ducis puluerem alij faciũt ex ſolo cinnamomo, & zuccaro, alij hoc modo.

℞. Cinnamomi ℥ j.
Gingiberis ʒ j.
Croci ℈ ß.
Zuccari ℥ iij.

Miſce & fiat puluis, vel primò aromata in puluerem redigito, poſtea zuccarum addito, alij ſunt qui magnam conficiunt compoſitionem, & illam ſub Ducis nomine ſeruant. SEN. Quo nam modo hi parant, & ex

quibus? BRASSAV. Hoc modo.

℞. Cinnamomi
Gariophyllorum
Corticum interiorum cinnamomi
Amomi
Melegetarum
Trium piperum
Gingiberis
Folij
Ligni aloës
Macis
Singulorum ʒ ß.
Cardamomi
Cubebarum
Singulorum ʒ j.
Spicæ nardi ℈ ß.
Musci G̃ iiij.
Nucis moschatæ ʒ ß.
Zuccari albi ℥ vj.
Foliorum auri num. vj.
Misce & fiat puluis subtilissimus.

SEN. Magna profectò est compositio eiuscemodi. BRAS. Magna quidem est, tamen simplices compositiones mihi potius arrident, vt illa cæteris præstare videatur, quæ cinnamomũ tantum gingiberem, ac zuccarum recipit, neque illa despicienda est, quæ præter hæc nonnihil etiã assumit croci. SENEX. Extant ne alij pulueres, qui ab

aliis seruentur pharmacopolis?

BRASSAVOLVS.

Nonnulli puluerem seruant ad intestini exitum. SE. Cuius intestini? BRAS. Recti intestini, quod inuertitur, & ad quantitatem quandoq; quatuor aut sex digitorum plus minus exit. SEN. Ego nunquam puluerem hunc seruaui, tu verò compositionem referto ni tibi molestum sit. BRAS. Molestum minimè est, sed illa hæc est, quàm nũc tibi refero si audire ne pigeat.

℞. Masticheṡ
Thuris
Nucis cyparissi
Antimonij
Corticum granatorum
Balaustiarum
Glandium
Singulorum ʒ ij.

Misce & fiat puluis. SEN. Quo nam modo hoc puluere vtuntur? BRAS. Intestinum prius vino nigro tepido, quod stypticitatem quandam habeat abluunt, posteà intestinum hoc puluere aspergunt, & paulatim intra anum imponunt: ita enim paulatim constringitur, & non exit, tamen de hoc intestini exitu suo agemus loco, quando exitus intestini recti curationem moliemur.

SEN

SENEX.

Rhabarbari insuper puluerem seruamus, & aloës. BRAS. De simplicium pulueribus hîc verba non facimus, sed de compositis tantum loquimur. nam hoc modo vnumquodque simplex hîc esset pertractandum.

SENEX.

Memini me quandoque pulueres alios seruasse quos in præsentiarum minimè seruo, cùm illos vel nunquam vel semel tantum vendiderim. BRAS. Quos nam? SEN. Puluerē ad gonorrhœam seruare solebam & cùm quispiam hunc affectum patiebatur hunc puluerem illi præbebam. BRAS. Puluerem ipsum referas. SEN. Hic est.

℞. Menthæ siccæ ʒ iij.
Sem. agni casti
Radicum iridis
Singulorum ʒ ij.
Sem. ruthæ ʒ j.
Sem lactucæ ʒ ij. ß.
Misce & fiat puluis subtilissimus.

BRAS. Quomodo præberi iubebas, & in qua copia? SEN. Absque pondere semicochlear commune accipi iubebam, ex albo vino per duas ante cœnam horas. BRAS. Melius est illum ex iure accipere in quo vitulorum aut boum pedes ebullierint, tamē non multum adstringebat hîc tuus puluis,

arbitr

arbitrórque vix vnum fuisse sanitati restitutum. SEN. Ob hoc fortè nullus fuit vel vix vnus, qui illum emeret. BRAS. Melius est ex bolo armeno, terra sigillata & albis corallis puluerē hunc conficere. nunc vnusquisque medicus ad hoc propositum vt illi videtur puluerem indicit. tunc autem alios ne seruabas pulueres.

SENEX.

Seruabam & puluerem ad dolores post partum, cùm iuuenis eram, statímque cùm mulier pepererat puluerem hunc ab ea sumi iubebam, nunc nulla est quæ illum recipiat, propterea ab vsu ita desiuit, vt amplius non vendatur, ob hoc illum minimè seruo. BRAS. Ipsius compositionem saltem adducito. SEN. Hæc est quæ sequitur.

℞. Corticum casſiæ
Casſiæ ligneæ
Cinnamomi
Cap. veneris
Singulorum ʒ ij.
Anisorum
Passularum
Singulorum ʒ iiij.

Terrantur subtiliter, & cum vino albo præbeatur. BRAS. Puluis hic obesse nō potest, tamen alia multa sunt quæ exquisitius ab his doloribus liberāt, idcirco non mirum si aboletus

aboletus sit huius tui pulueris vsus. alios autē vidi pharmacopolas qui ita parabant.

℞. Cinnamomi
Gingiberis
Anisorum
Amidis
Seselidis
Cumini
Singulorum ʒ ij.
Matricariæ
Arthemisiæ
Sabinæ
Cap. ven.
Singulorum ʒ j.
Myrrhæ
Bdelij
Singulorum ℈ j.
Zuccari ad pondus omnium

Misce & fiat puluis subtilissimus, cuius sumenda quantitas est drachma vna ex vino cretico, vel ex iure, in quo petroselini radices, ac fœniculi ebullierint, sed nec puluis iste amplius in vsu est. SEN. Audiui cassiæ corticē multum facere ad hoc propositum, qui compositionē meam ingreditur. BRAS. quam cassiam intelligis? SEN. Illam qua ad leniendum ventrem vtimur. BRASSA. Ergo huius vocatæ cassiæ quam ego siliquam oblongam nomino corticem sumis?

SEN.

SEN. Illum fumo. BRAS. O' maxima hominum ignorantia. SEN. Multos audiui medicos qui corticē illum ad menses prouocandos indixere. BRASSAV. Vtinam mendici potius essent, quam medici, hi qui adstringentem rem pro aperiēte adhibent. SENEX. Ergo cortex ille adstringens est? BRAS. Hoc hi soli ignorant, qui sensu carent. SEN. At indies video medicorum turbam, ad ciendos menses hoc cortice vti. BRASS. Optimè dixisti medicorum turbam, hoc vti, quia celebres medici huius generis peccatum non committerent. SEN. Vnde prouenit hic error? BRAS. Hinc errorē istum emanasse arbitror, quoniam id quod in præsentiarum cassia vocatur cur ita nominetur ignoro, cùm potius oblonga siliqua vocari deberet, & longum chirath. at apud antiquiores græcos cassiæ quidem mentio fit, sed per cassiam id intelligunt, quod nos vulgò canellam vocamus, vnde recentiores medici, id quod à græcis cassia dicitur, idem esse putarunt, cum eo, quòd ab Arabibus cassia vocatur, vnde omnes antiquorum cassiæ proprietates quæ nostra canella est, Arabum cassiæ quæ est siliqua oblonga attribuunt, verum inter alia ad quæ confert antiquorum cassia, hoc vnum est, menses ciere, recentiores

hinc

hinc accepiſſe arbitror, cùm & cenſuerunt, & ſcriptis mandarunt caſsiã hanc Arabum menſes prouocare, vnde nomine decepti putarunt, & vulgarem caſsiam eaſdem habere vires, eandémque eſſe. SEN. Non potuit ædepol alia fuiſſe cauſa, quam iſta. at quomodo noſti huius vulgaris caſsiæ corticem adſtringere? BRAS. Pręter ipſam experientiam, quæ rerum omnium magiſtra eſt, & guſtus ipſe hoc oſtendit, nam ſi corticem hunc maſticabis adſtringere prorſus conſpicies præter id quod eſt terreæ naturæ, ſiccæ, atque frigidæ, vnde ſi eo ad infrigidandum, & exiccandum vti volueris, munus hoc efficere poſſe, nõ dubitamus. SEN. Adſunt ne alij pulueres qui ab aliis ſeruentur pharmacopolis?

BRASSAVOLVS.

Nullus alius mihi in mentem venit pręter puluerem vocatum cyprium. SEN. Puluis hic ad myropolas ſpectat, nõ autem ad pharmacopolas. BRAS. Imò & nonnullos pharmacopolas illũ ſeruare noui, & ſecundum Arabes poteſt vocari ſuffuf, cùm ſit puluis odoratus. SEN. Quomodo conficitur eiuſcemodi puluis? BRAS. Varia ſunt huius puluis genera, & tot ferè componitur modis quot ſunt myropolæ, & multi cum paucis odoratis compoſitionẽ parant,

vt magis lucrentur, modo nonnihil redo-
leat puluis. SEN. Tu integras compositio-
nes referto. BRAS. Et integras & optimas
tibi referam compositiones, audito igitur
cyprium puluerem qui suauiter redolet.

℞. Rosarum damascenarum
Cyperi
Sandalorum citrinorum
Singulorum ℥ j.
Iridis ℥ ß.
Ligni aloës
Calami aromatici
Galangæ
Belzuini
Singulorum ℈ j.
Gariophyllorum ʒ j.
Musci Chirath. v.
Zibetti Chirath. iij.

Vnumquodque horum in puluerem redi-
gatur, & simul secundum artem miscean-
tur. SEN. Hic est puluis cyprius? BRAS. Est
vnus modus illius pulueris, tamen & hoc
potest muscus quercinus suffumigari, &
reddi odoratus, vt postea ostendemus in
alio, qui sequitur illius pulueris modo. hic
verò puluis in vitrea phiala seruandus est.
SEN. Illum igitur referto, quem dicebas
puluerem. BRAS. Iam refero.

℞. Musci quercini ℔ j.

Muſcum verò longiorem eligito, & magis album qui haberi poſsit, craſſáſque illius partes abiicito, poſtea dulci aqua lauato, & toties lotiones repetito quoties vltima aqua qua lauatur clara ac limpida euadat, deinde ſupra tabulam optimè ſiccã extendatur, Soliq; exponatur, donec egregiè ſiccetur, poſtea roſacea aqua aſpergatur, dein linteo tegatur, & Soli iterũ exponatur, donec exiccetur. interim verò ſæpius voluendus, ac reuoluendus muſcus eſt, dúmque ſolis feruorem adhuc ſeruat, fricandus eſt ac in puluerem redigendus, & per ſetaceũ cribrum eliquandus: manibus verò fricandus eſt in linteo & extra linteum: id verò quòd in cribro permanebit, & per foramina non eliquabitur, iterum Soli exponendus eſt, & eodem modo faciendum, quoad vniuerſus muſcus ſubſederit, & per ſetacei cribri foramina eliquatus fuerit, dein puluis hic ſumatur, & roſacea aqua moſchata aſpergatur, poſtea ſupra amplam menſam in inferiori parte extendatur, magnóque linteo tegatur, deinde ſequenti ſuffumigio foueatur, ac ſuffumigetur.

℞. Belzuini ℥ iij.
Styracis calamitæ ℥ iiij.
Laudani
Ligni aloës

Singulorum ʒ j.
Moschi Chirath.ß.

Vnumquodque per se conteratur vel cultro
incidatur, & omnia simul misceatur, dein-
de ex hoc suffumigio, ad vnius cerasi quan-
titatem sumatur, & igni modico supra-
ponatur, hócque suffumigium sub iam di-
cta mensa collocetur, & per vnius horæ spa
tium dimittatur, postea iterũ eodem mo-
do suffumigium fiat, & iterum per horæ
spatium effumet. hócque modo continuan-
dum est, quousque compositio ex qua suf-
fumigium fit deficiat. cùm verò puluis suf-
fumigium ita receperit in vitream phya-
lam probè obturatam reponendus est. no-
ta verò suffumigium istud fuisse satis ad li-
bram vnam musci quercini odoratam red-
dendam. SENEX. At si puluis sit in maiori
copia quid tunc agendum est? BRASSAV.
Suffumigium multiplicare est opus, cùm
verò puluere isto vti volueris tunc.

℞. Huius suffumigati pulueris ℥ j.
Belzuini ʒ j.
Musci Chirath.iiij.
Zibett Chirath.iij.

Misceantur hæc & in vitrea ampulla bene
obturata seruentur, si verò huic suffumiga-
to pulueri primam compositionem com-
misceri volueris non mediocriter odora-
tum

tum reddes puluerem. SENEX. Neque iste ſecundus erit inodorus. BRASSAVOL. Imò apprimè redolet, & odore haud negligendo. SEN. Extant ne alij conficiendi modi? BRASSAVOL. Extant, & multi, nam adeſt cyprius puluis roſatus. SEN. Quomodo cõficitur? BRASSAVOL. Hoc modo.

℞. Roſarum damaſcenarum ℥ ij.
Sandalorum rubrorum ℥ j.
Ligni aloës
Ciperi alexandrini
Singulorum ʒ iij.
Iridis ʒ j.
Gariophyllorum tritorum ʒ j.
Muſci optimi Chirath.iij.
Zibetti
Ambracani
Singulorum Chirath.ij.

Vnumquodque ſeorſum in puluerem redigatur, & per cribrum ſetaceum eliqueſcat, poſtea ſimul miſceantur, & in vitrea ampulla bene clauſa reſeruetur, hic eſt vnus modus cyprij pulueris ab aliis diſtinctus, tamen ex hoc poteſt quercinus muſcus prędicto modo ſuffumigari, & poſtea addantur muſcus, & ambra, tunc erit exquiſitus puluis & ſuauem ſpirans odorem. SENEX. Non dubito, at extant ne alij præparandi

hunc pulverem modi? BRAS. Extat & cyprius puluis niger. SEN. Nunquam vidi nigrum, ſed vidi equidem non probè album, qui cineritiũ colorem præſeferebat : ne verò tibi moleſtum ſit nigrum hunc referto. BRAS. Hic eſt qui ſequitur.

℞. Cyperi ℥ ij.ß.
Sandalorum citrinorum
Laudani
Singulorum ℥ ß.
Gariophyllorum ʒ iij.
Muſci Chirath.iij.
Zibetti Chirath.ij.

Vnumquodque ſeorſum tenuiſsimè conteratur & vnà miſceantur, ac in vitrea ampula reſeruetur. SEN. Si poſtea quercini muſci ſuffumigato pulueri, hunc puluerẽ commiſcere voluerim, nõ ne fieri poterit? BRAS. poterit quidem, ſed ſi hoc feceris tam odoratus nõ erit, vt ſunt pulueres illi quercino muſco haud mixti, neque iſto addito pulvis erit niger. SEN. Cur omnes quercinum muſcum accipiunt? BRAS. Cur ad odorata conficienda olea, balaninum accipitur? SEN. Quia vniuſcuiuſq; odoris expers eſt, & omnes facilè recipit. BRASSAV. Idem de querno muſco iudicium fieri debet, nam nullum penitus odorem ſpirat, & omnes facilè recipit, idcirco media eſt ad pulueres odor

odoratos materia, nam pro aliorum medicamentorum materia, illa sumuntur, quæ exuperautem nullam qualitatem habent, vt neque calida sint neque frigida, neque humida, neque sicca, æque illa sumẽda sunt pro cõmuni odoramentorum materia quæ nullum habent odorem, neq; suauem, neq; insuauem, qualis est muscus iste roboreus, qui ab his sumitur, qui odoratum hunc cyprium puluerem cõficere volunt. SEN. Adsunt ne alij hunc puluerem conficiendi modi?. BRAS. Imò adsunt, nam nonnulli ita confecere, primò quercinum muscum in Ianuarij mense collectũ recepere rosaceáque aqua lauarũt, postea in Sole, vel in furno exiccarunt, itaq; dum adhuc incalescebat, ipsius libram vnam recipiebant, iridis vnciam vnam, & in puluerem redigebant, & tenuiter per cribum setaceum eliquabant, deinde rosacea aqua madefaciebant, vt totum id humidũ efficeretur, postea supra setacei cribri fundum extendebãt, linteóq; contegebant, & sub cribro setaceo suffumigium hoc modo faciebãt, pro vnaquaque prædicti pulueris libra, hæc pro suffumigio recipiebant.

℞. Pulueris belzuini ℥ j.
Styracis calamitæ ℥ iij.
Ligni aloës ℥ j.

omnia hæc conterantur, ac miſceantur, & ſupradictus muſci puluis eo ſuffumigetur, cauendúmque eſt ne ab vlla parte exeat fumus.at per ſemihoræ ſpatium dimittatur, poſtea iterũ eodẽ ſuffumigio ſuffumigare oportet, deinde accipiendum ac iterũ pinſendum, cum eo quod relictum eſt ex prædicto ſuffumigio, & iterum per cribrũ ſetaceum eliquandum,& pro ſingula huius pulueris vncia miſcendum.

Muſci chirath.ij.
Ambracani chirath.j.
Zibeti chirath.iij.

Hęc ſimul miſceantur, & exquiſitus puluis habebitur. SEN. Et etiam bene ſuauiter odoratus. BRAS. Et ſuauiter odoratus. SEN. Adſunt ne alij cõficiẽdi hos pulueres modi? BRAS. Adſunt, hũc audito modum, bouillum ſtercus recẽs accipito, & in ſole, vel apud ignem exiccato. SEN. Odoratus eſſe non poterit ſi ex ſtercore conficiatur. BRAS. Reliquum audito, poſtea an fœtere poſsit iudicabis. nam quandoq; ex amaris rebus dulcia fiũt, immatura perſica amara ſunt, quæ cùm matureſcunt dulciſsima euadunt. SEN. Illud natura fit non arte. BRAS. Et ars naturam imitatur, & ea plerunque ars perficit, quæ natura perficere neſciuit, vnde immatura perſica quæ amara

amara sunt, si melle vel zuccaro cõdiantur melleã dulcedinem, ac sacchareã acquirũt. SEN. Prosequaris igitur. BRAS. Deinde conterãtur & rosacea aqua exquisita abluatur in catillo per diem dimittendo, quòd quater fiat, denique in eodem extendatur vitreato catillo, vt stercus totum in catillo extensum sit, ac illi inhæreat, deinde prædictus catillus vertatur, suffumigando vt superius dictum est, in supradicto puluere, opúsque est prædictum puluerem dum suffumigatur cõmouere. si verò exiccaretur, opus est iterum aqua rosacea illum madefacere, cúmq; pluries fuerit suffumigatus puluis in prædicto catillo bene tecto exiccari permittatur, & cùm probe siccus erit in vitrea ampulla conseruetur, postea

℞. Huius pulueris ita præparati ℥ j.
Belzuini ʒ iij.
Musci chirath. iij.
Omnia simul misceantur, ac puluis fiat.

SEN. ex stercoribus ergo odoramenta fiũt, hoc idem est vt cùm aliqua condiuntur edulia quæ simpliciter edi non possunt, sed conditura efficit, vt gustui sint apta, non pauci acerbi fructus edi non possunt, qui posteaquam cõditi fuerint, à nobis libẽter excitantur. BRAS. Non ne audiuisti nonnullos quandoque dicentes si calceorum

ſoleæ condirentur, quòd egregiè ſaperent? SEN. Audiui. BRAS. Et ita eſſe conſtat, nã illuſtriſsimus & excellẽtiſsimus Alphõſus Dux Ferrariæ tertius, qui ſupra omnes quos vnquam nouerim herbarum, florum, fructuum, ſurculorum & caulium cõditura delectabatur, huius rei periculum fecit, poſteaquam ſoleas aqua, cinere, & calce diu macerari fecit, zuccaro condiri iuſsit, & omnes conditas ſoleas deguſtarũt, inter quos & ego teſtis ſum, qui per multos etiã annos partem ſoleę conditam ſeruaui, quis vnquam putaret nuces pineas cum ſummis corticibus edi poſſe? cùm ſint tam præduri fructus, ſed illos conditura molliores & eſui aptos reddit. SEN. Imò & nucem plurimã cũ creſcit nullus vnquam edere poſſet, niſi conditam, at ſunt ne alij hunc puluerẽ conficiendi modi? BRAS. Adſunt, nã hic eſt vnus modus ab aliis diſtinctus, aridas roſas accipito & in puluerẽ redigito, & ſi tibi videatur adde modicum pulueris liliorum alborũ, poſtea ſtyrachis, ac belzuini æquales partes addito, de horum verò ſtatuta quantitate nihil dicitur, quoniam quanto horum plus apponetur, tanto redolentior reddetur compoſitio. SEN. Ergo puluerem hunc, non ingreditur quercinus muſcus? BRAS. Nõ ingreditur, ſed & alium audito

cyprium

cyprium puluerem.

℞. Florum aranciorum
Florum rosarum odoratarum musco
Rosarum
Florum gelsmini
Singulorum partes æquales.

Exiccentur & fiat puluis, vt in cyprio puluere ex quercino puluere superius dictum est. at puluis alius cyprius nunc mihi in mẽtem venit qui violaceus nuncupatur, & albus est. SEN. Hanc compositionẽ libẽter audiã, præsertim cùm violarum odor mihi gratus sit, neque odoratis vaporibus caput offendit, imò neque vapores ascendere sinit. BRAS. Compositionem igitur audito.

℞. Iridis ℥ iij.
Sandalorum citrinorum ℥ ij.
Rosarum damascenarum
Ligni aloës
Belzuini
Cyperi
Singulorum ℥ ß.
Musci chirath. iiij.
Zibetti chirath. ij.

Omnia singulatim in puluerem reddãtur, postea simul misceantur, & in vitream ampullam seruẽtur. SEN. Cur cyprius puluis violaceus appellatur, cùm neq; violas, neq; violarum odorem vllo modo spirare

poss

posſit? BRASS. Id verum eſt quòd dicis, tamen à myropolis violaceus nuncupatur. at ſi ego illum violaceum vocandũ voluerim, iuberem vt exiccatæ violæ adderẽtur, licet cùm ſiccæ ſunt, multum odoris nõ habeãt. SEN. Neq; cùm virides ſi manibus tractentur, tamen ſiccæ nonnihil ſeruant odoris. BRAS. Imò virides pertractatæ neſcio quid herbacei ſpirare videntur. SEN. Adſunt ne aliæ horum puluerum compoſitiones? BRASSA. Adeſt & hęc quam qui conficiunt dicunt eſſe cyprium puluerem naturalem, fortè quia ſimplicißimus iubent in Decembris luna, vel Ianuarij colligẽdã eſſe lalanem. i. vſnem, & in vmbra exiccandam, poſtea cum modico aquæ roſaceæ pinſenda eſt, & in paſtæ modum redigatur, (ſi verò abſque roſacea pinſeretur nares ingrederetur, & illas offenderet) cùm erit pinſa, & ita in paſtam redacta, ponatur in pateram, & in vinariam cellã, vel in locum alium humidũ deportetur, quoad mucida euaſerit, ac effloruerit, tunc iſtam ſupra tabellam extendito, & in clibano vel ſole exiccari facito, poſtea iterũ in tenuißimũ puluerem redigito, & ſolo belzuino ſuffumigato, vel pro ſingula pulueris iam ſicci libra Manne belzuino drachmæ decem miſceantur, & diu in mortario agitanda,

& ita

& ita erit optimus puluis. SEN. Quid lalane sit ignoro, & quid etiã vsne. BRAS. Herba est, quæ è Cypro Venetias affertur musco similis, imò est ipse muscus quo & tu vteris, & arabes arborũ muscum vsneen vocant. SEN. Hinc fortè accepit vt cyprius vocaretur. BRAS. Imò hæc fuit nominis causa, quia è Cypro Venetias conuehitur, muscus verò noster qui in quercubus oritur non est adeo exquisitus, vt cyprius, nonnulli in cypro in puluerem redigunt, & in placentulas subigunt, vt commodius ferri possit. SEN. Sunt ne illæ placentulæ quibus Ferrarienses myropolæ vtuntur ad hunc puluerem conficiendum? BRAS. Illæ prorsus sunt, quas cirellæ de cypri vocant. SEN. Prius quid essent ignorabam, & terrã quandam esse arbitrabar. BRAS. Non est terra, neque subdentibus stridet, sed est prædictus puluis, quem & emptores ignorant, sed dicunt ad cyprium puluerem conficiendũ esse cirellas. SEN. Ferrarienses pharmacopolæ quomodo puluerem hunc conficiunt? BRAS. Placentulas istas in puluerem redigunt, quæ belzuino suffiunt, postea odoratum quodpiam addunt, vt muscum, vel ambracanum, & zibettum nonnũquam commiscent. at suarum commixtionum certam regulam non habent:

quon

quoniam aliquis plus odoramenti, aliqui
minus, aliqui vnum, aliqui aliud cõmiscẽt
odoramentum. at pulueres quos superius
enarrauimus perfectissimi sunt. SEN. Cy-
priæ istæ placentulę sunt cineritij coloris,
ad album vergentis. at adsunt ne alia sim-
plicia quibus hic puluis confici possit?
BRAS. Illa omnia quæ ex se nullum odo-
rem spirant, & odores facilè recipiunt,
talis esse generis arbitrandum est, nonnul-
los vidi qui amygdalarũ intimos cortices
comburebant, & in puluerem redigebant,
& pro huius pulueris fundamẽto vtebãtur.
SEN. Quos cortices intelligis? BRAS. Non
perduram testam, sed intimum illud spo-
lium, quod amygdalæ substantiam imme-
diatè contegit, alij (quos potius probo) in
clibano exiccant, & in puluerem redigunt,
postea supradictis modis suffumigant, in
populo albo tenellum quoddam adest
albumen friabile quòd in puluerem redigi
potest, & (vt prius dictum est) suffiri. nam
nullum habet odorem hic puluis, & est o-
mnium capax, æque verò friabile est eiu-
scemodi lignum vt optimum agaricum.
nonnulli sunt nunc Ferrariæ qui alaba-
strum vocatum lapidem in tenuissimum
pollinem redigunt, & suffiunt, ac pro cy-
prio puluere vendunt, alij ampullam suffu-
migant

migant, poſtea implent puluere aliquo, qui cùm in ampulla ab emptoribus odoratur, ob odorem ab ampulla cõtractum, odoratus videtur, poſtea cùm extrahitur nihil penitus redolet. SEN. O ſceleſtiſsimi omnium. BRAS. Hic eſt Aediliũ, & Tribunorum plebum error, qui curare deberent ne quiſpiam deciperetur. SEN. Adſunt ne alij cyprij pulueres? BRAS. Infinitis ferè aliis confici poſſet modis, tamen à præſcriptis haud multum euariare poterũt. at tempus iam eſt huic de cyprio puluere ſermoni metam imponere, tu alios interim pulueres referto, ex his quos in pharmacopolio ſeruas. SEN. Nullos alios ſeruo pulueres, neq; (vt Arabicè loquar) ſuffuf. BRA. Huic igitur contemplationi finem imponamus. SEN. Vt lubet.

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium Oleorum, quæ apud Ferrarienſes pharmacopolas ſeruantur.

BRASSAVOLVS SENEX.

BRAS. Neque pluuia, neque ventus, neque cœnoſa via te remorari potuerũt quin huc accederes? SEN. Imò neque tonitrua, neq; fulgetra, neq; ipſa fulmina talia extitiſſent, vt me vel pauxillum domi occluſiſſent, vel detinuiſſent, quin ad noſtrum hoc negotium perficiendum acceſsiſſem. Nam tam vehementi ſum dulcedine affectus in his compoſitionibus conſiderandis, quæ in meo ſunt pharmacopolio, & tanta dulcedine illectus, vt cùm bibo, cùm edo, cùm dormio, cùm vigilo, in his ſemper verſor. Tota nocte dormiens hanc ſchædam ſcribebam. BRAS. Vnum tamen ſcio quòd te domi

domi per integrã diem clausisset. SE. Quod nam illud est? BRAS. Insomnium aliquod terrificum, & horrorem inducens, nam audiui te insomniis adeò credere, vt tota vita tua ab illis dependere videatur: nihilq; tibi magis certum esse potest ad futura prædicenda insomnio. SEN. Necessarium est mȩ illi rei credere, quæ nunquam me fefellit. nam nihil prorsus mihi euenit commodi, vel incõmodi, nihil dextri vel sinistri, quin illud dormiens longè antea præuiderim. BRAS. Id melancholicis præ cæteris contingit naturis. Si tot ostenta, tot portenta, tot praua insomnia, & terrifica, tot visa, & tot varios euẽtus tibi cõtigisset, quot mihi superiori anno 1550. contigere antequam Romam proficiscerer, non dubito te Romam vnquam fuisse profectum. SEN. Talia fortè extitere, vt neque domi recessissem. nam his rebus sum valde addictus, neque absq; ratione quoniã sæpius mihi verũ prȩdixere. Imò ab insomniis nunquã deceptus sum. at quæ fuere ista tam horrida, támq; terribilia, quæ tibi occurrere? BRAS. Quæ, tot, & tanta, támque terribilia, vt relaturus horrescere incipiam: nocte illa, qua mihi summo mane indicatum fuit illustrissimum Ducem Romam profecturum esse, & me accingi oportere, vt illum comitarer,

huius generis visum in somniis accepi: per
asperos, inacessósque montes mihi equita-
re videbatur. cúmque in summum deuenis-
sem iugum, è maximo præcipitio equum
decidisse, & in acutũ lapidem caput meum
impegisse: præ ictu verò magnam vocem
emisi, & cum tanto tremore, tantóq; timo-
re experrectus sum, vt anceps sim, an in ve-
ris discriminibus tantum vnquam timue-
rim: iterum dormiui, & statim per montes
mihi equitare videbatur, & à nonnullis la-
tronibus insequi, at ego citato cursu fugie-
bam. Equus verò flumen ingressus, quod
transeundum occurrebat bibere volens, sta
tim in caput decidit, méque in profundam
aquam deiecit, submergíque videbar: at la-
trones occurrentes, me ab aqua liberarunt,
spoliarúntque, & nudum reliquerunt. Ego
autem fingebam esse mortuum. Abibant la
trones, vnus verò ex illis ad me conuersus
dicebat, videtur quòd adhuc palpitet, illum
finire statui, ne quandoque nos insequere-
tur. nam homo mortuus bellum non inge-
rit, pugionéque euaginato, me punctim in
thorace feriebat, primóque illo ictu, ma-
gno cum eiulatu experrectus sum: tũc vxor
mea, quæ vnà in eodem erat thoro, quid ha
berem interrogabat. nam persenserat me
in magna esse angustia, ac anxietate, lamẽ-
taríq;

tarique, conqueri, ac eiulare. Ego illi respondi me somniasse, & nihil esse. Tertiò obdormiui, & per montes tertiò equitare videbar. cúmq; equum in quandam montis costam flecterem, en maximus ac ingẽs serpens, qui quatuor equi mei crura cauda colligauit, & sub equi cauda collo exire videbatur, & per equi dorsum caput elongabat, quousque ad collum meum perueniret, extensóque collo dentibus caput meum amplectebatur, & cauda tam vehementer equi crura arctabat, vt in terram deciderit. Tertiò experrectus sum cum magno timore: cúmque dies iam illucesseret, ampliùs dormire nolui, ne tam sæuis insomniis premerer. E' lecto igitur surrexi, mente quodammodo commotus. En illustrissimi Ducis nostri Architriclinus ad me accessit: & eiusdem illustrissimi Ducis nomine me admonuit, vt itineri me accingerem, ipsum illustrissimũ Ducem Romã comitaturum. SEN. Ego (si eiuscemodi insomnia habuissem) Romam nullo pacto profectus essem. BRAS. Quamobrem? SE. Ne in me ipsum terribilia illa insomnia conuerterẽtur. BRAS. Si Principi cuipiam inseruires, qui te amaret ac veneraretur, nónne in rebus tam honestis illi parêres? & præsertim cùm vitã suam in tuis manibus

ſponte commiſiſſet nulliq; alij fideret? SE.
Si eſſet Imperator Auguſtus, aut ſummus
Põtifex ab hac vrbe cũ his diris inſomniis,
non me dimouiſſent, imò nõ niſi poſt quin
tumdecimum diem domo exiuiſſem ne ſo
mnium in me verteretur. BRAS. Imò ſi ve-
ra eſſent inſomnia, in te etiam domi clau-
ſo verti potuiſſent. nam ſi à ſchalis cecidiſ-
ſes, collúmq; tibi fregiſſes, vt nonnullis cõ-
tigit, ex alpibus eſſes deiectus, poſſunt ni-
mirum ſchalarũ ſummitates in inſomniis
pro alpibus ſumi. & quiſpiam ex tuis famu
lis potuiſſet te pugione interficere, ac ſpo-
liare, vt nonnullis quandoque contigit: vn-
dique igitur pericula imminent, illis etiam
ſimilia, quæ per ſomnia videntur. SEN. At
hæc non tam facilè domi contingunt, vt in
montibus aſperíſque locis, & in acceſsis.
BRAS. Vndiq; ſunt anguſtiæ: at ſomnia vti
vera recipienda non ſunt, cùm & à Catone
ſcriptum ſit:

Somnia ne cures: nã mens humana quod optat,
Dum vigilat ſperat, per ſomnũ cernit idipſum.

SEN. Ego certus ſum, te nunquam excogi-
taſſe trucidari, neque è ſummis iugis cade-
re, neque ab angue lacerari. nam nemo eſt
tam inſanus, qui hęc mẽte reuoluat. BRAS.
Satis eſt me audiuiſſe de præcipitiis mul-
tos decidiſſe, imò & ſemel vidi in Genuen-
ſibus

ſibus montibus Petrum Lauezolum nobilem Ferrarienſem, qui è ſummo monte in infimam conuallem vnà cum equo decidit. SEN. Fuítne in fruſtula cõminutus? BRAS. Imò nihil mali perpeſſus eſt: ſed per duos menſes perenniter plorauit. Deus optimus illum ſeruauit: audiui etiam nonnullos è montibus decidiſſe, & necatos eſſe. SEN. Nunquam vidiſti ſerpẽtem equorum crura colligantem. BRAS. Romæ marmoreum vidi Laochoontem, qui à duobus anguibus cum filiis nectebatur. SEN. Nondum fueras Romæ, vt Laochoontem videre potuiſſes. BRAS. Aliàs videram Romæ in Pontificis hortis, imò ſatis eſſet, me frequenter vidiſſe diuum Georgium pictum, & draconem illum fabuloſum ipſius equi crura nectentem, hoc inquam ſatis fuiſſet, vt cùm dormirem, talis in phantaſia irriperet imaginatio. SEN. Quicquid ſit, ego Romam nunquam profectus eſſem, inſomniis illis horribilibus perterritus. BRAS. At ego, qui Illuſtriſsimum Ducem vti filium diligo. Imò vti me ipſum, illum nunquam deſerere potuiſſem: ſed aliud audias vehementius quod tunc contigit, poſteaquam Architriclinus mihi indicauit, quòd eſſem illuſtriſsimum Ducem comitaturus, in litarium meum cubiculum redij, & mini-

mè dormiens, ſed vehementer vigilans. vocem audiui vti hominis eiulantis, ac conquerentis, quæ locum ferè contremiſcere faciebat. perterrefactus ſurrexi (nam ſedebam) & quidnam eſſet interrogaui, vox illa ſuſpirium haud quoddam magnum emiſit, illámque amplius non audiui. SEN. O magnum ac ſtatum tuæ perniciei portentum, poſteà Romam profectus eſſem. BRAS. At aliud audias per multas anteà noctes in cubiculo, in quo dormiebam, vocem quandam audiueram conquerentem, dum noctu expergiſcerer. hæc autem vox ſolebat eſſe mihi præſagium, cùm aliquid disfortunij illi contingere debebat. ipſa etenim omnia futura bona, & mala, quæ illi euentura erant per multum ante temporis, quàm fierent, prædicere ſciebat, hanc quandam vocem vigilans audiui, non dormiens. Imò cùm aliquid incommodi mihi euenturum eſt, ſentio ac ſi ſit aquæ gutta, quæ in terram ſtillet, vel ſupra aliquam capſam, aut ſcrinium, hanc ſtillam quã nunc voco ſtillam, per multas noctes antequàm Ferraria diſcederem audiui, ſolet nimirum futurorum malorum mihi eſſe prænuntia. SEN. Quid eſſe arbitraris? BRAS. Si antiquitatem ſequerer, genium meum eſſe dicerem, qui de incommodo aliquo malo

me admonet, vt illud euitem. christianè verò loquens, dicam esse Angelum mei custodem, qui me monet, vt si fieri possit, malum illud euitare tentem. SENEX. Hoc maximum Dei donum esse puto. BRASSA. Non ambigo. nam Deum (ob immensam suam misericordiam) semper fautorem habui, ac protectorem, qui direxit me in semitas suas, & quem in finem vsque me directurum spero, quo ad in sinu Abrahæ me reponat, vt vnà cum sanctis suis cohabitem in secula seculorum. Sed & alia audito, quæ te magnopere deterruissent. Vltima illa die, qua sequente mane Ferrariæ discessurus eram, cùm cubiculi mei fenestræ inhærerem, quæ viridarium versus inspicit, ego contemplans an tempus tranquillum futurum esset, (nam aër tunc multis nubibus erat oppletum) en fax quædam è cœlo decidit, quæ parietem, fenestram, & me ipsum lambere visa est, hæc in terram decidit, ac euanuit. SENEX. Si hoc mihi contigisset, certus fuissem me breui obiturum esse. BRAS. Vana prorsus fuisset opinio. Sentis ne tu cum Platonicis, quod vnusquisque proprium sydus habeat, quod decidit, cùm obiturus est? SENEX. Imò in illa sum sententia: experientiáque osten-

dit in illis æſtatibus plures mori homines, in quibus plures decidunt ſtellæ. BRAS. Eadem eſt in his ratio, qualis de Cometæ apparitione refertur. Nam cùm hæc appa-rent, ſcilicet & multi ignes cadentes & Co-metæ, tunc annus ille valde ſiccus eſt, qui acutas etiam inducit ægritudines. multi verò in acutis ægritudinibus obire ſolent. Imò & ſi verum eſſet quod vnuſquiſq; pro-prium haberet aſtrum, & maius, & minus ſecundum hominum conditiones. ego ta-lis non ſum, vt aſtrum tam ingens habere debuiſſem, quale illud, quod eo tempore decidit. SEN. Hanc hominum differentiam non intelligo, quò ad progenies, & proſa-pias, ſed quo ad virtutes, & ad cæteros iu-uandos mortales: illi etenim ſunt maiores, qui vti Dei multis benefaciunt. Imò ob hãc cauſam rerum inuentores Antiquitas Deos vocauit, tamen quicquid ſit, vniuerſus or-bis cum his portentis Romam haud me duxiſſet. BRAS. Hæc omnia deliramenta eſſe arbitratus ſum, & à nemine ſanæ men-tis conſideranda. Sed audias quod conſecu-tum eſt nocte illa vltima, qua ſummo ma-nè Ferraria diſceſſurus eram, cùm dormi-rem, videbatur mihi eſſe in domo mea an-tiqua, & genitorem meum, ac genitricem, fratres, ſorores, filios, patruos, conſobrinos

ad me

ad me venisse, méq; circundasse, tamen dormiens intra me dicebam, nónne isti sunt mortui? At genitor interrogauit me, nunquid cũ ipsis omnibus proficisci voluerim, mente cõmotus, annuere nolebam. At denique annui, dicens me tunc esse illos comitaturum, itaque itineri se præstiterunt, & ego vnà cum illis ad diui Andreæ templum profecti sumus, in quo templo Brassauolorum sepulchra erecta sunt. Tunc genitor, ac genitrix me comprehendentes, in terram extendere. interim ingens strepitus in cubiculo excitatus est, & ego experrectus sum. SEN. Et cum hoc insomnio Romam profectus es? BRAS. Et essem in Indiam profectus. iam verò illucescebat, è lecto surgere cœpi, mihíq; interulam præposterè imposui, deinde è lecto surgens, & aëris constitutionem ante fenestram considerans. En cornix versus me crocitans volauit, & ligulam, qua me nectebam, è manibus meis ferè abduxit, sinistrorsum abuolauit, posteà maximè crocitans supra fumarium illius cubiculi, in quo eram, insedit. Interim ego vxorem meam deridebam, quæ cornici maledicebat, & iussit vt lapidibus abigeretur, quod famulus quidam præstare tẽtauit, sed nunquã abigere potuit, imò statim noctua, quæ supra idem fumarium insidebat, terri-

ficam vocem emittere cœpit, forte à cornice deterrita. SEN. Ego nec domo inde ad octo dies exiuissem. BRAS. Reliqua verò audito, is qui calcaria mihi imposuit, id quod ad sinistrum spectabat pedem, dextero aptauit, & è cõtrario, quod ad dexterum attinebat, sinistro. SEN. Tot refers, vt impossibile esse videatur, quin aliquid summè sinistri tibi contigerit. BRAS. Nihil tamen cõtigit, instructus igitur equum ascendi. cùm verò è domo egrederer, in portæ limine tam vehementer cespitauit equus, vt ferè deciderit. Ferraria egressi, locus constitutus erat, in quo prãdere statueramus. erat verò in dimidio itineris inter Ferrariam & Bononiam, & locus sanctus Petrus in Casali vocatur. Cùm ab equo descendere volui, sagi mei pars sub Ephippio continebatur, descendens tota sagi dextera pars cõfracta est, & diaphoretico sudore profluere cœpi, syncopénq; incidi, vt fuerim coactus me supra lectum prosternere, & interula exui, ac refricari, deinde venter commotus est, & remissam quandam febrem incidi. SEN. Hoc saltem te impedire debebat, ne Romã proficisceris. BRAS. Et ego hoc potiùs verendum iudicaui, quã alia omnia portenta, & de egressu Ferrariam cogitare cœpi, tamen eadem die Bononiam petere volui, nocte quieui

quieui, vt mane cõsequenti non essem quidem à febre immunis, sed esset remißißima, vt pro itinere perficiendo equum ascenderim, deniq; Romam perueni sospes, quãuis ob frigus dextero crure dolere cœperim. At hoc, quod sequitur, te fortè vehemẽtiùs detinuisset, Reuerendißimus Cardinalis Estensis iußit me domi suæ habitare in monte Iordano. præcipienti domino libẽter obtẽperaui, in die magno sancti Iouis in templum profectus sum, quod in monte Iordano erectum est, vt Eucharistiæ sacramẽtum insumerem. Aderat religiosus quidam (vt pleriq; sunt) ignarus, qui & mihi, & aliis Eucharistiam præbuit per modum viatici. SEN. Quomodo per modum viatici? Eóne modo, quo præberi solet breui morituris? BRAS. Illo inquam, quando à medicis omni spe vitæ destituti sunt, & id sacerdotibus indicatur. SEN. O' ignarißime omnium religiosorũ. ego hanc Eucharistiam haud sumpsissem, sed in alium locum diuertissem. BRAS. Cùm audissem religiosum istum aliis Eucharistiam sub viatici verbis præbentem, mihi in mentem venit abire. at desiderium hoc primò compescui, intra me dicens, Hoc nihil refert, sum nunc in via Ferrariam redeundi, & ad æternam patriam, ad quam omnes

tend

tendere debent. Post hāc Eucharistiæ sumptionem, in cubiculum meū redij, ac nonnullis diuinis eloquiis operā dedi, post prādium religiosum illum ad me vocari iussi, accessit ilico, quē interrogaui, cur illis verbis vteretur, cùm Eucharistiam præberet. Ipse qui nec probè literas colligere nouerat, respondit se quandoq; audiuisse quempiam ita dicentē, nullámque insuper rationem afferre sciebat. at si illius manus vidissem priusquam Eucharistiam sumpsissem, nunquam permisissem, vt in os meū illam imponeret. Erāt nimirum manus fumario nigriores, prolixósque habebat vngues cœno, aut stercore, aut pure plenos. nam totus erat scabiosus, & scabiei pustulæ in manibus purè profluebāt. SEN. Mirum est, quòd hęc omnia nō te deterruerint. BRAS. Neq; maiora me deterruissent, cùm hæc omnia fortuit arbitrer, nihilq; futuri portendere, nisi supra humores, Verūtamen cùm Ferrariam redirem, casus contigit, qui mihi magis displicuit. SEN. Qui'nam fuit hic casus? BRAS. Magnificus ac nobilissimus Philippus Strozza Mantuanus, anulo me donauit triginta aureorum pretij, cyaneo lapide decorato, quem in sinistræ manus auriculari digito gerere cœpi, hūc anulum prope Bolsennam amisi, elegissem potius longè peiora

iorà somniasse, quàm anulum amisissem, non ob ipsius pretium, sed vt tanti, talisque viri monumentum apud me esset reconditum: tamen neq; hoc ægrè tuli, sed comitibus omnibus dixi. En omniũ portentorum finem nactus sum, nam omnes ferè prædicta portenta audiuerant. imò quando Romam proficiscebar, hæc omnia in pessimũ iter interpretatus sum. nam quotidie pluit, & viæ omnes præter aspredinem, adeò erãt limo plenæ, vt equi ad ephippia vsque cœnum penetrarẽt. SEN. Vno verbo mentem meam tibi aperiam: neque Duces, neq; Reges, neque Pontifices id efficere potuissent, vt Romã profectus essem. BRAS. At quid mihi contigerit, contemplator, idcirco & insomnia, & alia portenta nulli facienda reor, quanquam maximus sim somniorum coniector, nonnulláque habeam insomnia, quæ me nunquam fefellerunt, vnũ preterieram, quod erat primo loco dicendum. nam eo fortè deterreberis, cùm ab omnibus antiquis obseruatum sit mortem semper prædixisse. SEN. Quódnam est hoc? BRASSA. Quódnam? id quod meo magno incommodo magnóq; dispendio consecutum est. SEN. Contremisco audiens, & adhuc quid dicturus sis, ignoro. BRAS. Horrendum igitur ac deterrẽdum audito euentũ. Si ego

his

his, quæ obſeruata ſunt ab antiquis, fidem
præſtarem, anno. 1549. magnã tegetem cen-
tum curruum capacitatis, è regione domus
meæ apud Sanctum Spiritũ fieri feci. anno
autem. 1550. cùm hora. 21. die. 26. menſis Fe-
bruarij Epidemicos Hippocratis libros, pu
blicè interpretarer, en ex meis famulis vnus
in publicas profectus ſcholas totus ſudore
profluens, alta voce dixit: Patrone, non eſt
amplius legendum, ſed domum celeriter
redeundum, quoniam domus ipſa combu-
ritur, & iam accenſa eſt, & tota flagrat. In-
terim ego campanas audiebam eo vehe-
menter intonantes ſono, ad quem cùm do-
mus, & tecta comburuntur, excitari ſolent
& malleo percuti. ego cõtemplationis viri-
bus in meipſo collectis, illi reſpõſum dedi,
comburatur. nam hinc diſceſſurus nõ ſum,
priùs, quàm integram lectionem perfece-
rim. Nam intra me conſideraui domum
meã exuri non poſſe, neq; conflagrare, cùm
tota cõcamerata ſit, ac lateritiis fornicibus
compacta, tunc lectionem proſecutus ſum,
famulus fortè conſiderans ſe malè locutum
eſſe, dixit non eſſe domum, quæ conflagra-
ret, ſed tegetem, quam in auiario ædificari
feceram, tunc huic dixi, Ito tu, & cum aliis
ignem extinguatis. In Hippocratíſque in-
terpretatione procedebã. at ſcholaſtici no-
uarum

uarum rerum cupidi, cùm campanarũ audirent sonitum ingeminare, manibus ac pedibus supra tabulas magnum strepitum excitabant, vt necessariũ fuerit me lectioni finem imponere, & cum ipsis scholasticis domum regredi. Cùm domum redij, tectum reperij quod superiori anno, pro fœno, palea, & lignis custodiendis parari iusseram, totum fuisse combustum, ignémque fuisse extinctũ: illuc tamen tota vrbs concurrerat. SEN. Ad quid peragẽdum? BRAS. Vt in his fit casibus aliqui ceu amici, vt infortunium deplorarent, qui domi suæ potiùs manere deberent, ne illis impedimento essent, qui ignem extinguere possunt, alij accedunt rerum nouarum cupidi, vt videant, pauci vt ignem extinguant. maxima verò pars vt furetur. SEN. Hoc nũquam credere potuerim. BRASSAV. Imò certus esto. nam aliqui ligna asportarunt, alij strigile, alij spongias, quibus equorum caudæ abluuntur: alij habenas, & vsque ad scopas ac scopulas deuenere, quispiam præterea inuentus est, qui cùm paucum mulæ tegmentum surripere non posset, pilã quandam surripuit, qua vestis mea detinetur, cùm mulæ insideo, ne per ipsius mulæ clunes decidat sed vnum fuit, quod præter cætera magis me molestauit. SEN. Quódnam?

BRAS.

BRAS. Locus ille, in quo teges ædificata erat, meum eſt auiariũ, in quo multos habebam, & pingues capos, gallináſque altiles, huius generis animalia, cùm ob ignem, tum ob hominum multitudinem deterrita extra cohortis parietes abuolarunt. vicinis autem meis indici feci, ſi capos meos, aut gallinas habuiſſent, mihi redderẽt. Nemo autem fuit, qui vel minimum pullum reddere voluerit. SEN. Hoc fuit prorſus maximum diſpendium. BRAS. Et multis rationibus maximum, cùm, quia erant optimæ prolis gallinæ: tum quia capi erãt pinguiſſimi, quos reſeruabam, vt iura nutritioni apta mihi conficerent, cùm in æſtate nonnunquam in appetentiam incidam. SEN. In his igitur caſibus opus eſt (vt vulgò dicitur) malum perpeti, & malum annum. BRAS. Hoc mihi præ cæteris diſplicuit. SEN. Non dubito: quoniam illud tibi auferebatur, quod vitam præſtaturum erat. BRAS. Alij cellam vinariã meam ingreſsi erant, & certatim abſq; delectu bibebant, vt quempiam viderim; qui abſq; intermiſſione decem cyathos biberit. SEN. Ignem denique extinctum inueniſti? BRAS. Inueni quidem, ſed poſtquam tectum cõflagrauerit, & tegulæ omnes fuêre fractæ. SEN. Hoc cõtigit antequam Romam profectu[s] eſſes

esses? BRAS. Hoc inquam contigit. SEN. Neque diuus Petrus, & Paulus Ferraria me dimouissent, nam conflagrationes, illarum præsertim rerum, quas aliquis condidit, vel ædificari fecit, illius qui cõdidit perniciem significare solent. BRAS. Tamen tu vides, quid in me ipso mali cõsecutum sit: dispendium potius ægrè tuli iterum condendi tegetem, & amissos capos, ac gallinas, quàm de vita periculũ timuerim, quanquam non ignorauerim à Suetonio, & Plutarcho in aliquorum heroum morte scriptum esse, templa conflagrasse, turres, domos, & proprias statuas, quæ etiã fuêre, fulmine ictas, ac si illius herois consecuta est mors, ab his ignibus fuisset prędicta. At hæc sunt gentilia à christianis haud credenda, qui totam eorum spem in Christo solùm habere debent. SEN. Hęc ęst summarum summa, ego nunquam Romã fuissem profectus. BRAS. Verùm ego profectus sum & incolumis regressus. SEN. Quomodò potuit exuri locus is, cùm nullus ibi habitet? BRAS. Nullus est Ferrariæ nobilis, neque in alia Italiæ vrbe, qui suos famulos, ac ancillas melius persoluat quàm ego persoluã. semper sunt apud me debitores, & ego creditor: tamen in viros, ac mulieres adeò iniquas incido (ob mea fortè apud Deum demerita) vt

plusquam beluæ sint. Quomodo autem illos in victu tractem, & in quibusdam annuatim donariis, tu nosti. SENEX. Non est opus hæc mihi referre, qui iam diu domi tuæ versor. BRAS. Scis etiam in meo viridario multa esse simplicia, quæ vt ab hyemis inclementia defendam, singulis annis iubeo milij nigri culminibus tegi. Vere aduentãte simplicia detegũtur, & abiiciuntur culmina. Ancilla quædam ebria (vt ferè semper est) milij nigri culmos combussit in inferiori quæ domi meæ inest, coquina: vxor mea, quæ virago est, & quotidie totã domum circuit videns milij nigri cinerem aliis cineribus commisceri, clamare cœpit, ac dicere, quòd ille cinis in alium locum asportandus erat, qui facilè posset lineos pannos potiùs denigrare, quàm vel tantillum dealbare. Ancilla hęc ebria expectauit, quòd vxor mea abiisset, & cinerem hunc in auiarium portauit. Erat verò cinis, in quo nondum erant scintillæ extinctæ. cinerem autem apud paleare portauit, in quo multi paleæ currus aderant, quæ paleæ sub tegete seruabantur, ad equorum & mulorum vsus, contigit fortè fortuna, vt eo die vehemens quidam ventus spiraret, qui milij nigri culmina semiaccensa excitauit, & in paleam detrusit, itaque palea accensa est,

SEN.

SENEX. O vere ebria mulier, quæ ignem apud paleam tulit! BRASS. Ebriissima, vt sui moris est. at hęc missa faciamus, ad præsens negotium nihil attinentia. & id ob quod conuenimus, pertractemus. Dic igitur quid scriptum erat in tua illa schæda, quam dormiens scripsisti? SEN. Dormiens quidem non scripsi, sed illam mihi scribere videbatur, cùm tamen esset iam scripta. omnia verò cõtinet olea, quæ in meo extant pharmacopolio, & quæ à medicis quotidie indicuntur. BRAS. Nunc igitur tibi in animo est, vt olea omnia, quæ in vsu sunt, examinemus, ac contemplemur? SEN. Erit mihi gratissimum, ni tibi molestum sit. BRAS. Didicisti'ne adhuc quid olei nomine censendum sit? SEN. Olea sunt, quę oleagineam habẽt naturã, vt inungere possint, & liquida sint, non prædura, vt vnguenta. BRAS. Imò & olea apud antiquos vnguenta vocãtur, & præsertim odorata. SEN. Memini cùm de vnguentis ageremus, te ostendisse olea apud antiquos vnguenta vocari. imò particulariter docuisti, laurinũ oleum apud Galenum vnguentum nominari. BRAS. Gaudeo tibi in mentem hæc venisse, ne iterum in memoriam reuocare cogerer, & locos referre, quibus suadètur, quæ nunc olea vocantur, vnguenta ab antiquis

fuisse nuncupata:quanquã & nonnunquam
illa olea vocentur.tamẽ Galeni sententiam
de hac re non prætermittam,qui in vltimo
capite secundi libri de Simplicium medi-
camentorum facultatibus, inquit, Oleum
etenim rosaceum nominare aderit, quod
absque odoramentis præparatum est, cui
autem & horum aliquid inditũ fuerit, non
id etiam oleum, sed vnguentum cognomi-
nant. SEN. Composita igitur odorata erunt
vnguenta. BRAS. Et etiam olea, & ita cen-
suisse veteres dicit Galenus. simplicia verò,
sunt olea. At de quibus oleis tractaturi su-
mus? SEN. De omnibus, quæ in publicis
officinis seruamus. BRASS. De compositis
igitur agemus, & de simplicibus, & de his,
quæ per expressionẽ fiunt,& per ignis vim.
SEN. De omnibus in summa. cur verò ita
petiisti? BRAS. Quia multa sunt oleorum
genera, inter se diuersa. SEN. Non intelli-
go quid sentias, nisi planioribus verbis ape
rias. BRASS. En explico, cùm simpliciter
oleũ dicitur, oliuarũ oleum semper intelli-
gitur,quod per expressionem fit, & per ex-
pressionem oleum amygdalarum, lauri-
num, & balaninũ, & alia multa,vt illa quæ
ex persicorũ seminibus extruduntur, pru-
norum, & armenicorũ, alia fiunt per odo-
ramentorum impositionem in hæc, quæ

exprimuntur, vt eſt oleum de gelſemino, oleum de roſetis: alia fiunt per foliorum impoſitionem, vel herbarum, vt oleum amaracinum, roſaceum, & eiuſdem generis alia: nonnulla ab arboribus exudant, vt oleum abietinum, opobalſamum, & quandoq; opus eſt arboris corticem ſcarificare, quandoq; non eſt opus: alia vi ignis fiunt per vocata alambica, vt nos in præſentiarum facimus cinnamomi oleum, gariophyllorum, & gingiberis, pro his oleis Meſue nos remittit ad Alchymiſtas, tamen ego aliqua conficio, chymica arte neglecta. SEN. Scio cur negligas. BRAS. Et cur? SEN. Quia ex ſtercore, & vrinis ſingulis annis mille aureorum prouentum tibi accumulaſti. BRAS. Hæc fuit mea ars chymica, cui totis viribus ſemper innixus ſum, vt facultatem medicam ſemper diligenter exercerem, extat & aliud oleorum genus, quod è montibus exudat, ac emanat, vt petroleum montis gibbij vocatum, & multa alia. SEN. Si de his omnibus non agemus, aliquæ ſaltē oleorū ſpecies ex his quę enarraſti à pharmacopolis ſeruantur, de quibus agendum erit. BRAS. Ab eo igitur incipias oleo, quod in tua ſcheda primò ſcriptū eſt.

SENEX.

1 Oleum amygdalarū dulcium, primum

locum occupat. BRASSAV. Cur de communi oleo priùs verba nõ facis? SEN. Quia notissimum est. BRAS. De ipso tamẽ multa præsciẽda sunt, & multis, ac diuersis modis seruãdum est. SEN. De illo igitur vt lubet agamus. BRAS. Imò necessarium est: tum quia diuerso modo illud seruare debes: tum quia multas ingreditur, & oleorũ, & vnguentorum compositiones, quomodo oliuarum oleum ex expressione fiat, tam manifestum est, vt edoceri nõ indigeat. At tu ex oliuis immaturis oleũ seruare debes, quod omphacinum vocatur, & Galenus quandoq; illud vocat omotribes, id est crudum. SEN. Hoc seruo, imò illud mihi paro, & ita parãt omnes alij pharmacopolæ Ferrariæ. BRAS. Habésne oliuas in tuo viridario? SEN. Non habeo, & ob frigus ægrè in Ferrariensi agro nascũtur. sed dulcius oleũ, quod haberi possit, emo, posteà optimè lauo, hoc est omphacinum oleum. BRASS. Hoc priùs nõ audiueram, arbitraris igitur oleum ita lotum, effectum esse, ac si immatura sit oliua? SEN. Non, sed easdem vires habere putabam. BRASSAVOL. Quomodo easdem, si hoc oleum etiam ita lotum sit calidum, & omphacinum frigidum, ac adstringens? SEN. Quid igitur deinceps à me agendum erit? BRASSAV. Mutinam

mittend

mittendum, & oliuæ emendæ, quæ immaturæ sint, Ferrariámq; asportandæ, ac exprimendæ. Notáque huius olei duplex genus seruari oportere. Vnum ex oliuis prope maturitatem, sed tamen immaturis, aliud ex acerbissimis, hoc secundo in magnis, ac vehementibus vtimur inflammationibus: primo autem in paruis ac remissis. SEN. Nónne idem esset, si ad amicum quempiam meum scriberem, qui vt hoc oleum haberem, curaret? BRAS. Idem prorsus, si fidem illi præstare posses, Verùm contingit, quòd vir hic, ad quẽ scribis, circa alia occupatus est. & ad hoc peragẽdum famulum mittit, qui (vt famuli faciunt) omnia ex opposito peragit, idcirco tutius est, si ad te oliuæ mittantur, quas electas habebis, & illas eiicere poterit, quæ ineptę tibi videbũtur, de oleóq; certus eris, quod in pharmacopolio seruabis. SE. Erit longè maior expensa, quàm cõueniat. BRA. Dic, cur omphacinũ oleum in tuo seruas pharmacopolio. SEN. Vt vendam, & aliquid lucrer. BR. Quid impediet te cariùs vendere, & emptoribus causam indicare? SEN. Omnes pharmacopolium meum euitarent. BRA. Nõ euitarent, si ita constare, vt asseris deprehenderent. at potius euitare deberent, si noscerẽt te illa non habere, quæ habere deberes, & aliud pro

alio vendere. SEN. Ad oleum redeamus; nam mores tuos deinceps seruaturus sum. BRAS. Ex vtroque omphacini genere,& lotum,& non lotum seruare oportet, vt in promptu sint, cùm vel à Medicis indicũtur, vel in aliquam compositionem sunt ponenda. SEN. Ita deinceps efficiam. BRA. Cùm verò oleum ex maturis oliuis, quòd cõmuniter oleum vocatur ad multa seruaturus sis, dulce oleum quærito, quod alieni odoris nihil spiret. & hoc serua lotum, atq; non lotum,& ex omni genere salsum serua, & minimè salsum. SEN. Mihi superfluum esse videtur oleum lauare, cùm in ipsa exigatur pinguitudo. BRAS. Ob multa lauatur, primò, vt album fiat, prætereà, vt ab ipso nonnunquã salsedo remoueatur. tertiò, vt acritudinem dimittat. quartò, vt oleagineus odor auferatur. quintò, vt aliarum rerũ odores, sapores,& qualitates alias faciliùs recipiat. SEN. Súmne alia de oleo seruaturus? BRASS. Antiquum etiam & nouũ in omni genere seruato. nam multæ compositiones antiquum expetunt oleum, aliæ recens. SE. De simplici oleo nihil aliud seruari posse arbitror. BRAS. Neque ista à tua officina abesse debẽt, ne cùm illis indigueris, aliunde quærere cogaris. SEN. A' tuis mandatis nec quidem discedam, sed omnia integrè

exeq

exequar. BRAS. Neq; istud prætereundum est, quòd ex diuersis mundi partibus olea enanciscaris, quę tenuiora sint, & minùs tenuia. Galenus iubet quandoque sumi Sabinum vti tenuius, quandoq; Hyspanum. At cùm ista vel haberi non posſint, vel difficulter haberi, Romæ verò Sabinum facilè habetur. In hac verò nostra alma, ac inclyta patria difficulter, idcirco Sabini loco exquisitum Salodiense seruato, & pro Hyspano id, quod ex piceno affertur, modò optimum sit. In oleis verò non solùm distantes patriæ differentiam faciunt: sed in eadem patria diuersi colles, vt Septentrioni magis oppositi sunt, & meridiei hoc in oleis diuersitatem facit in tenuitate & crassicie. SEN. Curabo etiam vt hæc oleorum genera, quæ enarrasti cõsequar, sed lucrum non feret expensas. BRAS. Imò feret, nisi supra modum lucrari volueris. SEN. Nondum nouisti animum meum circa lucrum. BRA. Imò iam diu noui, & vtinam omnes tui similes essent. nam res viliori pretio venderentur, quàm nunc fiat.

SENEX.

2 De dulcium igitur amygdalarum oleo verba faciamus. BRASSA. Vt lubet. Quomodo illud cõficis? nam hoc imprimis contemplandum est, & meritò post id quod

verè oleum est, & à cuius nomine alia omnia nũcupata sunt, secundũ locũ obtinet. nam non solùm est medicamentum, sed & alimẽtum, cùm dulces amygdalæ, & ipsarũ succus (Galeno teste) animalia nutriant. multis verò confert eiuscemodi oleum, de quibus agemus, si priùs tu quomodo illud conficias, aperies. SEN. Illud conficio, vt à Mesue edocemur, quanquam & aliũ habeã modum, quo ad maiorem extrudendi olei copiam, quã communiter fiat, potiùs vtor. BRAS. Tu potiùs hoc modo vteris ob auaritiam. Nam ita exprimere non est opus, vt ex amygdalis queq; crassissima pars exeat, sed satis est tenuiorem partem extrudere, vel saltem primã partem à secũda seorsum seruare. SEN. Nõdũ est, quod hoc obseruare cœpi, vtranque scilicet partem secernere, & crassiore in conficiendis emplastris, ac vnguentis, quæ præcipuo alicui membro applicentur tantùm vti. BRAS. Modos nunc illos, quibus hoc oleum paras referto. SEN. Mesue ita parari docet, dulces amygdalæ accipiãtur, & ab omni cortice liberentur. BRASSA. Ad quantam copiam accipis? SEN. Hoc non animaduerto. Nam quantitatem, quam voluero accipio, posteà extremè tero, contundo, & in massam redigo, deinde per quinque horarum

ſpaciũ in loco calido exſiccari ſino, iterúmque tero, ac contundo, háncque maſſam ita calidam in torculari pono. adeóque premo vt oleum exeat. BRAS. Quomodo amygdalas ab vltimo liberas cortice? SEN. Quandoque illa in ſartagine vehementer calefacio, poſteà craſſo linteo optimè confrico, tunc cortices illi abeunt, ac decidũt. BRAS. Oleum iſtud vſtulatæ rei ſaporem enãciſcitur, ob hanc vehementem in ſartagine calefactionem. SEN. Hoc verum eſt, idcirco alias amygdalas ebulliri feci, poſteà facillimè ab illa pellicula immunes reddidi. BRASSA. Et hoc facit vt oleum aqueum euadat. nam amygdalis aqua imbibitur. SEN. Nonnunquàm ego cum tota mea familia cultris ſumptis amygdalas abradendo ab extimo illo cortice liberauimus. BRASSA. Tunc nec vſtulatæ rei odorem, nec aqueam naturam habere debuit. SEN. Ita profectò fuit, ſed magnus labor fuit, longáque temporis contritio illa, qua vnaquæque amygdala abradenda erat. BRAS. Iuxta laborem tuum oleum vendito. SEN. In eodem adhuc ſumus ſermone, tunc nullus à me emeret, ſi vel tantillum plus venderem, quàm alij faciũt. BRAS. In quo calido loco contuſas illas reponis amygdalas? SEN. Calidarium

quod

quoddam paruum habeo, in quo bellaria ſeruo, in illud per quinque aut ſex horas repono, donec totum incaleſcat. BRAS. Nimius calor euitandus eſt, ne pinſa illa maſſa torreatur. propterea in furno calefieri non debet, tamen in ſole, æſtiuo tempore calefieri poſſent. At ſuauior caliditas eſt, ſi per totum hoc tempus lintea igne incaleſcant, & illis circundetur hæc maſſa, frequẽter illa immittendo, donec perfectè calida ſit, tamen Meſue facit, & ex pinſis amygdalis quæ in duplici vaſe coquantur. SEN. Haud intelligo impræſentiarũ, quomodo in duplici vaſe coquẽdæ ſint. BRAS. Hoc multis modis intelligi poteſt, primò, quod amygdalæ bulliant in aqua in vaſe duplici, vt illarum cortex facilè auferri poſsit. Poteſt & hoc de iã tritis amygdalis intelligi, & ita prorſus intelligendum eſt, quod. ſ. amygdalæ excorticatæ, ac tritæ in vitreum vas, vel in vitreatum abſque aqua ponantur, & vas hoc in alio vaſe caleſcat, in quo ſit aqua per horam, poſtea torculari amygdalæ exprimantur, tunc maior olei copia emanabit. SEN. At erit aquoſius. BRAS. Nõ aquoſius, quia aquam minimè attingunt amygdalæ, neque aqua ad ipſas peruenire poteſt. Addit & alium modum calefaciendi amygdalas Meſue, ſi tritæ in

ſacculum ponantur, & ſacculus ſub cineribus recondatur, ſiue ſub calida terra, ſiue ſub arena calida: ita enim & magna exibit olei copia. SEN. Ego nonnunquam ſub calido furfure iuſsi hunc ſacculum poni, & olei conuenientem copiam eduxi. BRAS. Nihil refert ſiue furfur acceperis, ſiue miliũ, ſiue aliquod aliud, modò calorẽ ſeruare poſsit. SE. Modus verò proprius, quo magnã olei copiã educo, talis eſt, excauatum ferrum ad volæ manus formam, ſed magis concauum fieri feci, aliud prætereà ferrum fieri iuſsi ad illius cauitatis magnitudinẽ, quod illã implere poſsit, poſteà amygdalas ad oleum paratas in cauitatem pono, & alio ferro in capite in modum pilæ rotũdo comprimo, tunc vehemẽtius oleum educo, & maiorem copiam colligo. BRASS. Hic videtur eſſe ſecũdus modus à Meſue deſcriptus. SEN. Qui nam eſt ille. BRASS. Iubet amygdalas in vaſe concîdi, vt poſteà concitetur, ídq; in loco calido fieri monet, & aquæ calidæ modicũ, ſuperfundi, & prelo conſtringi, prelo verò concauitatem habente: in decliuiori autem parte adſit veluti ductus, per quem oleum in vas deſcẽdat, in quo colligatur. monet verò in inferiori preli parte adeſſe cõcauitatem, & globum ad concauitatis mẽſuram, & quod hic glo-
bus

bus vacuam cauitatem semper impleat.
SEN. Omnino ille esse videtur, quē seruo
modus. At Mesue negligere videtur an ex
ferro sit, an ex ligno. Sed ego experior ex
ferro id magis efficere atq; plenius. BRAS.
Dioscorides eodem modo conficere vide-
tur. SEN. Dioscoridis modum & ipsius
authoris verba referto. BRAS. Sumit ipse
(at de amararum amygdalarum oleo lo-
quitur, quamuis idem sit conficiendi mo-
dus) quartam modij amygdalarũ partem,
quas purgat, hoc est à corticibus liberat,
deinde arescere sinit, quod nobis indicium
est à corticibus feruēti aqua liberasse, post-
eà ita exiccatas pistillo leuiter comprimit,
quo ad in offam, vel in placentulam illas
redegerit, deinde aspersis feruentis aquæ
laminis duabus, semissem horæ confunde-
re sinit, posteà ab aqua eximit, & iterum
in mortario contundit. Cùm verò secunda
hac vice fuerint contusæ, in alueolum po-
nit, vel in prelum ac exprimit. SEN. Non
est magna differentia. At quid nunc dicis,
cùm Dioscorides aquā superingerat, aquo-
sum igitur erit? BR. Omnino magis aquo-
sum erit, quàm si amygdalæ non fuissent
aqua imbutæ. Nota verò Dioscor. nō fuisse
prima expressione contentū, sed amygda-
las illas accepisse, quæ erant expressæ, &

aquæ laminam ſuperinfudiſſe, paululúmq; ſiuiſſe, vt combiberēt, deinde ab aqua exemiſſe, & iterum expreſsiſſe. SEN. Magna olei quantitas hac ſecunda vice exire nō debet. BRA. Tanta exit, quanta exire poteſt. Verùm hoc oleū cum præcedenti ſimul miſcebant antiqui. SEN. Ex amygdalis verò ita conficiendo, quanta olei quātitas emittitur? BRAS. Dioſcorides dicit amygdalarum ſemodium, vnam olei heminam reddere. SE. Aliâs ex vna amygdalarum libra, quinq; vel ſex olei vncias elicere ſolebam. Nunc cum meo illo ferreo inſtrumento ad octo, & nouem vncias educo. BRASS. Tuū illud ferreum inſtrumentum gratiſsimum tibi eſſe debet, cùm te non modicè ſuperlucrari faciat. SEN. Gratiſsimum mihi profus eſt inſtrumentum, tum quia vtile, tum quia à me inuentum. BRASS. A' te inuentum? fortè è ferro illud aliâs factum eſſe non conſtat, ſed ex alia materia extitiſſe, ex Meſue ſententia conſtat, qui in torculari concauitatem facit, & iuxta concauitatis capacitatem, quæ in torculari eſt, globum. non exprimit verò, num ex ferro, an ex ligno eſſe debeat: ſed modum alium audito, quo oleū iſtud efficitur. amygdalæ vehementer terendæ ſunt, poſteà in feruentem aquam iniiciēdæ, & ebullire ſinendæ,

ping

pinguedinem semper, quæ innatat à vase, in quo ebulliunt auferẽdo. nam pinguedo illa oleum est, quod ab amygdalis emanat. SEN. At erit multa aqua mistum. BRAS. Tunc eo vtar, cùm emollire opus erit. Verùm & si nonnulla aquæ portio oleo sit commista, illam auferre haud difficile est, oleũ per aliquod spaciũ quiescere sinendo, in hoc etenim spatio oleum ascendet, & aqua in fundo permanebit. SEN. Non me latet hoc nõ esse difficilè eximere ab oleo, videlicet aquam, domum phyalas habeo perforatas, cũ quibus oleũ ab aqua eximo. Nam cùm oleum & aqua in phyala sint, & per aliquot horas quieuerint, foramen aperio, quod est ferè inter aquam & oleum in phyala, itaque oleum exit, & aqua relinquitur: & si olei pauxillum sit derelictum, illud totum facilè aufero. BRAS. Non dubito, sed & alius est oleum educendi modus, vt ego ex gingibere, gariophyllis, cinnamomo, & pipere oleum extrudo, in æneo vase duobus tantùm pugnantibus, glacie, scilicet, & igne, hoc est summo frigore, & summo calore. SEN. Sunt prorsus mirabilia illa, quæ ex diuersis rebus extrudis per calorem, & frigus olea, &, quod admirabilius est, odorem, saporem, & colorem rei seruant, quam in oleum resoluit. BRAS. At

nuper

nuper imaginatus sum (nam facile est inuentis addere) modum quo oleum abundantius educam, quàm priùs facerem. SEN. Neque istud erit arti inutile, verùm tuum hunc distillandi modum mihi aperire ne recuses. BRAS. De eo impræsentiarũ nihil tibi dicturus sum, cùm de illo sim seorsum libellum scripturus, qui totum hunc modum aperiet. SENEX. Multos vidi, qui ex amygdalis integris, & non excorticatis oleum educunt, illas in trusatilem molam ponentes, ac prementes. BRAS. Non conuenit hoc, quia eiuscemodi oleum corticis colorem habere debet, neque tanta educitur copia, quanta educitur, si sint pinsi, & calefactæ (vt superiùs dictum est) amygdalæ. SEN. Quem modum sequi debeã (cùm tot sint) ignoro. BRAS. Mihi placeret, vt cultro amygdalas cortice liberares, & sine aqua pinseres, posteà eo modo exprimeres, quo tibi magis placeret. Et si, vt Dioscorides facit, aquam addere volueris, pro hoc prælium inferre recusabo, verùm isto vtar oleo ad effectus, in quibus emollire opus est, & multum humectare. SEN. Quibus conuenit oleum amygdalarum dulcium? BRAS. Illa imprimis referam, in quibus peculiariter eo vsus sum & vtor, posteà ea quæ ab authoribus dicũtur, exequar in tho

racis inunctionibus vbi humectare oportet, eo peculiariter vtor. Cùm verò aliquis torminibus premitur, quatuor vncias potui præbeo, ex eo quod recenter sit ab amygdalis expressum. SEN. Quarum partium torminibus adhibes hoc oleum? BRAS. Omnium intestinorum torminibus, & ventriculi sit cuiuscunq; generis affectio, præbeo & mulieribus, quæ peperere, ad quatuor vncias bibendum cum duabus vnciis zuccari vocati fini, ne torminibus crucientur, & illas à torminibus liberãt, cùm quispiam ex inanitione singultum incidit, cochlear huius olei transglutiẽdum præbeo, & hoc frequenter, imò & si sit ex flatu conuulsio, & ex repletione vtor, & proficit. SEN. Id tibi dicam quod Satyrus domino suo dixit, quod eodem spiritu ad calefaciendum, & infrigidandum vtebatur: ita tu eodem vteris oleo ad singultum ex inanitione, & repletione, qui fiunt ex causis contrariis. BRAS. Et ego respondebo, vt Satyro responsum fuit, & si idem sit oleum tamen diuersa intẽtione vtor ad conuulsionem ex repletione, & diuersa ad conuulsionem ex inanitione. Vtor præterea hoc oleo pro balneo si, & subiecto in diuino illo vnguento ad partum facilitandum, & ad dolores sedandum, & ad accelerandum fœtus exitum

cù

cùm in via eſt, & non niſi difficulter, & cum tempore exire ſoleat, hoc oleo particulariter ad hæc vtor, & ſemper proficere expertus ſum. Vt autem amygdalas dulces, minus efficaces eſſe quàm amaras Dioſcorides iudicat, ita amygdalarum dulcium oleum minus efficax eſt, quàm amararum. SEN. Ita ratio dictare videtur, ſi id verum ſit, quod à Dioſcoride primo ſcriptum eſt: dulces ſcilicet amygdalas eſſe minùs efficaces maris. BRAS. Ad nonnulla conueniunt amygdalæ dulces, ad quæ non conuenirent amaræ, idémque iudicium in oleis faciendum eſt. Ad thoracem, autem emolliendum, amygdalarum dulcium conuenit oleum. non æquè verò amararum conuenit, leniunt gutturis aſperitatem dulces amygdalæ, idémque efficit oleum, quod ab oleo amygdalarum amararum minimè efficit, idem in pulmone facit, & in omnibus extrinſecis partibus valet, & huius generis oleum ad omne prędurorum humorum genus. artubúſque aptiſsimum eſt, ac iuncturis, hecticis in potu præbendum eſt. nam illos impinguat, præter id quod interanea humectat, & in hoc caſu oleum illud melius eſt, quod cum aqua effectum eſt, ſi argenteo tubo in veſicam per penem, vel in vterum per

colum iniiciatur horum membrorum ardori succurrit. SEN. Nónne Actuarius ac Alexandrinus, de hoc oleo verba fecerunt? BRAS. Arbitror de amygdalarum amararum oleo ipsos loqui, vt in illo ostẽdemus. de hoc verò satis iam dictum est.

SENEX.

3 De amararum igitur amygdalarum oleo verba faciamus. BRAS. Nihil est quod à nobis dicendum sit de ipsius ab amygdalis eductione, quia eodem modo & eisdem instrumentis educitur, quo & quibus amygdalarum dulcium oleum superius confici diximus. Vnum verò minimè probo, quod à nonnullis pharmacopolis fieri his oculis vidi, cùm amygdalarum amararum oleo carerent, dulcium amygdalarum oleum commiscebant, huius olei munus est, obstructiones aperire, dolores sedare, flatus resoluere, & materias etiam à quibus flatus excitantur, peculiariter aurium doloribus à causa frigida succurrit, & surditati, quæ ab eadem sit genita causa & sibilis, ac strepitibus, qui in auribus gignuntur, asperitates, quæ in membris reperiuntur, lenire dicitur, imò ita esse experientia ostendit, si asperum membrum eo inungatur, cùm nerui dolent, & tensi, ac duri efficiuntur, his prodest hoc oleum, faciei macu-

la

las aufert,quas vulgus panes vocat, imò,& lentiginibus ſuccurrit,ac aſperitatibus,quę in facie contingunt. Dioſcorides ait ad mu liebrium locorum ſtrangulationes valere hoc oleum, & eiuſdem partis inuerſiones ac inflammationes ad capitis, & aurium dolores facit, intentos ſonos, & ſibila fugat, prodeſt præterea renum cum vrinæ malo aliquo doloribus, vrinæ anguſtiis, calculoſis, ſuſpirioſis,& lienoſis: emendat idem vultus maculas,aſperam,diſcolorémque à Sole cutem,& rugas melle lilij radicibus,cyprięq; aut ex roſa ceræ commixtũ, quinetiam hebetes reſtituit oculos,& cum vino furfurea,atque manantia capitis vlcera exerit. Hæc Dioſcorides de amararum amygdalarum oleo,ſcito etiam aſperis cõferre pernionibus, & ſi ad vncias quatüor bibatur,aluum egregiè ſoluere, & vermes necare. SEN. Fortè, quia amarum. BRAS. Et ob hoc etiam.nam cùm Galenus de ſimplici aliquo lumbricos necare dicit, addit quia amarum. rerum verò amararum natura,ratione qua amara ſunt eſt calefacere, attenuare,incidere,digerere,tergere,& valenter. SE. Nunquam vidi animal aliquod in hoc oleo naſci. BRAS. Et hoc eſt amararum rerum natura, ac proprium, vt neque in vermes conuertãtur,neq; vermes admit-

tant,propterà bilis pura in vermes conuerti non poteſt, quia ſupra modum amara, licet pituitæ miſta vermes nonnunquam pignere poſsit,tamen adeſt tunc maior pituitæ copia, bilis minor.SEN. Alexandrini modum conficiendi hoc oleum nondum edocuiſti.BRAS. Ipſe non exprimit amygdalas: ſed in oleum oliuarum infundit, itaque ait author ille,prodeſt ad Cephalalgiam,aurium dolorem, tinitum, & ſurditatem iniectum compeſcit,rugas,& ſordes faciei cum cerato irino aut roſaceo detergit,ſtranguriofis & lithiadicis,ſuper pectinem inunctum, aut pervirgam immiſſum prodeſt,matricis dolores,phlegmones,ſuffocationes in modum peſſarij ſuppoſitum, mitigat. Recipe olei libras quinque, amygdalarum purgatarum vncias vigintiquatuor,amygdalæ tritæ,& in oleo triduo infuſæ ad medietatem coquantur,& colatum condatur,& vſui reſeruetur.SEN. Et ſi non exprimat,an de dulcibus, an de amaris loquatur amygdalis, effectus tamen ad quos valere refert, quod de amaris loquatur, oſtendunt.BRAS. Ita prorſus eſt, ſed aliam apponit confecturam, quæ talis eſt, Amygdalæ amaræ purgatæ,& ſiccæ in pila diutius tundantur, & cùm aliquantulo aquæ diu ſubigantur,& poſt quinque aut ſex ho-
ras

ras iterum terantur,& manibus fortiter exprimantur, illud autem aquæ, quod supernatauerit cochleari colligatur, hoc iterúmque facito, donec totam pinguetudinem excusseris, quæ sicuti suprà diximus, cochleari collecta condatur, & vsui reseruetur, hæc Alexandrinus. SEN. Sunt alij omnino conficiendi modi. at quomodo conficit Actuarius? BRAS. Omnia authoris verba referam, ne quicquam desideretur. Inquit, nimirum amygdalinũ oleum prodest aduersum inflammationes vteri, conuersiones, occlusionésque, item ad strangulatus eorundem locorum infusum, doloribus capitis instillatum medetur, aurium grauitatem, sonitus, stridores, & sibilos discutit, renum vitio, & vrinæ difficultate laborantibus, calculosis, viscerum tormentis, iocinorosis, suspiriosis, lienosis sumptũ subuenit, neuos & maculas à facie tollit,& cutem erugat, reliquámque eius emaculat labem, cum radice lilij melle rosaceóq; tanquam cerato permistum, oculo abolet hebetudinem, emanantia capitis vlcera, furfurésque ex vino detergit, hoc aliqui Metopion vocant, ratio eius talis, amygdalæ amaræ chœnices quatuor purgatas, & exiccatas pistillo ligneo in mortarium collatas leuiter cõtunde, quo ad massa fiat, cui aquę

feruentis heminas duas affusas semihoram dimitte, posteà vehementiùs iterum tunde, deinde ad tabellam premens tortiuum cremorem excipe, & quod pingue digitis adhæsit, in cornicula diffunde, rursúsque in id quod expresseris, heminam aquæ vnam infunde, & spatio vt combibat interposito, iterum exprime forma, qua priùs, choenices quatuor heminā conficiunt. hæc Actuarius. SEN. Duo hæc olea amararum, scilicet & dulcium amygdalarum, in quo qualitatum ordine reponi debēt? BRAS. Dulcium amygdalarum oleum in actiuis qualitatibus temperatum existimatur, in passiuis in primo ordine humidū. At necessarium est dicere esse in primo ordine intenso humidum, vel in secundo arbitror, potiùs in secundo esse humidum. amararum verò amygdalarum oleum est in primo ordine calidum, nec aliqua destituitur humiditate, quāquam & siccitatem habeat, quæ qualitates quodammodo inter se pugnare videntur: denique hoc notato, si ad quatuor vncias bibatur, omnia expurgare quæ in intestinis continētur, & obstructiones aperire: sed hæc iam satis esse videntur.

SENEX.

4 De regiis nucibus oleum sequitur, de regiis dico ad auellanarum nucum & similium

lium differentiam , modus condendi hoc oleum eſt. Idem cum his,qui dicti ſunt modis in oleo amygdalarum dulcium conficiendo. Nota verò huius generis oleum triplex fieri, Vnum ex oleoſis , & ferè ſemiputridis nucibus:multi enim nuces dimittere ſolent,vt inuetereſcant,& oleoſæ efficiantur,quo maiorem olei copiam educant. At oleum iſtud per os haud ſumitur: nam eo modo mediocriter læderet. fit ex optimis nucibus oleum,& hoc eſt,quod per os præbere debemus: tertium fit ex oleoſis partim,& partim bonis nucibus,& hoc ad clyſteriorum vſum vti poſſumus.nam mirum in modum flatus diſcutit, vnde in colico dolore clyſterem imponere conuenit ex vino cretico,& oleo de nucibus. Meſue etenim dicit craſſos flatus reſoluere,& tumoribus conferre,ac neruorum contractionibus, neruorúmque puncturæ conuenit ex lota calce ſimul, ſcabiei quoque aduerſatur. At in hoc caſu quantò eſt magis rancidum, tantò efficacius eſt, lucernæ quæ ex hoc oleo ardẽt ad illas legentibus vel exercentibus capitis dolorem, & perturbationem ingerit,nucum oleo ad piſces in ſartagine coquendos vſus ſum,optimos reddere piſces noui,& ab ipſis magnam humiditatis partem auferre,guſtuíque placent: ſed

opus est, vt ex optimis nucibus oleum fit: non autem ex rancidis. modus verò aufe-rendi ex hoc oleo scabiem, hic est.

℞. Olei nucis ℥ vj.
Calcis ablutæ ℥ j.
Salis communis ℥ ß.
Misce.

SEN. Tamen à Mesue de calce addenda, & sale nihil scriptum est. BRAS. De sale quidem nihil scripsit, de calce verò prius statim dixerat, quod huic oleo misceatur. SE. Hoc dicit, cùm de neruorum punctura sermonẽ facit. BRAS. Tu verò intellige etiam ad scabiem, quæ sequitur. SEN. Miror, cur calx non exurat. BRAS. Imò lota exiccat absque mordicatione, ac digerit. ego verò ad opus perficiendum salem addo. SENEX. Quódnam oleũ accipis aduersus scabiem? BRAS. Illud quod ex antiquis, ac rancidis nucibus cõfectum est à Galeno in septimo de Simplicium medicamentorum facultatibus dicitur, esse tenuium partium, & per halitum digerere, ac sine morsu siccare. Quantũ verò in nerui punctura conueniat eiuscemodi oleũ, Galenus in sexto Methodi aperit, & in libro de Compositione medicamentorum secundum genera. Ad aurium tinnitus & frigiditatem mulieres Ferrarienses hoc oleo frequenter vtuntur

illud

illud calidum in aures imponẽtes, quod ab re non eſt, licet aurium proprium in frigidis affectibus amygdalarũ amararũ oleum eſſe videatur. SEN. Maximus eſt Ferrariæ huius olei vſus, ad capſas, ac menſas ex nuceis tabulis confectas illuſtrandas. Nam cùm eo inunguntur, pulchrũ colorem contrahunt. BRAS. Neque pauca conſumitur in his inungendis, ac perficiendis copia. SEN. Poſſétne fieri ex recentibus nucibus? BRAS. Poſſet quidem, ſed nonnihil haberet humiditatis, mirificũ profectò eſt, rem tam humidiſsimã, vt eſt recentiſsima nux, tempore adeò ſiccam euadere. SEN. Nux dum nucleum facit, nõ ſolùm eſt humidiſſima, ſed & craſſæ & glutinoſæ ſubſtantiæ; nam in initio nux ſubiectum habet veluti mucum quendam craſſum ac glutinoſum. Vnde cùm vim habeat glutinandi, quam paulatim per coctionem amittit, & maturationem, ſi ex nucibus recentibus expilatis oleum fiat, guſtui optimũ eſt, & album eſt, ac aqueum. nucum etiam olei vſus eſt, cùm in dyſenteria tineſmus adfuerit, parua accipitur ex nuce tabella, & nucum oleo bene inungitur, & calefit, & hic qui tineſmo cruciatu ſupra tabellam ſedere iubetur, venter adſtringitur, & tineſmus remittitur, valet & hoc oleũ ad latum Lum-

bricum. SEN. Legi Dioſcoridem id de nuce ipſa dicentem. BRAS. Si nux ipſa id efficit, cur nucis oleum id valentiùs non efficiet? SEN. Id effecturũ non dubito. at Actuarius dicit eandem habere vim caryinum oleum cum balanino, idcirco vultus maculas, lentigines, varos, & cicatricũ nigredinem exterere deberet. SEN. Hęc proculdubio facere deberet, cùm à balanino oleo hęc omnia perficiãtur. BRAS. At experientia oſtendit nucum oleum, carnẽ denigrare. SEN. Fortè de extimi corticis ſucco intelligis. BRAS. De oleo loquor, quod non modò carnẽ, ſed & tabulas denigrat. oleũ verò iſtud aluum ſoluere non dubito. At oleum, quod ad alui ſolutionem ſuſcipiẽdum eſt, ex recentibus nucibus confectum eſſe debet: & ſi vltimo illo cortice, qui carnem tegit, excoriatæ eſſent, cùm premuntur nuces, oleum dulcius efficeretur, & aptiùs aluum emolliret. A rancido & veteri abſtinendum eſt, niſi velimus & gulam, & aſperam arteriã maximè vexare, poteſt & auribus inſtillari, cùm ex frigiditate dolent, & cùm ſonitus ac ſibili in ipſis perſentiantur. SEN. Diſpeream, niſi ex hoc oleo recenti piſces in ſartagine mihi coqui faciam. BRAS. Tibi nõ diſplicebunt, & ſecum afferunt nucis ſuauitatem: ſed ſummopere caue, ne oleum ſit

rancidũ: ita enim & piſces amitteres. SEN. Quomodo amitterem? BRAS. Quia edere non poſſes, niſi cum ſummo faſtidio. SEN. Nunquàm coqui facerem in huius generis oleo, niſi eſſet recens. ad id verò quod dicebamus redeuntes, eſt Actuarius ſolus, qui dicit oleũ nucum eandem habere vim cum balanino. BRAS. Imò eſt & ipſe Dioſcorides, qui in calce illius partis, vbi de balanino agit oleo, inquit cõfici. Similiter vt balaninum, oleum ſeſaminum, & ex iuglandibus nucibus, haberéque eaſdem balanino vires. SEN. Fortè intelligit in multis. BRAS. Alia nũc referas conſideranda olea.

SENEX.

5 Oleum de been poſt caryinum accedit. BRASS. De illo nuper loquebamur. Apud Dioſcoridem eſt oleũ balaninũ, quod been vocant Arabes, à recentioribus, & à Galeno ſexto de Simpliciũ medicamẽtorum facultatibus libro, balanus myrepſica vocatur, hoc eſt vnguentaria glans, quia ad odoramenta oleo ex hac glande expreſſo vtebantur, vtpote quòd nullius odoris ſit particeps, & reliquos odores facilè recipiat, à Meſue dicitur fieri hoc oleum, vt fit oleum de amygdalis. Nota verò fieri poſſe per expreſsionem, & cum aqua & abſque aqua, & per ebullitionem, & per modum illum noſtrum.

ſtrum ex æneis vaſculis. Dioſcorides etiam dicit confici & balaninũ oleum eodem mo do, quo amygdalinũ, & addit, Vultus maculas, lentigines, varos, & cicatricũ nigredinem exterit: aluum idem ſoluit, ſed ſtomacho nocet, auriũ doloribus inſtillatur, ſonoribus,& ſibilis cũ anſerino adipe vtiliter, hæc Dioſcorides. Nota verò aluũ mollire, vt oleum amygdalarũ dulcium, ac nucum faciunt. nam ſi vnciæ quatuor ſumantur, ventrem ſubducit, cicatrices nonnunquam delinire iuſsi, & pulchriores effectæ ſunt, ſi balanus ipſe edatur, vomitum inducit,& ſi copioſiùs edatur, ventrem etiã ſubducit. SENEX. Non eſt in magno vſu apud pharmacopolas. BRASSAV. In magno tamen eſt apud myropolas. SEN. Ego tamen illud ſemper ſeruaui. BRAS. Illo frequẽter vſus ſum in his, qui fæces habent in corpore præduras, venter etenim clyſteri ex hoc oleo remollitus eſt. SEN. Nónne & alia eandem vim habent? BRAS. Habent quidem, vt oliuarũ oleum, & amygdalarũ, ſed non tam efficacem, vt balaninũ, arbitror quòd ſtercoris odorem facilè etiam recipiat, cùm in rectum iniicitur inteſtinũ. SEN. Nemo ambigere debet omnibus modis fieri poſſe non dubito, quos ſuperiùs enarrauimus, Tu reliqua oleorum genera proſequaris.

SEN.

SENEX.

Oleum de Cherua huc accedit. BRAS. Tu semper magis barbaris vocabulis vteris, quæ dici possint. Dioscorides illud vocat oleum κίκινον, Latini oleum cicinũ, vel kicininũ. SEN. Vnde nomẽ accepit? BRAS. Scito herbam illam, quæ vulgò myrasole, hoc est heliotropiũ, vel solisequa vocatur, semẽ parêre, quod veluti spiculas habet, vel pedicula absq; acumine in extimo cortice, hoc semen animali cuipiam assimilatur, quod Latinè ricinus dicitur, vulgò verò cecca, quod fortè nomen scilicet cecca, ἀπὸ τοῦ κίκυ deductũ est. nam κίκον animal hoc Græci vocant. Ex expressis huius plantę seminibus, vt prędictum est, vel per vocatum alambicum, vel per ebullitionẽ oleum fit, quod cicinum, & ricininũ nominatur: nonnulli putant esse oleum de catapucia vocatum, quod absurdum est: quia illa inter lactarias herbas numerãda est. at cicus vel ricinus lacte caret. huius olei cõfecturam ita docet Dioscorides: Sumito quot satisfacere credideris maturos ricinos, contusósque eodem modo, quæ in cratibus siccantur in sole disponito, sinitóque in sole esse, vsque dum vestiens eos disruptus cortex ceciderit, tunc collectam eorum carnem in mortarium coniicito, tusámque diligenter in

lebetem

lebetem stanno ex interiore parte illitum
aqua plenũ transferto, & admoto igne fa-
cito simul ferueant. Cùm verò omnẽ quem
habebant humorem, iam remiserint, amo-
to ab igne lebete illo conchula colligito,
quod supernatabit oleum, reponitóque.
SEN. Hic est modus, quo superiùs in aliis
dixisti per ebullitionem fieri, & olea educi,
nónne? BRASS. Hic prorsus est tamen hic
modus, olei haud multum facit. SEN. Ob
hoc fortè Dioscorides scripsit in Aegypto,
quòd maiore eius copia indiget ea gens.
aliter conficitur ricininum oleum. BRAS.
Hic alter modus plus olei reddit. SENEX.
Qui nam est? BRAS. Dioscoridem audito,
qui ita ait: Purgatos enim ricinos, statim
molis subiiciant, ferántque diligẽter, cùm
farinam eorũ in sportas coniicientes prelo
exprimant. Nota verò & ex ricino oleum
omphacinũ fieri posse, si ex illis fiat imma-
turis. SEN. Quando maturitatem habẽt ri-
cini? BRAS. Dioscorides monet tunc esse
maturos, cùm ex vestientibus eos folliculis
emerserint. SENEX. Ad quos valet affectus
huius generis oleum? BRASS. Dioscorides
inquit valere ad manantia capitis vlcera,
ad scabies, ad solis inflammationes, ad præ-
clusos, & inuersos muliebres locos, ad cica-
trices informes, ad aurium dolores, si em-
plastris

plastris misceatur, efficaciam illis præbet. Præterea hoc denique à Dioscoride scribitur, quòd potum per aluum aquas, & ventris lumbricos pellit. SEN. Mesue verò dicit flatum crassum dissoluere. BRASS. Et hoc etiam facit glutinosam pituitam simul attenuando, coliq; intestini, & ilij, ac hydropi confert, aut bibitũ, aut per clysterem iniectum. SEN. Hoc est, quod à Dioscoride dicitur, ducere aquas potum, imò & pituitam etiam educit, & quicquid in viis continetur: vim enim habet qualem ricino tribuunt authores. Circunforaneus quidã superioribus annis qui fingebat se esse Venetum, volebat fieri facere hoc oleum ricininum, quod ad aptãdas lanas aptum esse dicebat, & ad vrendum in lucernis, & ad saponem conficiendum, petebátque ab illustrissimo Duce priuilegia, & fingebat partem agri Ferrariensis cici seminibus se seminare velle, tamen nihil effecit, & deinceps nunquam est visus. BRASSAV. Ita solent isti efficere, vt videant num aliquid lucrari possint. Quod si illis succedat, abeunt, sed palàm. si nõ succedat, disparent ac si vmbræ sint. SEN. Nónne in tuo horto cicium seminasti? BRASS. Seminaui. at magnam seminum copiam non produxit, vt de illo multa experiri potuerim: verùm fu-

turo anno in maiori copia ſeminari, vel
plantari faciam. SEN. Et ego in experiẽdis
rebus te ſemper concomitabor, cùm nihil
mihi charius ſit, nihilq; gratius, quàm no-
ua quotidie addiſcere, atque experiri. SEN.
Reperitúrne alius hoc oleum conficiendi
modus præter hunc Dioſcoridis apud anti-
quos? BRAS. Actuarius de illo etiam men-
tionem facit, & modica eſt à confectione
Dioſcoridis differẽtia. nam dicit: Cicinum
oleum (idem verò eſt quod ricininum) fa-
cito ad hunc modum, ricinos eius maturos
refrigeratos quot putabis huic rei ſatis eſ-
ſe, in ſolem conferto, expreſſóſque vuarum
modo in tabulatis explicitarum ſternito,
vt perrareſcant, & tantiſper contineto, dum
inueſtiens cortex ſponte decidat, cùm car-
nes eorũ collectas, & in pilam iniectas dili-
genter condito, & in lebetem plumbatum
aquam cõtinentem cum vino ſubiecto igni
feruefacito, vbi ſuccum omnẽ reddiderint
ignem ſubtrahito, atq; oleum omne, quod
innatat in parua colligens cornua tollito,
& ita recondito. SEN. A' Dioſcoridis con-
fectione modicè differt. BRAS. Addit hic
author aquæ vinum, quod non addit Dio-
ſcorides. Audito verò quid in Actuario
poſteà ſequatur. Inquit enim: Aliqui vbi
abundat, vſus eius aliter temperant, repur-
gatos

gatos ricinos ad trusatiles molas cõferunt, vt probè ac diligenter molantur, molitósque in sportulam coniiciũt, deinde machinamentis cremorem omnem exprimunt. Ricini autem maturi sunt, cùm inuolucris ipsos cingentibus destituuntur. Prodest autem cicinum oleum psoris, vlceribus capitis erumpentibus, solis inflammationibus, vuluis quæ occlusæ, conuersæ'que obstrangulant, cicatricibus fœdis, aurium doloribus additum in emplastra, affectus eorum accendit potu, aluum ciet, quæ aquis granatur, lumbricos intestina occupantes depellit. SEN. Vt percipere possum authores omnes, qui post Dioscoridem scripsere, ab eo accepisse constat. BRASS. Tamen Auicenna à Dioscoride non accepit, cùm ipse mentionem faciat olei de cherua, id est ricinini compositi, licet in secundo loco simplex ponat eo confectum modo, quo Dioscorides scripsit. SENEX. Cupio audire hoc Auicennæ compositum ricicinum. BRAS. Audies compositionẽ quandam barbaram, si aures accõmodabis. Ita enim quinto canone dicit Auicenna: Oleũ de cherua, quod confert ad mollificationem, & paralysin, & torturam, & hepatis obstructionem aperit ac splenis, & ad colicam confert, cuius permistio hæc est:

℞. Ameos
Origani
Calamenti montani
Myrrhæ
Marmacor
Seminum apij
Seminum fœniculi
Seminum anisi
Se. alandachocha
Mastices Assari
Fœnugræci
Singulorum ʒ vij.
Alseel
Alphael
Albeh
Acori
Casiæ Indæ
Bdelij
Singulorum ʒ v.
Serapini
Ammoniaci
Opopanacis
Singulorum ʒ iij.
Radicum apij
Corticum radicum fœniculi
Schoeni
Glycyrrhizæ
Enulæ siccæ
Hascæ

Singul

Singulorum ʒ x.
Ezirlusen
Sinsider
Singulorum ʒ iij.
Gingiberis
Cinnamomi
Gariophyllorum
Cardamomi
Girbage
Cubebarum
Macropiperis
Piperis
Nucis moschatæ
Macis
Nigellæ
Costi
Carui
Singulorum ʒ iiij.
Zedoariæ
Doronici
Singulorum ʒ v.

Tere medicinas crasso modo, & funde super eas aquam, adeò vt submergãtu , & decoquantur, donec dissoluantur, & colentur, & fundantur super ea olei de cherua recentis lib. vij. Decoquantur lento igne, donec consumatur aqua, & remaneat oleum, & administretur, cùm necesse fuerit pondus aur. ij. vel iij. cum aqua de radicibus. SEN.

Est apta compositio hæc? BRAS. Est nullius momenti. SEN. Multa sunt in hac compositione simplicia, quæ me latent. BRAS. Et deinceps te latebunt. nam neque minimum quid tibi explicarem, quoniam non est nostrum propositum de vnguentis, sed de oleis pertractare. SEN. Tamen simplicia saltem intelligere optarem, quæ ab Auicenna dicuntur, ne tempus lusisse videar. BRAS. Neque vnum, vt dixi, sum tibi impræsentiarũ relaturus. aliâs verò quid sint, ad vnum vsq; explicabo, nunc vtilius erit olea prosequi, quæ in vestris seruãtur pharmacopolis. SEN. Audiui infelicissimum esse hoc oleum domi seruare. BRASS. De planta dicitur, domum illam esse malè beatam, in qua sit plantata. Mirum tamen est, cur ita increbruerit fama, cùm dæmonibus aduersari creditum sit, & esse ferè ad omnes incantationes amuletum.

SENEX.

7 Oleum de Chartamo sedem hîc posuit. BRAS. Miror cûr hoc serues, cùm in vsu non sit, gaudeo tamen, quòd illud serues, quoniam deinceps eo vtor. quam verò compositionem confecisti? SEN. Illam, quam refert Mesue. BRAS. Et quam refert? SEN. Eundem posuit cõfectionis modum. BRA. Quomodo tu illud confecisti? SEN. Per ex-

preſsionem. BRAS. Per expreſsionem fieri nihil impedit omni modo, quo fieri poteſt expreſsio, & per ebullitionem, & per ænea vaſcula eo modo, quo nos conficimus. SEN. Omnibus his modis fieri poſſe non dubito. BRASS. Excoriaſtine grana à ſuo illo præduro cortice? SEN. Minimè, ſed cum pinſo cortice preſsi. nam nimis difficilè eſſet vnumquodque granum aperire. BRAS. Tamen hoc faciendum eſt, ne oleum ab illo cortice nonnihil adſtrictionis acquirat. SEN. Eſſet nimis longum ſingulum granum ab eo cortice eximere. BRAS. Nónne etiam eximi facis peponum ſemina, cucurbitarum & ſimilia? SE. Ita quidem facio, ſed tenellos cortices habent: chartami verò ſemen prædurum eſt, vt comprimi non poſsit, & granum educi. BRA. Imò ſi inter angulos dentibus conſtringatur, granum ſtatim proſilit. SEN. Ego in tam parua copia hoc oleũ vendo, vt graue mihi eſſe non debeat ex emundatis granis parare. nam ſola grana pro pſitacis nobilibus vẽdo. BRA. Eſt proprius pſitacorum cibus, & eo maximè delectantur, diutiúſq; viuunt, ſi iſto nutriantur. SEN. Tamen ſunt amara eiuſcemodi grana. BRA. At pſitacis dulcia videntur, ſicut & amaræ ſalices, capellis dulces eſſe vidẽtur, experimẽtũ vidi, pſitacos ama-

ra ſemina plus diligere,quàm dulcia. Pſitacum domi habebam, qui amaras amygdalas lubentius edebat, quàm dulces, & ſemina citrorum lubentius, quàm multa dulcia, non tamen quàm zuccarum. SEN. Ad quos confert effectus eiuſcemodi oleũ? Ad eos ſecũdũ Dioſcor. ad quos cõfert oleũ cnidium. cnidiũ verò oleũ potũ in purganda aluo vires habet, tamẽ oleum de cnico, id eſt, chartamo minus efficax eſt. SE. Meſue dicit regio morbo occupatis conferre, obſtructionibus, & dolori vẽtriculi, & dolori coli inteſtini, & obſtructioni pectoris ac pulmonis pleniſsimè conferre, eáque emũdare, & vocem clariorem reddere. BRAS. His omnibus conuenire non dubito. Sed ad aliqua redeamus, & olea quæ in tuo ſeruas pharmacopolio, in examẽ ducamus.

SENEX.

Laurinum oleum in mea ſcheda ſeſe offert examinãdum. BRAS. Quomodo oleũ iſtud conficis? SEN. Vt Meſue facit, qui ita ait: Accipe quot lauri baccas tibi placuerit, quæ maturæ ſint, & dum adhuc recentes ſunt, in pila contundito, & cum aqua in aheno bullire facito, deinde in torculari plano quod vacuitatem non habeat, exprimito, & ex aqua oleum quod ſupernatauerit, colligito: poſtea iterum contrita grana

torculari cauitatem habente exprimito, calidámque aquam infundito, & oleum colligito: hoc oleum ita cõficere nos docet Mesue. BRAS. Dioscorides in pila contundere non videtur, neq; in alio instrumento: sed inquit, lauri baccas sumendas iam drupas, & in aqua coquendas. nam pinguitudo quædam ex vestiente eas cute remittitur, quam manibus conchula exprimentes colligunt. SEN. Ex tusis baccis oleum faciliùs exire debet, & exit etiã per expressionem, & per æneum vas, vt nos olea ex simplicibus extrudimus. Itaque & exquisitius exit oleum & magis odoratum. Verũtamen Dioscorides nonnullos refert, qui alia commiscebãt huic oleo simplicia, cùm ait: Quidam in confectione eius acerbum oleum angulosо rotundóq; odoratis iũcis, prætereà odorato itidem calamo anteà spissantes, tamen lauri tenerrima folia in id coniicientes, simul omnia cogunt. SEN. Laurum magis redolere debet. BRAS. Magis profectò laurum redolet: sed & alia, quę sunt addita odoramenta, sentiuntur. at alij alia etiam addebãt, vt Dioscor. refert, cùm ait, quidam & lauri baccas foliis superadiiciunt, donec odore satis esse videatur. Aliqui prætereà sunt, qui styracem & myrrhã commiscent. SEN. Cùm diuersa sint bac-

carum genera, è quo genere hoc oleum erit efficacius? BRASSA. Dioscorides pro me tibi respondebit, cùm ait, probatissima ad laurini olei confectionem montana, & latifolia laurus est. SEN. Montanam hîc Ferrariæ non habemus, tamen latifolia adest. at non magnopere laborabo, si lauri baccas mõtanas enãcisci voluerim. BRAS. Quomodo deprehendis laurinum oleum in suo genere esse optimum? SEN. Illud optimũ esse arbitror, quod laurum magis redolet. BRASSA. A' Dioscoride verò notatur illud esse cæteris pręstantius, quod recens sit colore viridi, amarissimum & acre. SEN. De amarore sum maximè expertus. nam quandoque illud gustaui, & ipsius amaritudo linguam, & palatum adeò mihi penetrauit, vt per longum temporis spatiũ inhæruerit. BRASSA. Non mirum, quia & calidum est & tenuium partium, potest & hoc oleum ex baccis immaturis confici, quod non erit adeò calidum, vt illud quod ex maturis conficitur, & aliquid habebit adstrictionis: propterea aliquibus conueniet, ad quæ non conueniret, si ex drupis baccis idest optimis ætate ad decerpẽdum esset confectum. SEN. In multis etiam prædictis ex maturis, & immaturis olea cõfici licet. at quibus cõfert affectibus eiuscemodi

modi oleum? BRAS. A Dioſcoride dicitur, calefacere, mollire, laxare, & laſsitudines recreare. SEN. Quomodo recreantur laſsitudines? BRAS. In laſsis eo iuncturæ inũguntur, & laſsitudo remittitur: propterea Dioſcorides ſequitur vtile eſſe cunctis neruorum malis, febrium horroribus. SEN. Bibitúrne ob febrium horrores? BRAS. Non bibitur, ſed ex eo calido dorſum inũgitur, vel linteum in eo madeſcat, ac calefiat, poſteà ſupra dorſum extendatur, addit & valere ad auriũ dolores, & diſtillationes, conueniréque contra renum ex frigore dolores ait, vt ſi aliquod aliud valeat, denique addit quòd potum, nauſeam facit. SEN. Imò præter nauſeam & ſubuerſionem, nihil eſt, quod magis aduerſari ventriculo dici poſsit. BRASSAV. Tu es expertus? SEN. Sum expertus magno meo incommodo, quia illud (vt dixi) guſtando, in os amaritudinem quandam ad multas horas impreſsit, quæ nauſeam mihi commouit, ſitne alio modo hoc oleum? BRAS. Alexandrinus 727. ſui libri de Compoſitione medicamentorum capite, lauri baccas in oleo ebullire facit, cùm ait: Sumãtur lauri baccæ recẽtes, & maturæ, cõtritæ, & diu coctę in oleo exprimãtur, & colẽtur, cúmq; refrixerit, illud pingue quod ſupernatauerit

uerit, penna colligitur. SE. Talem efficaciã habere nõ arbitror, qualem id habet, quod in aqua ebullit: quia aqua ab oleo laurino segregatur. oleum verò imbibitũ nõ segregatur. puto enim, quòd de oliuarũ oleo intelligat. BRA. Id semper intelligẽdum est, cùm simpliciter oleum profertur. SEN. Videtur ferè author hic velle, quòd oleũ hoc laurinum supra oleum oliuarum natet, & ex pẽna colligatur. BRA. Ob hanc causam excogitaui mendosum esse Alexandrini Codicem, & legendum esse, in aqua ebullire. SE. Ad quæ cõfert secundum ipsum? BRA. Inquit virtutem habere calefactoriã & malacticam, facit etiam ad capitis & auriũ dolores, & ad omnes neruorum passiones, & dolorem intestinorum vniuersorum in malum perterebratum immissum, & ad lenes prunas calefactum, anóq; suppositum siue iniectum, hæmorrhoidum dolorem placat, & ex eis fluentem sanguinem sistit: scabiosis, & pruriginosis iuxta ignem inunctum aptabitur. SEN. Plura retulit, quàm ipse Dioscorides: & Mesue etiam addit, dolori hepatis, & hemicraneæ & stomachi, ac lienis, & omnium interaneorum conferre, & dolori coli intestini & vteri. Extátne alius, qui de eo locutus sit? BRASS. Actuarius de eo sermonem habuit, & confici docet

cet pondere adhibito, quod nec à Dioscoride, nec ab aliis adhibitum est: sed ipsi lauri baccas sumunt, vt ipsis placet. SEN. Quomodo conficit? BRA. Hoc modo. Olei è drupis expressi libræ septem, & semis, baccarum lauri maturarum sexquilibra commistis, & molitis oleũ exernitur. SE. Et hic quoq; oliuarũ oleũ apponit. BRA. Apponit quidem, nisi intelligeremus ex drupis lauri baccis, quę in olea & lauro drupę insunt, & tunc ex oleo laurino oleum laurinum cõfecisset, idcirco potiùs intelligo accepisse oleum ex drupis oliuis. Sequitur Actuarius, quidam baccas lauri solùm citra mistionem aliam moliunt, & ita prelo, vel fisco oleum exprimũt. hoc verò merum est & sincerum. SEN. Hic est communis conficiendi modus, verùm, conuenit ne hic author cũ aliis in huius olei viribus? BRAS. Conuenit, sed alia addit quæ ab ipsis scripta non sunt. SEN. Referas obsecro, quæ ab ipso scripta sunt. BRASS. Ita consequitur author, laurinum excalefacit vehementer, & mollit, ita vt ij, qui scabie scatent, & asperis impetiginibus obsidentur, illiti in balneo, persanentur. sed eo conuenit abstinere lichenibus & psoris inflãmationem minãtibus. In calidis quoq; tẽperatuis, & biliosis: si quidẽ frigidis corporibus,

humidis

humidis & putricosis congruit. Item iis, quorũ articuli algoribus aut perfrictione affligũtur, ischiadicis subsidio est, vermes, & pediculos enecat, furfures capitis emendat. Alopecias, & ophiases corrigit, vsus eius in lauacro nitri. posteà detergere oportet vino & melle, & fœnigræci farina. sed cauendum est, ne capitis calorem sentienti laurinum hoc oleũ admoueatur. SEN. Nõ mihi displicet hic vsus, tẽperies s. annotare, in quibus non conueniat, & quibus cõferat effectibus. BRAS. Veruntamen in doloribus potissimum ventris per clysterẽ iniicitur, & hominẽ à dolore liberat, eóq; millies vsus sum in intestini coli dolore, & aliis ventris, & nunquam me decepit, quomodo semper profecisse expertus sum. Ad alia verò nunc pedem conferamus.

SENEX.

9 De oleo Sesamino agendũ venit. BRA. Sesamus in Grecia frequentissimus est, quo panum crustas circundant, & copetas ex ipso faciũt, illa fortè sunt, quę à Dioscoride in cnico coptaria vocantur, vel saltem illæ placentulæ, quas nos copetas nuncupamus, à coptoriis per similitudinem nomen sumpsere. Tu verò quomodo sesaminum oleũ conficis? SEN. Sesaminum oleum ab Apulia Ferrariam transportatum, emo, cum sesa-

mus Ferrariæ non naſcitur. BRAS. Ego in ruſculo meo Franculino vocato, ſeminari iuſsi, & profecit. ſed ruſticorum incuria à paſſeribus fuit ferè totus voratus, eſt negligentia noſtra, quæ facit vt in Ferrarienſi agro non naſcatur: negligentia verò eſt, quia nõ ſeminatur. SEN. De hoc nõ dubito, tamen nonnunquam à quodam Apulo ſemina ipſam Ferrariam fuere allata, quæ emi & oleum Meſue modo à granis eduxi. BRAS. Tu deniq; modum hunc Meſue referto. SEN. Primùm ab omnibus immũditiis, & à puluere ſeſamum liberaui, deinde ipſum aqua cũ pauco ſale modicũ aſperſi: poſteà manibus confricaui, deinde iterum aqua aſperſi, vt madeſceret. & quia ſecunda vice id madorem nõ ſumpſit, tertia etiam vice irroraui, poſteà grana ſupra latam menſam, vt exiccarentur, extendi iuſsi, deinde in furnum poſui, & modica aſſatione aſſaui, quamuis etiam illud effeciſſe potuiſſem ſupra æream patinam igni ſuperpoſitam, ſupra quam ſeſami grana extenſa eſſent, quæ modicè aſſarentur. at ego in furnum poſui ſupra tabulam extenſam, poſteà in ſacculum poſui ex aſpera tela confectum, & optimè perfricaui, & tanto tempore, vt cortices abigerentur. deinde illum ſupra menſam dilataui, & corti-

ces

ces abſtuli, illúmque iuſsi molis emolliri, & in paſtam quandam deduxi, deinde torculari exprimi iuſsi. BRAS. Longus eſt hic cõficiẽdi modus, à Meſue dicitur fieri, vt oleum amygdalarũ. Superiùs verò dictũ eſt amygdalarũ oleum multis modis fieri poſſe, & exprimendo, & ebulliendo, & per vocatum elambicũ, & aliis diuerſis modis. SEN. Et Meſue etiam breuiorem modum docet conficiendi oleum ſeſaminum, cùm ait: Et quandoque trahitur oleũ præterquã excorientur. ſ. grana. ita verò confici debet, ſeſamus primò aſſetur, deinde molatur, & fiat maſſa, & ſicut diximus, oleũ trahatur. BR. Paulus Aegineta lib. vij. c. 19. breuibus modum conficiendi hoc oleum docet, cùm ait: Oleum ſeſaminum fit cõtuſis ſeſamis, & per ſportulam in teſtulam expreſsis in aqua calida, oleo ipſo diſcreto, & vitreis vaſculis repoſito. SEN. Quomodo confici docet Dioſcorides? BRAS. Conficiendi modus à Dioſcoride haud edocetur, ſed de ſeſamo tractãs, id tãtùm dicit, fit ex ſeſami ſemine oleũ, quo Aegyptij vtũtur, Paladij temporibus, & Collumellæ in Italia frequentiſsimus erat, nunc ferè aboletus eſt. SEN. Putas tu corticem auferendum eſſe? BRAS. Cùm ſit tenellus, illum auferre negligerem: ſed vno ex ſupradictis in oleo

amygd

amygdalarum modis abſque tanta præparatione exprimerem. SEN. Ad quos confert effectus eiuſcemodi oleum? BRAS. A' Meſue dicitur impinguare, arbitror, quòd beluas vehementer impinguaret, & illis ſaperet, ſi biberetur in copia. Imò & ſi grana ipſa pabuli loco ederentur, eſt pingue granum, dulcis etiam ac pinguis ſaporis, iuſsi quandoq; eiuſcemodi grana torefacta zuccaro condiri, & omnibus mirè placebant, genitale ſemen auget. nam & pingue eſt, duritias ac aſperitates lenit, vocem clara reddit, guttur aſperum emollit. Et eſt materia oleorum multorum, quoniam ex ſeſamino oleo multa olea cõficiuntur. Dioſcorides notat ſeſamum ſtomacho obeſſe, & animæ grauitatẽ facere, quoties quiſpiam ipſum ederit, & dentibus inhæreat, ratio eſt, quia facilè putreſcit, & anima hoc eſt halitus, qui ab ore exit, putrido hoc ſemine inficitur, & fœtidus exit, ſi in neruis aliqua craſſa concreuerint à ſeſamo illito diſcutiuntur, contuſis, & inflammatis auribus prodeſt, atque ambuſtis ſtellionum, & cerastarum morſibus medetur. SEN. Dioſcorides multò plura dicit ad quæ confert, quàm Meſue. BRAS. Sequitur præterea, quòd herba in vino decocta, contra oculorum inflammationes, & grauiſsimos eorum dolores

lores præſertim valet. Adde etiam, quòd re-
cens oleum ſeſaminum pectori confert, &
tuſsi, & pleuritidi, eiúſq; vſus in olei amy-
gdalarum dulcium defectu pro illo conue-
niret. SEN. Dulce eſt, cùm recens habetur.
BRAS. Et granum ipſum à quo exprimi-
tur, dulce eſt, & pingue: in puerorum tuſsi
huius olei cochlear cum zuccaro cando in
puluerem redacto illam ſedat, ſi paulatim
tranſglutiatur, panem ex Creta allatum,
granis ſeſami cruſtatum edi guſtui mini-
mè ingratum, eo cretenſes nonnunquam
vtuntur in aliquibus panũ generibus, quã-
do paſta tenella eſt, & panis ſuam formam
acceperit in ſeſami grana inuoluunt, vt to-
tus panis extrinſecus his granis impleatur,
poſteà coquunt, & tota cruſta eſt ſiſamis cir
cunſepta. At de hoc oleo iam ſatis.

SENEX.

10 Imò & oleum de nuce Indica moras
rumpebat, vt in medium prodiret. BRAS.
Quid ſit Indica nux, in noſtro Simplicium
examine ſcriptũ eſt. Miror cùm hoc oleum
in vſu non ſit, cur illud ſerues. SEN. Semper
ſeruaui, & frequẽter vendidi. BRAS. Quo-
modo confeciſti? SEN. Per expreſsionem,
vt oleum amygdalarum dulcium expri-
mitur. BRAS. Poteſt & per ebullitionem
fieri, & per ebullitionẽ illã, quæ per alam-
bicum

bicum vocatum fit ex igne,& glacie. SEN. Quomodo ex igne & glacie? BRAS. Eo modo,quo ego ex diuersis rebus oleum extrudo.nam & ex pipere,& ex gariophyllis, & ex cinnamomo simplicissimum oleum educo, quod ita redolet ista simplicia, vt ipsamet seipsa redoleant,propriúmq; illius simplicis saporem seruat. SEN. Noui illorum oleorum perfectionem, si in magna conficerentur copia. BRAS. In maiori copia fieri non possunt, quia huius simplicis medicamenti spirituosa pars tantùm elicitur. SEN. Ad quos confert affectus oleum de Indica nuce? BRAS. Mesue inquit neruorum dolori conuenire, thoracémque ac pulmonem lenire, & claram vocem efficere,atque corpora impinguare,genitaléque semen augere. SENEX. Arbitror me ob hoc vendidisse,vt semẽ augeretur emptoribus. BRAS. Et ego ob aliud puto,vt scilicet mulieres nonnullæ, quæ concipere non poterant,conciperent,neq; solùm hoc oleo vtũtur ad hunc finem,sed & ex ipsius nucis carne ac aromatibus morsellos vocatos aut placentulas confici faciunt, quas edunt vt concipiant. SEN. Ego millies huius generis morsellos,& placentulas paraui,& à medicis millies mihi inditi sunt. BRAS. Alia igitur olea sub examen veniant.

SENEX.

11 Oleũ de ſeminibus lini examini ſubii-
ci cupit. BRAS. Oleum eſt maximè in vſu
ad emolliendum. SEN. A' Meſue conuulſio-
nibus conuenire dicitur, & omnes neruo-
rum duricies ac iuncturas lenire, éſtq; opti-
mum medicamentum ad ani affectus, & ad
omnes ani abſceſſus, ad hæmorrhoidas, ad
ani rimas, & potiſsimùm conuenit dolori
pulſatiuo. BRAS. Intellige dolori pulſati-
li, qui in ano eſt, præſertim cùm hæmor-
rhoides vexant. Superioribus diebus quen-
dam curaui ex hæmorrhoidum dolore, qui
vehementer cum pulſatione vexabatur, fa-
tebatúrque quod obiiſſet, niſi iuſsiſſem lin
teum in oleo ſeminum lini madefactum
imponi. Conuenit prætereà & ad excitāda
ſputa. SEN. Multos vidi, qui in pleuritide
hoc præbent. BRAS. Error eſt, niſi conue-
nienti tempore præbeatur. at Ferrariæ nō-
nulli ſunt temerarij, qui ex profeſſo, cùm
aliquem norunt laterali morbo affectum,
illuc accurrunt, & vnum vel alterum addu-
cunt teſtem, quibus hoc oleum præbuere,
& ſanitati reſtituti ſunt. SEN. Tamen illos
non referũt, qui obiere, hos verò longè plu-
res eſſe, quàm illi, qui ſuperuixere non du-
bito. BRAS. Præbent verò olei ex ſemini-
bus lini vncias quatuor, aliqui ſex, mellis

rosati colati vncias duas, itaque propinant. Sempérq; adducunt Ducem Herculem primum, qui cùm esset à medicis in pleuritide destitutus, hoc sumpto oleo conualuerit, cùm hoc falsissimũ sit. at quo modo oleum hoc conficis? SEN. Eo modo (vt Mesue inquit) quo sesaminum oleum conficitur. In hoc verò differt, quia à lini seminibus cortices haud auferuntur, quando oleum expressuri sumus, sicut à sesami granis remouentur. BRAS. Fieri etiam potest eiuscemodi oleum per ebullitionem, vt si hæc semina pinsantur, & veluti in pastam deducantur, posteà hæc massa in aqua ebulliat, oleum supernatare percipies, quod lingula colligi debet, fit etiam & per vocatas botias nostro modo, & est optimũ oleum, verùm & educitur cum modica aquæ effusione: & hoc quod extrahunt ad lucernas accendendas vtuntur, tamen lumen ita clarum non emittit, vt oliuæ oleum, capútq; perturbare videtur, si quis prope lucernæ fumũ permanserit. Ad alia verò te conferto.

SENEX.

12 De Rosaceo oleo hîc pertractandũ est, cùm post præscripta suam sedem primò repositam habeat. BRAS. Ad olea iam transigere videris, quæ per expreßionẽ minimè fiunt: sed per solam rerum impositionẽ in

ipsum oleum : hinc olea per impressionem
vocantur. Nam (vt Mesue ait) sicut per si-
gillum in ceram imprimuntur imagines,
ita herbarum vires in olea, vt per sigillum
imprimuntur, possúntq; & composita dici,
& simplicia, vt vnum solùm simplex medi-
camentum vel plura recipiunt. Ab rosaceo
autem oleo non ab re incepisti : quoniam
est oleum multis nominibus dignum, & ta-
le quod ad infinitos ferè conuenit affectus.
multa verò sunt olei rosacei genera, tu quot
generibus vteris? & quot in tuo seruas phar-
macopolio? SENEX. Seruo rosatum oleum
completum, & simplex oleum rosatum, &
rosatum omphacinum. BRAS. Cõpletum
hoc quomodo conficis? SEN. Vt à Mesue
edocemur. nam prima est, quam refert com-
positio, & quam vocat oleum rosaceum cõ-
pletum, & roborare dicit, resoluere, lenire,
& dolorem sedare. BRAS. Compositionem
referto. SEN. Id efficiam, posteaquam no-
tauero, Mesuen rosatum oleum in comple-
tum distinguere, & in rude : completum fit
ex maturo oleo, & maturis rosis. Rude verò
ex immaturis oliuis oleo, & ex rosis non-
dum maturis. BRAS. Quomodo dici po-
test maturum, & immaturum in rosis, cùm
maturum & immaturũ solis fructibus con-
uenire videatur? SEN. Mesue sano modo
intel

intelligendus est. nam rosæ per similitudinem immaturæ dicuntur, nimirùm cùm calyx nondum apertus est, immaturæ vocantur. BRAS. Sed hæc missa faciamus, & quomodo conficiat, referto. SEN. Oleum de oliuis sumit, aut oleum sesaminum. BRAS. Quódnam accipis tu? SEN. Oliuarũ oleum. nam semel ex sesamino oleo confeci, & rosarum odore minus erat refectum. BRAS. Causa non me latet. SEN. Me tamen latet. BRAS. Causa fuit, quia sesaminum vetus erat, atque rancidum. SEN. Antiquum quidem erat, non tamẽ rancidum. BRAS. Prosequaris. SE. Oleum hoc pluribus lotionibus fontium aqua lauari iubet, deinde recentium rosarum rubrarũ folia sumi quantitate sufficienti, & in oleo quod modò lotum est sepeliri, & in vitreo vase recondi, cuius orificium obturari monet, & Soli exponi per dies septem, deinde in vase duplici coqui per horas tres, posteà permutari iubet rosarum folia, & alia accipi recentia, & per alios dies septem in Sole dimitti, posteà eodem modo coqui, vt prius, & iterum rosarum folia permutari, & aquam infusionis rosarum accipi iubet, de qua superius sermonem habuit, cùm de syrupis agebat. Eiuscemodi verò aqua ad tantam attingat copiam ad quantam

ipſum oleum, iubétque vaſculi os claudi, in quo repoſitum eſt, & per quadraginta dies inſolari, deinde percolari, & Soli per longũ tempus exponi. BRAS. Cùm igitur oleum roſatum completum indico, hoc præbes? SEN. Hoc inquam. BRAS. Roſatum verò omphacinum quomodo conficis? SEN. In eodem loco docemur à Meſue. vocat verò hoc oleum Rude, ad completi differẽtiam. conficiendi verò modus idem eſt cum prædicto. in hoc verò tantùm differt, quòd hoc rude immaturarum oliuarum oleum recipit, & roſarum folia, quæ nondum ſunt expanſa aperto calice, imò calix adhuc adſtrictus eſt. BRAS. De hoc rudi oleo dicit, quòd inflammationes extinguit, roborat, in vnũ cogit, denſat, fluxionéſque ſiſtit, ſi bibatur dyſenteriæ maximè conuenit, & ſi aliquæ materiæ per corpus defluant, illas cohibet. at quomodo ſimplex à te vocatum cõficis? SEN. Vt Nicolaus conficit. BRAS. Modum referto. SEN. Duas olei communis libras accipit, ſuóq; modo lauat, librámq; vnam ac ſemis viridium roſarum aliquantiſper contuſarum ſumit, & in plenam ollam ponit in caldario aqua pleno ſuſpenſa, & tandiu bullire ſinit, quouſque ad tertiam partem pertingat, poſteà in lineum pannum album imponi iubet, & torculari exprimi:
hunc

húncque liquorem conſeruat. BRAS. Tam modicam copiã efficis vna vice? SEN. Nunquam maiorem efficere volui, ſed potiùs pluries reiteraui, hoc nimirum in compoſitionibus quas facio, obſeruo, vt nunquam authorum quantitatem excedam. BRAS. Et hoc mihi ſummè placet. nam quantitatem augere, plerunq; eſt cauſa, vt haud probè fermententur medicamenta. SEN. Ita conficio commune roſaceum, súntne alij, qui alio modo conficere moneant? BRAS. De hoc oleo in ſuo antidotario Actuarius peragit, & inquit: Roſarum rubrarum detractis vnguibus, & noctu diúq; in omphacino oleo decoctarum ſexquilibram operculato vaſe diebus quadraginta inſolato. SEN. Hoc eſt oleum roſaceum omphacinum, verùm non animaduertit roſas non debere eſſe apertas, ſed accipiendas eſſe calicibus etiam clauſis. BRAS. Omnino magis conuenit, ſi ex eiuſcemodi conficiatur roſis. At Alexandrinus 740. ſui libri capite ex omphacino oleo etiam cõficit, cùm ait: Accipe olei omotribeos, abluti libras tres, roſarum ℔ j. roſæ exungulatæ in mortario diutiſsimè tritæ, cùm oleo in vaſe vitreo condantur, & ad Solem per octo dies exponantur. nono autem die colentur, & eiectis prioribus, totidem nouellæ contri-

tæ immittantur: iterúmq; octo diebus vas in apricum proponatur, circa nouum diem diligẽter colentur, & eodem oleo alia eiusdem ponderis immittantur, & ita fortiter obturatum diebus quadraginta Soli exhibeatur. constitutis verò transactis diebus in temperato loco vsui reseruetur. SEN. Eadem videtur esse cum prima Mesue compositione. BRAS. Et fortè Mesue ab Alexandrino accepit: sed Paulum Aeginetam audito lib. 7. cap. 19. ita conficientem. Recipe rosarum rubrarum detractis vnguibus, & per diem, noctémq; refrigeratarum vncias tres, olei omphacini sextarium Italicum vnum, summa cura, ac diligentia vasculum extrinsecus, ne diffletur, & euaporet coperculans sub dio ad quadraginta dies insolato, quibus diebus elapsis deponito nõ quidem in solùm aut pauimentum, sed in tabulam. SEN. Ob quam causam hoc facit. BRAS. Ne à pauimento humiditatem aliquã attrahat, & ne situm redoleat. at aliorum modos quosdam refert, qui à communi vsu dissidentes videntur, quãquam illos expertus sim. SEN. Quinam sunt hi modi? BRAS. Ita inquit, quidam loco expositionis ad Solem, ad puteũ aquæ frigidæ quadraginta dies appẽdunt vasculũ, propterea quòd ex frigore amœnũ ac gratũ odorem
obser

obseruat, alij in terrã hoc ipsum disodiunt. SEN. Est'ne verum, quòd ob frigiditatem odorẽ magis seruet? BRAS. Odor tam fluxibilis est, vt cùm caliditatẽ persentit, euanescat: & illud quod sub terra seruatur, sitũ redolet. SEN. Ergo melius est illud in sole conficere, quàm in frigore, vel in alio loco. BRAS. Melius arbitror, tamẽ frigidius est, si vel in puteo, vel sub terra seruetur, quia à locis frigiditatẽ acquirit. SEN. Id, quod in puteum dimittitur, debétne aquã tangere? BRAS. Debet, sed animaduertendũ est, ne aqua vasculũ ingrederetur. SEN. Súntne alij præter dictos, cõficiendi modi? BRAS. Mesue præter modũ illum, quẽ nuper adduxisti, tres alios refert modos. SEN. Illos ni piget cõtemplemur. BRAS. Quid aliud à nobis in præsentiarũ faciendũ, quàm hęc contemplanda? ex hoc cõficiendi modo, quẽ ex Mesue nũc referã, Oleum rosaceũ sumit, vt magis sit resolutiuũ. Recipit verò succi rosarum, & aquæ infusionis rosarũ singulorũ partem vnam. Olei loti partes tres, foliorũ rosarum cõtusarum quantum sufficit, pone in vitreum vas, & orificium obturato, solíque per decẽ dies exponito, deinde per tres dies in duplici vase coquito, posteà iterum adde rosas, & per septẽ dies insolato, posteà iterum coque, & eundem modum ter-

tiò replicato, denique probè exprimito, vt
ſimul tantum relinquatur aqua infuſionis
roſarum, & roſarum ſuccus cum oleo, & in
vas ponantur, quod bene obturetur, & Soli
per quadraginta dies exponatur. SEN. Non
arbitror roſarum ſuccum, & roſarum infu-
ſionem per hoc tempus debere eſſe reſolu-
ta. BRAS. Recorderis, quòd etiã in duplici
vaſe per tres dies ebulliuit. SEN. Aliũ etiam
Meſue modum cõtemplemur. Amygdalæ
(inquit Meſue) bene purgatæ ad quantita-
tem, quæ lubuerit ſumantur, & in mortario
extremè terantur, deinde trita roſarum fo-
lia accipito, & cum amygdalis miſceto, ite
rum bene tundendo, poſteà in loco calido
per integram diem relinquantur, deinde
aquæ calidæ infuſionis roſarum modicum
addatur, & abſque vlla intermiſsione mi-
ſceantur: denique torculari exprimantur, &
quod expreſſum eſt, in vitreum vas arcti
orificij ponatur, vt probè obturari poſsit,
ſolique exponatur, quando lubuerit eo vti
poteris. BRAS. Vt autem has Meſue com-
poſitiones finiamus, quartam ponit, in qua
oleum hoc ex ſeſamo excorticato fieri mo-
net, & quod eodem modo fiat, quo tu in ter
tio modo retuliſti. Meſue verò notat amy-
gdalas ſumĩ debere, quando oleum roſaceũ
rude, id eſt omphacinum facturi ſumus. me
lius

lius autem esse ad oleum rosatum completum. SEN. Sesamino oleo vti: intellige verò, quando sumus hoc modo oleum istud confecturi. nam ad rosaceũ rude, id est omphacinũ nihil melius, quàm oliuarũ oleum accipere omphacinum. SENEX. Aliter fieri non posse reor, si quis illud modicè astringens, ac refrigerãs habere voluerit. BRAS. Veruntamen alio fit modo ex amygdalis, sumuntur amygdalæ, & à suis omnibus liberantur corticibus, deinde rosarum folia ipsis cõmiscentur amygdalis, & cùm folia aruerint, alia sumantur, & prima abiiciantur, hócque multotiens fiat, quoad scilicet rosarum odor in amygdalas transiuerit. at transiuisse nõ solùm cognoscitur odoratu, sed & gustu, cùm vna editur amygdala, & rosarũ odor integrè persentitur, quãquam & hoc sit minus odoratus sentire per os odores, verùm sentitur masticando: propterea gustui attribuitur, licet sit ipse odoratus qui sentit, hoc percepto, amygdalæ exprimantur, & rosaceum habebitur quod mirificè rosam redolebit. SEN. Opus est in hoc condendo oleo decies plerunque rosas immutare. BRAS. Mutẽtur & vigeties, labori & rosis parcendum non est. toties verò immutari debẽt, quoties odor in amygdalas optimè receptus sit, fit & ex Myrepsica

balano

balano rosaceũ, & duobus modis vno modo in balaninum oleum rosarum folia imponendo: altero modo in mundatis balanis folia imponendo, vt de amygdalis dictum est, cúmque odor in balanos receptus fuerit, tunc exprimantur. SEN. Hoc modo myropolæ odorata olea conficere solent. BRASS. Non me latet. SEN. Súntne antiquiores de hoc oleo locuti? BRAS. Dioscorides de illo mentionẽ facit, & conficiendi modos in scriptis reliquit. SENEX. Ni tibi molestũ sit, hos Dioscoridis modos referto. nam hũc authorẽ inter probatissimos semper existimaui, & numeraui scriptores. BR. Imò & inter diligentissimos, sed audias quid de illo dicat, fit hoc modo rosaceum vnguentum. SEN. De vnguento non loquimur, sed de oleo. BRAS. Nónne aliâs audiuisti, illa quæ nunc olea vocantur, si odorata sint, ab antiquis vt Dioscoride, Galeno, vnguenta vocari, & non olea? SEN. Audiui, sed memoria exciderat, quod cœpisti iam prosequaris. BRAS. Et tũc potissimum vnguentum appellãt, cùm aliud ab oleo recepit. Illud verò ita conficit Dioscorides: Sumito rotũdi odorati iunci pondo quinque, vncias octo, simúlq; olei pondo duo, vncias quinque, tundito dein, maceratúmq; aqua coquito cõtinuè miscendo, cúmque per colum

lum traieceris in olei pondo viginti & vncias quinque, rosas sine humore aliquo numero mille coniicito, manibúsque odorato melle inunctis misceto, sæpius leuiter per diem premens, integrã dein noctem dimissas matutino exprimito, cúmq; quod in eo fæculentũ est, subsederit ex vase, in quo erit in craterẽ melle anteà inunctũ transfundito, & seruato, cõiectis mox in labellum expressis illis eisdẽ rosis superinfundito, iterum spissati olei pondo octo, & vncias tres. Iterúmque exprimito, erit hoc tibi secundarium rosaceum. & si tertium, & quartum efficere volueris, nihil impedit: sed oleum infundito & exprimito. SEN. Quantò magis à primo receditur, tantò debent esse rosacea imbecilliora. BRAS. Nulli dubium esse debet, propterea primum, & secundum effici iuberem, & amplius nõ progrederer, licet Dioscorides dicat primum fieri, secundum, tertium, & quartũ. notátque quoties feceris, toties crateras melle inunctas esse oportere. Et præterea notat, si volueris iterata confectione vires rosaceo adiicere, in oleũ primò expressum, parem recẽtium, & sine humore rosarum numerum adiicito: manibúsq; mellé anteà inũctis exprimito, facitóq; iterum, tertiũ & quartum similiter exprimens, & quoties facies, nouas quotidie

tidie

tidie detractis vnguibus coniicito rosas: sic enim efficacius erit. SEN. Hoc modo in infinitum progredi possemus. BRASS. Imò finem imponit Dioscorides, quia ait vsque ad septimam tamen additionem, nec vltra rosarum vires oleum admittit, melle prætereà & prelum inunctum sit. SEN. Consentit ergo, vt septem fiant rosacea? BRASS. Neminem cogit septem efficere, sed potiùs monet fieri posse, si quispiã ita oleum multiplicare voluerit. A' Dioscoride verò notatur oportere diligentissimè oleum à succo rosarum separare. nam vitiat minima eius pars totum vnguentum. SEN. Quomodo hoc fiet? BRAS. In coctura debet esse consumptus. SEN. Tamen Dioscorides huius succi mentionem nõ facit. BRAS. In principio quidem mentionem non facit, sed in fine ostendit factam etiã esse de illo mentioñe superius: propterea in contextu nonnulla desunt verba, quæ erant fortè, vt rosarum succus aquę misceretur, quãdo in principio ebullit. Vel intellige, quòd rosarum succum intelligat, qui in aqua recipitur. SEN. Præparari'ne docet alio modo, quàm isto? BRASSAVOL. Imò docet. nam sequitur, quidam solas centum rosas, detractis vnguibus insolatas pondere vnciarum sex in olei sextarium demergunt, dimissásque

in eo

in eo diebus octo madere, mox quadraginta diebus tertia rosarum adiectione insolatas sic reponunt ac seruant. SENEX. Hi sunt faciles modi. BRASSAV. Audias & alium compositum modum, quem & ipse refert Dioscorides. SEN. Iam audio. BRASSAV. Inquit, sunt etiam, qui odorato calamo, & aspalatho oleum ante spissant. SEN. Quomodo deinde efficiunt? BRAS. Modo iam prescripto, imò & addit nonnullos esse, qui ad coloris bonitatē anchusam, & ne ingrato odore sentiatur, salem adiiciunt. SEN. Ad quos valere dicit affectus suum rosaceū Dioscorides? BRAS. Audias illū ita dicentem, est rosaceo adstringendi, refrigerandíque vis. adspergitur vtiliter, & cataplasmatis pari vtilitate miscetur, potum idem soluit aluum. SEN. Nauseosum videtur rosaceum bibere. BRAS. Cur nauseosum, si in doloribus etiam simplex oleum bibitur, & oleum amygdalarum dulcium? Nota verò non solum aluum subducere, sed bilem extrudere, & aquas, & quæcunque in ventre continētur. SEN. Ad quantam copiam hoc facit? BRAS. Ad quatuor vncias sumptum. SEN. In me ipso proculdubio experiar, cùm excreare nequiuero, verùm illa prosequaris, quæ à Dioscoride de ipso referuntur. BRASS. Sequitur quod stomachi ardores

reſtinguit, caua nutrit vlcera, malefica mitigat, manantibus capitis vlceribus, eruptionibúſque aliis in ea parte infigitur. Aſpergunt contra capitis dolores in principio, dentes eodem in dolore colluuntur, facit ad induratas palpebras, contra quas inungitur. Clyſterem præter hæc infundit, contra inteſtinorum, muliebriúmq; locorum pruritus, & eroſiones. SENEX. Id quod nos conficimus ad tótne valet affectus? BRAS. Imò & quod tu conficis, & id Dioſcoridis ad plura etiam valet, quàm ab ipſo Dioſcoride ſcriptum ſit. nam confert podagrarum inflammationi, & hæmorrhoidarum, & infinita ingreditur compoſita, eſt oleum humanę vitæ haud mediocriter vtile, ſicut & roſa ipſa qua nullum eſt magis vſitatum ſimplex, & quod plura ingrediatur compoſita. SEN. Quódnam oleum ſum ſeruaturus, id eſt quam compoſitionẽ ſum facturus? BRAS. Illam Meſue primã. SEN. Illam quam vocat oleum roſaceũ completum? BRAS. Illam inquam, & Nicolai compoſitionem pretermittito, quia hæc Meſue magis digna eſt, ſempérque vidi optimos pharmacopolas Meſue compoſitionem potius ſeruare, quàm illam Nicolai, quanquam & nonnulli ſint qui Nicolai compoſitionem ſequuntur. Iuſſi nonnunquam ro-

ſaceum ita confici: Oleum primò probè lauari iuſsi, & vltima lotio fuit ex aqua roſacea: poſteà in ipſum roſarum folia exactis vnguibus, quæ fuiſſent per quinque horas à roſario ablata, imponi iuſsi, erat vitrea phiala, vas, in quo roſaceum conficiebatur, tantámque roſarum quantitatem apponi iuſsi, vt phiala videretur eſſe ſemiplena oleo, & ſemiplena roſis. Deinde phialam obturatam ſoli per octo dies expoſui, poſteà roſas illas exprimi iuſsi ac abiici, & alias imponi, & poſt octo dies id iterum feci, poſteà exprimi iuſsi. Et in quadraginta dierum ſpatio roſas ſexties mutaui, denique vltima vice, quia amplius roſæ non aderant vltimas roſas in oleo reliqui, & per quadraginta dies æſtiuo Soli expoſui, deinde phialam reponi iuſsi, oleum iſtud odoratiſsimum fuit, imò ſi nonnunquam aliquæ guttæ in terram deciderent, roſarum odor per totum cubiculum referebatur. Nota verò in Meſue compoſitione, cùm infuſionis roſarum aquam apponit, & dicit apponendam eſſe, ſicut quantitas olei, antiquum habemus Meſue contextum, quem vidiſti. SEN. Et vidi, & multa in eo emendatiora eſſe reperij, quàm in aliis ſit Meſue codicibus. BRASSAVOL. Illius particulæ loco,

ſicut quantitas olei ſcriptum eſt, ſicut quarta pars olei. SEN. Ita legendum non dubito, quia nimia videtur infuſionis roſarum aquæ quantitas, ſi olei quantitatem æquauerit. BRAS. Nonnunquam ex ruberrimis roſis quæ nullum habēt odorem, roſaceum fieri iuſsi, reperiiq; eſſe magis adſtringens, quàm id quod ex odoratis conficitur roſis. Iuſsi nonnunquam ex damaſcenis roſis eodem modo confici oleum, quod odoratiſsimum fuit, tamen & myropolæ ex excorticatis amygdalis, & damaſcenarū roſarum foliis, vt ſuperiùs de cōmunibus roſis cum amygdalis dictum eſt, illud conficiunt: ſed quandoque fieri iuſsi oleum præ omnibus adſtringens ex roſis albis, & oleo omotribes, hoc eſt omphacino, & ex oliuis immaturis expreſſo, cæteris frigidius eſt, & magis adſtringens, ſed odore caret. Imaginatus autem ſum, confici poſſe, & odoratum, & adſtringēs hoc oleum, ſi partim ex odoratis roſis, partim ex albis conficiatur: ex illis enim odorem, ex his adſtrictionem & frigiditatem euanciſcetur. SENEX. Hæc de roſaceo ſatis videntur, niſi alium habeas conficiendi modum, quem non audiuerim. BRASSAVOL. Cùm hæc tibi ſatis eſſe videantur, ad aliud olei genus contemplandum te conuertito.

SEN

SENEX.

13 Oleum chamæmelinum excuti oportet. BRAS. Excutiamus. at tu quomodo illud conficis? SEN. Vt Mesue docet, qui ait, vt oleum rosaceũ confici oportere. BRAS. At cùm multæ sint olei rosacei apud Mesuem compositiones, quam sequeris in hoc chamæmelino conficiendo? SENEX. Primam in ordine. BRAS. Neque mihi displicet. Scito tamen chamæmelinũ ex omphacino oleo non esse conficiendum. at semper ex oleo fiat ex maturis oliuis expresso, quod completum author ipse vocat, quanquam & nonnulli ex sesamino oleo conficiant. SENEX. Et Mesue ex hoc fieri debere monet. BRAS. Verùm non omnes pharmacopolæ eodem cõficiunt modo. nam aliqui compositionem illam olei rosati sequũtur, in qua in oleum rosarum flores imponunt, & per quadraginta dies insolãt. at ego hoc modo fieri facio mirè redolens, chamæmeli flores primò oleo probe loto in phialam poni iubeo, & lutea florum parte phialam impleo, & per octo dies in feruenti sole seruo, posteà flores exprimi iubeo ac eiici, & alios similes flores imponi, & iterum per octo dies in eodem sino loco, posteà exprimi iubeo, hócque per totam æstatem facio, quousque chamæmeli flores haberi pote-

runt,qui per totam fere æstatem habentur, postea ad vsus reponi iubeo, vltimósq; flores in oleo relinquo. SEN. Florum chamæmeli odorem seruaturum nō dubito. at cur luteam florum partem accipis, & non albam? BRAS. Quia illa est quæ odore fragrat,& quæ herbæ vires seruat,& cùm Paulus conficere docet, solam luteam partē accipit. albam verò eiici iubet, quanquam & si alba illa foliola in oleum (cum parte tamen lutea) imponerentur, errorem cōmissum esse non iudicarem. SEN. Pauli conficiendi modum audire optarem. BRAS. Ita ait libro septimo capite 20. conficitur ex chamæmelorum floribus albis foliolis resectis, per diem integrū naturalem sinuntur à sua herba abscissi flores, posteà sumūtur horum florū duæ vnciæ olei sextarium vnum Italicum, posteà in vas ponenda, & vasis os raro linteo tegendum, quo commodiùs exhalet. Insoletur deinde per quadraginta dies, posteà diligenter tegito, & ad vsus seruato. SENEX. Hic author nullā facit ebullitionem, & nullam expreßionem. BRASSAV. Ita simpliciter cōficit, vt tibi retuli. SEN. Extant ne alij antiquiores, qui de eo locuti sint? BRASS. Actuarius & ipse conficere docet, albis exactis foliolis, quæ luteam partem circundant. ita verò dicit

cit, chamæmeli flores lutei sine ambientibus candidis foliis pondere sextantis in libram olei demerguntur, & vitreo vase linteolo cooperto, quadraginta dies Sole sinatur illustrari, dicit etiam per se vel cum temperato calore illitum rarefacere, lõgas maximè febres discutere, quòd si ex mero calido, dolores omnium corporis mẽbrorum illitum leuat. SEN. Mesue plura de illo dicit quàm Actuarius. BRASSA. Quid denique ait? SEN. Esse oleum benedictum, multis iuuamentum præstans. nam resoluit, dolores sedat, cúmque modicam quandam stypticitatem habeat, defluxum prohibet materierum, neruos roborat, & eorũ doloribus confert. & omnia neruosa membra robustiora facit. BRA. Quod stypticum sit Mesue aduersus Galenum esse videtur, qui vim laxandi illi attribuit, ob quã vim floribus aduersatur, & illas prohibet. Alexandrinus verò in suo de compositione medicamentorum libro inquit: Salubre esse ad feruorem, & capitis dolorem, stomachi vitia ex bilioso sine alio colore commota compescit, articulísque proficit, & ad multa alia salutiferum est. SEN. Inter anodyna numeratur. BRASSA. Et verè anodynon est. SEN. Docet ne illud conficere hic author? BRASSA. Docet. SEN. Et

quo modo? BRAS. Isto qui sequitur. Recipi iubet olei dulcis ℥ xxxvj. floris chamæmeli mense Iulio collecti ℔ j. flos in oleo diebus canicularibus in vitreo obstructo vase ad solem suspendatur ad quadraginta dies, deinde conseruetur in loco conuenienti. SEN. Mediocriter calefacere arbitror. BRAS. Temperatum est. Imò Galenus in secundo de compositione medicamentorum secundum locos eo ad infrigidandum vtitur. nam illorum, qui caput habent inflammatum ob solem, caput hoc oleo perfundit, & linteis madefactis capiti supraponit. SEN. Vergítne ad calidum? BRAS. Est in primo ordine remisse calidum, idcirco inflammationi conuenit, quia illa quæ in primo ordine calida sunt, inflammatas partes refrigerant. Galenus oleo rosaceo illud comparat. SEN. Sentísne tu idem cum Galeno? BRASSA. Non possum non sentire chamæmelinum oleum esse rosaceo parumper calidius. At cùm de isto satis dictum videatur, alia oleorum genera in medium prodeant.

SENEX.

14 Oleum violaceum sedem suam post chamæmelinum collocauit. BRAS. Collocauerit vt lubet. à Mesue dicitur, quod vniuscuiusq; nostri corporis partis inflam-

matio

matione ſedat,pectoris aſperitates, ac pulmonis lenit,calidos abſceſſus mitigat,pleuritidíque confert. At ego in incipientibus hecticis ad inungẽdum thoracem eo vtor. nam ab hectica refrigerando, & humectando thoracis partes præſeruat, ne ita abſque pręſidio dimiſſæ exiccentur,vel ab ipſis intenſius, quàm ſint tota humiditas exhauriatur. At à quo authore illud accipis? SEN. A' Meſue,& tu ipſe Meſuen adduxiſti de illius viribus loquentem. BRAS. Quomodo violatum conficis? SEN. Eo modo quo roſaceũ,vt Meſue docet:addit verò hoc dempto,quòd ex viridi oleo fieri debet,vt amygdalino,vt ſeſamino. BRASSA. Per viride oleum,omotribes oleum intelligit ex immaturis oliuis confectum quod omphacinum vocatur refrigerandi vim habet ac leniendi, inflammationes ſedat vbicunque ſint,aſperitates lenit,& quę in pectore ſunt, atque pulmone, pleuritidi conuenit, calidóſq; abſceſſus ſedat, hoc ſolo oleo,& cera multos ab hectica, quæ iam cœperat præſeruaui,toto thorace ante & retro inuncto. Hoc oleum duobus modis fieri iubeo. Primò,ſumpto oleo omphacino, quod odorare debes , ſi nihil penitus habeat odoris, nullam præparationem illi adhibeo . at ſi nonnihil habeat odoris, iubeo vt probè

aqua abluatur. Denique verò vltima lotio sit ex violarum aqua iubeo, deinde vt in phialam ponatur, in quam nigrę violæ pro ratione olei iniiciātur: posteà soli per quatuor dies exponantur, à Sole mox auferantur, violæq; exprimantur, ac eiiciantur, & recentes aliæ in oleum imponantur: deinde per quatuor dies insolentur, vase probè tecto: posteà exprimantur, & ita fiat tertiò, quartò, & quintò: denique vas à Sole remoueatur, & iterum nouæ violę imponantur, & per triginta dies Sole illustrentur, & reseruētur ad vsus. SEN. Mesue iubet ex oleo amygdalarum confici, & sesamino. BRAS. Si ex prædictis oleis confici debeat, opus est, vt diligenter lauentur, tunc nimirū omphacini vim incidunt, pręsertim si frigidissima aqua lota sint. Alter modus est, accipiendo amygdalas dulces electas, ac excoriatas, quas violis commisceto, & ita facito singulis diebus, vel alternis saltem, toto illo tempore quo violæ florent, & amygdalæ violarum odorem amplè imbibitum habuerint: tunc amygdalæ exprimendæ sunt, & oleum hoc, quod amygdalas redolet, seruandum. De sesami granis idem fieri posset, nisi extrinsecum corticem haberent, qui odorem probè imbibi non sinit. Ex myrepsica antē balano eodem modo fieri

posse

poſſe conſtat, cùm & myropolæ ita conficiant. SEN. Extántne alij conficiendi modi? BRA. Nonnulli lotum oleum, & violas ſub terram reponunt, odoratius fieri rati. Alexandrinus verò ita confici monet.

℞. Olei ℔ viij.
Violarum ℔ j.

Violæ cum oleo in vaſe vitreo conditæ, per dies viginti ad ſolem ſuſpēdantur, poſt hæc lento igne aliquantulum in vaſe fictili, vel vitreo bulliant, pòſt rurſus decem diebus ad ſolem exponantur, deinde reponantur. SEN. Refértne affectus ad quos con ferat? BRAS. Et plures refert, quàm dictum ſit. nam dicit, Phreniticis non dormientibus, cum tritici farina, & ſtrichni ſucco ſubactum fronti, & temporibus impoſitum, ſoporem inducit, cyathi duo cum euphorbij ſcrupulis duobus poti lumbricos mirè excludunt volis manuum, & plantis pedum illitum, ſtomachi feruorem placat, cum ſucco portulacæ, & aquæ cucurbitæ miſtum, hepati, & præcordiis adhibitum intolerabiles cauſi calores mitigat. SEN. Ad calidos omnes affectus in genere conuenit. BRASSA. Actuarius ad violaceum conficiendum violarum quadrans, & olei libras duas recipit, poſteà inſolat. Paulus Aegineta ἰαστὸμ oleũ ab aliquibus fieri di

cit

cit ex purpureis, ab aliis ex luteis, ab aliis ex albis vnguibus detractis, accipit foliorum violarum vncias tres, & in olei omphacini Italicos ſextarios quinque recipit, & accuratè conſtringit, ne exhalent, poſteà decem diebus inſolat, ter ipſas poſt triduũ commutans, & ad conſeruandum pauca quædam viridia folia immittit. SEN. Violaceum ex luteis violis violatum non dicitur, ſed oleum de Cheir, vel Alcheir. BRA. De hoc etiam verba faciemus, quod violaceo oleo vires habet oppoſitas: tamen & quæ ab Arabibus Cheir vel Alcheir dicuntur, apud Græcos ſub violarum genere continetur, de qua re amplè in noſtro ſimplicium examine locuti ſumus. At violaceum ex his ſemper fieri debet violis, quæ cœleſti colore inſignitæ ſunt. Imò adeò hoc colore, & florido imbutæ ſunt, vt violaceus color nuncupatus ſit, & per violaceum hũc intelligamus.

SENEX.

15 Cùm de Cheir mẽtio facta ſit, de oleo quod ex eo cõficitur, verba faciamus. BRAS. Eodẽ fieri modo conſtat. At ad hoc concinnandum, omphacinum accipi nõ eſt opus. nam eiuſcemodi oleũ calidum eſt, & doloribus ex flatu cõuenit, & ex pituitoſa materia frigida, & per clyſterẽ iniectũ, vẽtris tor

minib

minibus succurrit, neruorũ dolores sedat, & iũcturarũ, pectori cõuenit, renibus, ac vesicę. Mesue illud magis ꝓbat, quod ex cheir cõficitur luteo, quã quod ex albo. sed de cõficiẽdi modo, dicit fieri, sicut oleũ chamæmelinũ. Paulus, qui de omni violarũ genere locutus est, tres violarum vncias absq; vnguibus pro sextario vno olei, & in vitreum vas ponit, quod obturat, & per decem dies in sole seruat. & gelsemini vocati sub viola vel leucoio contineri vidẽtur. Nobis tamẽ potiùs arridet, vt eo conficiatur modo, quo violaceum oleum confici diximus, vt scilicet in optimi olei phialã, sed non omphacini, tantum florum violarum lutearum imponatur, quantum phiala capere potest, posteà soli per sex dies exponatur, & flores exprimantur, nouíque imponantur, post alios sex dies idem fiat, quousque hoc per quadraginta dies factum sit, tunc harum violarum odorem oleo inesse, & luteum quendam colorem acquisiuisse percipies, deniq; flores impone, quos ampliùs remouere non debes: sed ad vsus seruato. Tamẽ à Dioscoride iasmini vnguenti mentio fit, quod ex albis violis fieri dicit, non dubito ex nostris gelseminis esse confectum, quãuis nomen à violis deductum sit. Ita verò cõfici docet Dioscorides. At primò ait, quæ

in Persi

in Perside iasme quasi facto à violis nomine violaceo appellatur, albæ violæ floribus conficitur, coniectis in Icalicum sesamini olei sextarium eorum florum vnciis duabus, & vt in liliino demonstratũ est in alia vasa translatis: vtuntur eo Persæ in conuiuiis odoris causa. Toto etiam corpori in balneis accommodatum his est, quos lauari, & calefieri oportet. Ingrata in eo odoris nimia bonitas est, ideóq; multi non libenter eo vtuntur. SEN. Et nunc etiam qui in balneis lauantur, hoc oleo post lotionem inunguntur. Conficitur verò floribus in omphacinũ bene lotum impositis in phiala, & per sex dies insolatis, & denique ita procedatur, quousque gesmini florere perseuerarint, vicéque vltima gelsemini flores in oleo sinantur, & ad vsus referuetur, oleũ hoc potiùs ad odorem paratur, quàm ad medicos vsus, à myropolis hoc modo cõficitur. Iesmini flores dulcibus excorticatis amygdalis miscent, ac toties mutant, quo ad amygdalæ iesmini odorem receperint, posteà amygdalæ exprimuntur, & oleum colligitur odoratum. Idem fit ex vnguentaria glande, & gelsemini floribus, posset fieri & ex sesami seminibus eodem modo. SEN. Hoc est omnibus floribus & herbis commune. BRASS. Tamen propalandum est

eſt, & reiteramdum, ne memoria decidat, & vt illa quæ ſunt apta, enodentur, nunc aliud olei genus contemplemur.

SENEX.

16 Oleũ Anethinũ ſeſe offert cõſiderãdũ. BR. A' quo authore illud accipis? SE. A' Meſue, qui ait, eodẽ modo confici quo chamæmelinũ. BR. Accipisne flores vt in chamæmelino, flores ſolùm accipiuntur, imò ſola lutea pars. SE. Flores accipimus, & aliquid herbæ. BR. At Dioſcor. ſolos accipit flores. SE. Quomodo hoc cõficit Dioſcorides? BR. Ipſe vocat anethinũ vnguentum, & accipit olei põdo octo, & dodrante anethini floris pondo vndecim, & beſſem, facitóq; diẽ vnã in oleo madeant, tum manibus exprimito ac reponito. SE. Vno ſolo die nõ debet anethi odorẽ recepiſſe. BR. Tecũ fuero, niſi in oleo ebullierit, hoc fortè præuidẽs Dioſco. addit quòd ſi volueris ſecunda adiectione vires illi addere, nouúmq; anethi florẽ pariter in oleo demergito. SE. Nos flores iſtos in oleum imponimus, & per quadraginta dies inſolamus, poſteà reponimus. BR. Melius eſt hoc modo cõficere (vt à nobis aliâs dictũ eſt) oleũ probè lauare, poſteà anethi flores cũ hoc oleo in vitreã phialã imponãtur, quæ obturetur, & ſoli per ſex dies exponatur, poſtea flores exprimãtur, & abiiciantur

tur, ac alij noui indătur, & ita per singulos sex dies vsque ad quadraginta fiat, vltima vice sinendi sunt in phiala flores, & ad vsus reponendi. SEN. Ad quos adhibetur affectus eiuscemodi oleum? BRAS. A' Dioscoride dicitur. Potest anethinum vnguentum muliebres aperire, & lenire locos, contra circularium febrium in accessione cũ tremore algores accommodatum est, calefaciens, & lassitudines recreãs, vtile pręrereà articulorum doloribus est. SEN. At Mesue de ipsius viribus ita disserit: Dolores sedat, resoluit, sudorem prouocat, idcirco rigori febrium inunctum in spina, & membris neruosis cõfert, somnum prouocat, & capitis dolori aduersatur, abscessus resoluit, & duricies. Paulus pro anethino oleo conficiẽdo iubet recipi comam florum viridis anethi, quæ vno die exiccata fuerit ad vnciam vnam, & in olei dulcis sextarium Italicum vnum imponi, & insolari, tamen & alium docet conficiendi modum, quo breuius fit, tunc eadem florum coma exiccata, cum oleo in duplex vas ponatur, & percoquatur, tamen à Paulo iudicatur hæc esse inefficaciora olea, quàm illa quæ per insolationem fiũt. Tamen vndecunque Galenus de anethino oleo verba facit, semper illud per decoctionem parare videtur. SEN. In quo loco de hoc

hoc oleo ſermonem habet Galenus? BRAS. Non extat vnus ſolus locus, ſed diuerſi ſunt loci, in quibus de ipſo mentionem facit. SEN. Volumina ſcire optarem, in quibus de his pertractauit. BRAS. In quarto de ſanitate tuēda vno ante calcem folio, de oleis tractat, qui ſuccos non craſſos nec lentos, qui in carne, cutéque reſident, euaporare faciunt. Et inquit anethinum oleum præparaſſe, eſt facillimum. Poteſt verò & id medicamentum per halitum digerere ſiue ſolo eo, ſiue cum cera, reſináq; vtare. Danda verò opera eſt, vt in vaſe duplici & anethinũ coquatur, vtiliúſque fuerit, ſi anethum viride ſit, quod vtique ſi quo tempore requirit, compelletur maturum id eſſe. SE. Percipio Galenum in duplici vaſe coquere voluiſſe, ſed per hanc ebullitionem non negauit perfectius eſſe, ſi inſoletur. BRAS. Ita à Paulo iudicatum eſt, tamen nonnullos audiui, qui aliam ſequerentur ſententiam, à quibus prorſus ſponte diſſentio. nam inſolatum ſemper vehementius eſt. ſed Galenus ita parat, quando in promptu non habemus, & eo breui vti velimus. SEN. Nónne etiam breuis modus eſt ille, qui à Dioſcoride refertur, qui anethi quantitatem in oleum ponit, & per diem tantũ in illo ſinit poſteà exprimit? BRAS. Hunc Dioſcoridis

modum non probo, imò & per ebullitio-
nem breuius fit, quàm Dioſcoridis modo.
SEN. Ampla videtur anethi quantitas illa,
quam Dioſcorides in oleum ponit, olei ſci-
licet pondo octo, & dodrantem, florum
anethi pondo vndecim, & beſſem, hoc eſt,
ſi velimus per cõmunia veſtra vſitata pon-
dera exprimere, olei libras octo, & vncias
nouem, florum anethi libras vndecim, &
vncias octo. BRAS. Ampla profectò quan-
titas eſt, & talis vt oleum ſuperet. at fortè
hæc cauſa eſt, cur tantùm per diem in Sole
dimittit, & deinde exprimit: tamen quic-
quid ſit, mihi ſemper magis placet modus
ille, quem retulimus. SEN. Alia referto Ga-
leni loca, in quibus de hoc oleo loquatur.
BRAS. In vndecimo Methodi, & in duo-
decimo de eodem agit: ſed omnia repeten-
da non ſunt, ne labor hic noſter in immen-
ſum creſcat. Ab Actuario de hoc oleo ita
ſcriptũ eſt, calidum eſt, illitu medetur hor-
roribus certo circuitu remeantibus, laſſi-
tudines diſcutit, dolores articularios ſub-
leuat, vteri duricies emollit ſubter inditũ.
ita verò confici docet: anethum viride no-
ctu, diúque flacceſcens, inſtar vnciæ demer-
gitur in olei dulcis ſexquilibram, & operto
vaſe quadraginta dies inſolatur. SEN. Hic
eſt communis modus. BRASSA. Nihil
refert

refert, ego nunquàm pręteriissem quin huius authoris verba audires, neque mihi graue erit alium parandi modum tibi referre, quem Alexandrinus partim per ebullitionem, partim per insolationem fieri docet. SEN. Quínam est hic modus? BRAS. Author ille inquit: Recipe olei vncias vigintisex, florum anethi vncias duodecim, tribus diebus flos in eo infundatur. quarto verò die, lento igne parum coquatur, & succus diligenter eliciatur. Iterúmque decoctioni foliorum anethi vnciæ tres addantur, & ad Solem suspendantur, vsuíque reseruetur. SENEX. Cur secunda vice folia apponit, & non flores? BRASSA. Non dubito flores etiam sumendos esse, in quibus maior inest vis, quàm in foliis, & Alexandrini codicem mendosum esse reor, qui vbi folia habet, legendum est flores, quanquam & folia easdem quidem habeant vires, sed sunt imbecilliores. SENEX. Docétne quibus conferat affectibus? BRAS. Imò docet, cùm ait, opitulatur caput dolentibus, & hemicraneorum articulorũ doloribus inunctum subuenit, typica frigora, stomacho, renibus, & dorso iuxta ignem illitum emendat. Matrici suppositum, menstruis imperat, & omnes casus eius componit. SE. Omnes

ferè in his, ad quæ valent conuenire videntur. BRAS. Non mirum eſt, quare nullas alias habet vires ab iſtis. At oleum quod in tua ſequitur ſcheda, iam in mediũ prodeat à nobis conſiderandum.

SENEX.

17 Oleum Liliorum alborum ad examen accedit. BRAS. A' quo authore accipitur? SEN. A' Meſue, qui ita de illo diſſerit, pectoris dolori conferre, & dolores illos ſedare, qui à frigiditate fiunt, & vteri dolori conuenire, ac eius frigiditati, renes quoque calefacere, & veſicam, & colicæ prodeſſe. BR. Hæc prætermittito, & quomodo illud conficias, enarrato. SEN. Ita conficio, vt Meſue docet, qui ait, eodem confici modo, vt chamæmelinum, præter id quod lutea pars in lilio eiicienda eſt. BRAS. Et in chamæmelo pars alba erat eiicienda, fit quoq; oleum hoc ex maturarum oliuarum oleo, vel ex ſeſamino, poſſet & ex amygdalarum dulcium oleo confici. SEN. Docet & alium conficiendi modum Meſue. BRAS. Quem modum? illum referto. SEN. Inquit accipiẽda eſſe liliorum folia ad vncias octo.

Maſtiches
Calami aromatici Coſti
Carpobalſami

Singulorum ℥ j.
Gariophyllorum
Cinnamomi
Singulorum ℥ ß.
Croci ʒ iij.

Omnia præter liliorum folia infundantur in sufficienti aqua,& die ac noctu dimittantur, posteà ebulliant ebullitione vna aut duabus, deinde supra hæc iniice olei sesamini, aut olei de oliuis completis libras duas,& in vitreum vas cum liliorum foliis ponito,in Soléque per dies quadraginta dimittito:deinde percolato, ac vtaris. Addit Mesue,si liliorum oleum ex lilio,quod iris dicitur,cõficiatur,esse magis resolutiuum, calefactiuum, penetratiuum. At si fiat ex communibus liliis albis vocatis, esse magis solutiuum,doloris lenitiuum & maturatiuum. BRAS. Cur oleum ex iride his liliorum alborum oleo comparauit, cùm de irino oleo seorsum à nobis pertractandum sit? SEN. Fortè quia & hic flos apud ipsum sub lilij nomen venit. BRASSA. Liliorum oleum,quod nuper adduxisti,compositum est,non simplex: hîc verò de simplici oleo pertractare intendimus. Nos itaque cõfici iubemus, & est valde efficax, completum oliuarum oleum sumatur optimè lotũ, ac in vitream phialam ponatur,quæ liliorum

alborum foliis impleatur, & ore obturato per octo dies Soli suspendatur, posteà folia exprimantur, & alia noua in phialam addantur: itáq; singulis octo diebus fiat, quousque lilia haberi poterũt: vltima vice Soli per triginta dies exponatur: denique bene exprimantur, & ad vsus reseruetur. Non mihi etiam displicet, si hac vltima vice folia in phiala relinquantur, potest fieri & ex amygdalis, quibus liliorum folia inuoluantur, quoad odor fuerit probè ingressus amygdalis, posteà amygdalæ exprimantur, & oleum conficiatur, quod lilium redolebit hoc eodem modo fit ex vnguentaria glande, & ex sesamo, si sesami semina habeantur. SEN. Quódnam ex his efficacius est? BRAS. Illud, quod per tot dies fuit insolatum immutatis foliis. SEN. Fecêréne antiqui de hoc oleo mentionem? BRAS. Imò maximam & antiquitus vocabant, ipsum vnguentum susinum & crininon. SE. Cur ita? BRAS. De nomine susino ratio non habetur. nam authores ignorant, cur susinum vocatum sit. de crinino verò ratio facilis est. nã à lilio crininon vocatur, cùm Græci ita lilium nominent, ac si diceremus oleum crininon, id est liliinum. De eo Dioscorides amplè pertractat, & compositum facit, non simplex, & vnguentum vocat, sicut

cut

cut & multa alia vnguēta olea nominauit. SE. Ne tibi moleſtum ſit illa referre, quæ à Dioſcoride de hoc oleo prodita ſunt. BR. Sunt nimis prolixa. SEN. Et à nobis nullum aliud negotium peragendum eſt, tu breuioribus verbis quibus fieri poſsit, referto. BRAS. Vt tibi morem geram, hoc efficiam, ait ille: Sumito olei pondo nouem, & quincuncē, & odorati calami pondo quinque, & quadrantem, myrrhæ quincuncem, tusáq; omnia, & vino odorato macerata, in oleo decoquito, per colum deinde traiicito, traiectóque oleo tuſi cardamomi, cœleſtique aqua macerati pondo tria & ſemiſſem iniicito, dimiſsúmque cardamomum in oleo madere exprimito. ſpiſſati deinde hoc modo olei pondo, & ſemiſſem ſumito: ſumito itidem & lilia mille numero, decerptáque eorum folia in labrum, quod latum, non tamen profundum ſit coniicito, ſuperinfusóq; oleo manibus melle inunctis miſceto, dimiſsáque omnia integrum cum ſua nocte diem, matutino in reticulo compoſita exprimito, citiſsimè quod defluet oleum à ſimul expreſſa aqua excolans, & ſeparans: neq; enim roſacei modo miſtam ſibi patitur aquā, ſed concalefactū referuet, & vitiatur. Diffundito præter hæc ſæpius in alia, atque in alia melle inuncta vaſcula

ſalem inſpergens, & quæ coëuntes deſcendunt ſordes diligentiſsimè auferens, poſt hæc translatis ex fiſcella in labrum expreſſis, primùm aromatis ſuperinfundito. Iterum aromatis odorati olei par priori pondus, adiectíſque tuſi cardamomi drachmis decem, manibus efficaciter miſceto, nec multò pòſt exprimito, quod defluet purgãs ſuperinfundito, & tertium, iterúmque eadem facito, cardamomum & ſalem pariter inſpargens, & manus melle inungens. Erit quod primum fuerit expreſſum, probatiſſimum. Secundum, quod deinde. poſtremæ verò notæ tertium. Sumito deinde iterum lilia mille, decerptáque eorum folia in labrum coniicito, ſuperinfusóq; expreſſo primùm oleo, eadem pariter vt in primo facito, cardamomum adhuc miſcens, mox exprimens. In ſecundo itidem, tertióque vt præmonſtratum eſt facito, cardamomum pariter adiiciens & exprimẽs: quoties enim noua folia in oleo maduerint, eo efficaciore poteſtate vnguẽtum habebis, poſtremò cùm iam ſatis tibi eſſe videbitur, ſingulis eius confectionibus miſceto probatiſsimæ myrrhę duas & ſeptuaginta drachmas, croci decem, cardamomi duas, & ſeptuaginta. Addit deinde quidam croci, cinnamomíq; par pondus tuſum, cribróque excuſſum in
labr

labrum cum aqua coniicito, primóque expressum vnguẽtum superinfundito. Cúmq; aliquantisper dimiseris, in parua excipito vascula sine humore, gummi & myrrha, crocóque & melle aqua dilutis anteà inuncta. Eadémque in secunda vnguenti expressione facito, & in tertia. SEN. Dioscoridem militem fuisse rebar. BRAS. Miles quidem fuit, sed non talis, quales nostro hoc tempore militant literarum ignari, & qui nulla fide insigniti sunt, & pietate. SENEX. At adeò diligenter vnguentum hoc efficere nos docuit, vt nihil addi posse non dubitem. Dioscorides verè miles fuit, & pro vniuersa humana natura pugnator, quæ ob suam natiuam imbecillitatem facillimè collabitur, nisi medicis præsidiis perenniter subleuetur. Verùm & alio modo hoc oleum conficere nos docuit Dioscorides. SEN. Quónam? BRAS. Cùm & ipsi notum esset id, quod edocuerat esse compositum vnguentum voluit, & simplex vnguentum edocere, quod ex balanino oleo, liliísque aut quouis alio placuerit oleò conficitur. SE. Posteaquam tot ex Dioscoride relata sunt, hoc etiam referas, ad quos conueniat affectus. BRASSA. Libenter efficiam. Sequitur author, calefit vnguentum hoc, mollit, præclusos, & inflammatos mulie-

bres locos aperit. Estq; omnium aliorum in vniuersum muliebribus, id est fœminarum mensibus vtilissimum, vtile idem manantibus capitis vlceribus, varis, furfuribus, & pustularum in capite eruptionibus, vibices, prætereà quamprimùm emendat, & reliquo corpori concolores reddit, rarefacit in vniuersum liliinum vnguentum, potum per inferna, purgat. SE. Ergo in potu sumebatur hoc vnguentum? BRAS. In potu quidem, & ego nostrum liliinum in potu mulieribus plerunque præbui, ob vteri causam, & optimè contulit. Dioscorides sequitur vrinam eiicere, & stomacho noxium esse, & nauseam facere. Actuarius in libro de Compositione medicamentorum, mensuram cõficiendi hoc oleum docet his verbis: Accipe foliorum liliorum (intellige de florum foliis, non autem de plantæ foliis) exactis vnguibus, sextans, dulcis olei libras tres tribus insolentur diebus, deinde prioribus eiectis, noua coniiciantur folia, mox iterum exacto triduo, inducãtur alia, ter hoc opus obeundum. SE. In tuo conficiendi modo ter fieríne iubes? BRAS. Toties fieri iubeo, quoties lilia florescunt, & quoties haberi poterunt. SE. Quid de hoc oleo dicit Alexandrinus? BRAS. Ipse compositum quoddam oleum, non simplex con

ficit

ficit. SE. Quódnam est illud? BAAS. Hoc quod sequitur.

℞. Olei ℔ v.
Liliorum ℔ j.
Rosarum ℔ ß.
Masticches ℥ ij.
Croci ℥ j.

Lilij, rosarum, mastiches, croci puluis simul cum oleo in vitreo vase cōdatur, quod ad Solem nouem diebus suspensum, decimo die lento igne coquatur, & colatū vsui reseruetur. SE. Quódnam potius probandum tibi videtur? BRAS. Simplex. nā cùm de liliorum oleo quæstio est, vim liliorum solùm petimus, & non alterius simplicis, ne putantes nos liliorum viribus vti velle in aliquo affectu, diuersorum simplicium viribus vtamur. SEN. Hoc mihi placeret, quod dicis, si in omnibus seruaretur. BRAS. Paulus hoc modo conficit.

℞. Foliorum liliorum, quæ per diem fuerint à lilio diuulsa & noctem ℥ ij.
Olei Italicum sextarium.

Iniiciātur in vas bene obturatū, ne exhalet, & in Solem ponantur dies tres, quibus trāsactis primis floribus exemptis, & proiectis, aliæ duæ vnciæ aliud triduum immittantur, & sic reponantur. SEN. Actuarius ter hoc fecit, liliorum folia, scilicet immu-

tauit

tauit. BRAS. Ob hoc illud Actuarij perfectius iudicato. SEN. Cur Paulus non dixit flores istos esse exprimendos, sed illos absq; expressione eiicit? BRAS. Illud subintelligere oportet. Nota verò Paulum post simplex liliorum oleum, compositum etiam retulisse. SEN. Quónam modo? BRASSA. Esset nimis longum referre. SEN. Et quibus negotiis adstricti sumus, quin Paulum suum hoc oleum conficientem audire possimus? BRAS. Posteaquam tam impensè hoc scire desideras, quomodo ab eo authore conficiatur, audito.

Sumito olei sextarios. iij.

Calami odorati ℔ v.

Myrrhæ ℥ v.

Cardamomi ℔ iij.

Foliorum lilij detractis vnguibus, & per diem & noctem dimissis ℔ j.

Cinnamomi ℥ iij.

Croci ℥ v.

Pręparationem vniuersam in tres iniectiones diducito, primùm quidem myrrham, & calamum vino per quinque dies macerantes ter in die agitemus, tum oleum ad paucissimum decoquamus. secundò verò cardamomum aqua per triduum macerando commouentes pari rursum ratione cum oleo ad horam vnã simul elixemus, deinde detrah

detrahentes oleo puro liliorũ tertiam partem iniiciamus, & lapſo iam triduo colando aliam liliorum tertiam partem iniicito, quam iterum poſt triduum colans, & repurgãs primæ alteram liliorum tertiam partẽ cum roſaceo leuigato immitte: tranſactis tribus aliis diebus oleo detracto, cinnamomum contuſum loco arnabo, vel caſſiæ duplum carpeſium iniice, & reponito. SEN. Compoſitum Dioſcoridis liliinum eſt magis amplum quàm hoc Pauli, ſed quam compoſitionem magis probas tu? BRASS. Illam Dioſcoridis: ex ſimplicibus verò illã magis probo, quam ego adduxi. At ad alia oleorum genera ſermonem conuertamus.

SENEX.

18 Oleum Irinum huc accedit cõſiderandum. BRASSAV. Et Irinum etiam ab iride vocatur, mirificum eſt oleum. at in eo cõficiendo quem ſequeris authorem? SEN. Meſuen. BRAS. Compoſitionem referto. SEN. Iubet accipi radicum iridis quantum placuerit, & florum iridis ad duplum, aquæ decoctionis radicum iridis quantum ſufficit. funde ſuper hæc oleum ſeſaminum, vel oleum roſaceum completum, quantum ſatis eſt, poſteà decoque in duplici vaſe, & permuta radices, ac florũ folia, & id facito

quod

quod dictum est de oleo rosaceo. BRASS. Quid factum est in oleo rosaceo? SEN. Ter hoc modo facta est rosarum mutatio. multas verò dotes huic oleo præstat Mesue. BRASSA. Quásnam? SEN. Inquit Irinum oleum esse abstersiuum, resolutiuum, maturatiuum, & frigidorum dolorum sedatiuum, & materierũ quæ in pectore sunt, & pulmone, maturatiuũ, iecorísque ac splenis doloribus cõfert, atq; eiuscemodi membra calefacit. Iuncturarum prætereà doloribus cõfert, & earum durities lenit, idémq; efficit in duris abscessibus, & in strumis, & vteri dolori ac frigiditati valẽtissimè confert, conuulsionibus cõuenit, si in aures instilletur, aurium dolores sedat, & narium fœtori opitulatur. BRAS. Pluribus quidem confert affectibus, sed plures etiam prætermisisti, vt quod intestinorũ doloribus conueniat, & capitis, & chiragris, ac podagris à frigida causa. SEN. Nihil prætermisi ex his, quæ à Mesue scripta sunt. Incusandus est Mesue, qui non omnia scriptis mandauit. Súntne antiqui de hoc oleo locuti? BR. Imò celeberrimè, extat apud Dioscoridem compositio, quam deinceps in mei gratiã serues, iubeo, & cùm Irinum oleum, vel vnguentum indixero, hoc Dioscoridis semper præbeto. SEN. Id libenter efficiam, imò

plurim

plurimum gaudeo, cùm antiqua medicamenta in lucē,& vſum redire video. BRAS. Fortè igitur arbitraris te ſeniorem in iuuenilem ætatem poſſe redire. SENEX. At cùm ſim hoc Irini ſpiſſamentum facturus, illud referto, vt ſi in aliquo anceps ſim, ambiguitates remoueas. BRASS. Hoc libenter efficiam, ita Dioſcorides inquit: Sumito noui, necdum florentis in palma fructus operimenti pondo ſex,& beſſem, tusúmque tenuiſsimè in olei pondo ſeptuaginta tria & ſemiſſem, coniicito, miſcetóque aquæ heminas decem, tum in æneum coniecta omnia coquito, vſque dum operimenti fructus palmæ odorem contraxerint, oleum deinde in craterem melle inunctum excolato, primò ex hoc oleo Irinum vnguentum conficitur madente (vt mox tradetur) inſpiſſato ſic oleo iride. SENEX. Quomodo iris madet, & quæ iridis pars? BRASSAVOL. Radices. nam hoc mihi magis placet, quàm ſi flores apponerentur: quoniam radix oleo odorem præbet. hoc verò pacto fiat: Sumito illius olei libram vnam, radicum iridis craſſo modo puluerizatarum vncias tres, ſimul miſceantur, poſteà Soli per aliquot dies ſuſpendantur, vt iridis vis melius in oleum ingrediatur. nam non æquè bene ingreditur, ſi non

inſol

insoletur, vel saltem paulisper bulliat. tamen & alium conficiendi modum Dioscorides tradit. SEN. Nec ab re facit quia primo modo confici non posset. nam operimenta non habentur nondum florentis in palma fructus, quod spathem, vel elatem Græci vocãt. BRAS. Non esset magni momenti negotium illud habere. SEN. Secundam Dioscoridis compositionẽ audire percupio. BRAS. Inquit ipse. Conficitur idem præterea hoc modo, sumito olei pondo septuaginta, & semissem, ligni balsami pondo quinque & sextãtem, tundito vt dictum est, omniáque simul coquito, addito deinde balsami ligno, tusi odorati calami pro eo adiicito pondo nouem, & dextantem, myrrhæ'que granarũ vetere odorato vino dilutum, & in oleo demergito. Sumito deinde spissati aut aromatis odorati olei pondo quatuordecim, tusæ'q; iridis par pondus in eo demergito, facitóq; integrum cum suis noctibus biduum in eo madeant, túncque valde & violenter exprimito. & si efficaciores vires vnguento addere volueris, iridis par pondus, bis, térq; facito in oleo pariter madeant, & exprimito, probatissimum est quod solam iridem, nihílque aliud olebit. SEN. Cupio & noscere ad quos iuxta Dioscoridem conferat affectus. BRASS. Tuum hoc

hoc desiderium facillimè explere possum. nam sequitur, molliendi, calefaciendíque vires irinum habet vnguentum, repurgat quæ medici asserunt, putrescentiáq, & sordida vlcera muliebrium locorum vitiis accommodatum est, inflammationibúsq; & præclusionibus eorum, fœtus ex vtero pellit, hæmorrhoidas aperit, cõtra aurium sonitus cũ aceto, & amaris amygdalis instillatur, contra diutinas à capite in subiectas partes destillationes,& ozænas,inunctis eo naribus succurrit. Purgat idem aluũ pondere cyathi potũ, prodest ileosis, vrinã cit, vomitus difficultates adiuuat, digitis aut vomitoriis inũctis, quin etiã in anginis inungitur, aut cũ mulsa aqua gargarizatur. datur & contra faucium asperitates,& his qui cicutam, fungos, aut coriandrũ hauserint. SEN. Longè plura sunt hæc quæ à Dioscoride referũtur, quàm illa quæ à Mesue scripta sunt. BRAS Et adhuc alia supersunt ab his authoribus prætermissa. tanta efficacia pollet eiuscemodi oleum SEN. Qui modus magis tibi placet vt paretur? BR. Ille quem superius attuli ex radice,& illo pręcise modo, & non alio, quando simplici irino vti voluerimus, & non ex multis composito. SEN. Extant ne alij authores qui de hoc locuti sint? BRAS. Alexãdrinus, & Actuarius

de hoc oleo verba fecere, & cõficiendi modum edocuere. SENEX. Horum authorum conficiendi modos ſcire optarem. BRASS. Ita inquit Alexandrinus.

℞. Olei ſextarios decem.
Aquæ ſextarios tres.
Radicis iridis ℔ iij. & ℥ iiij.
Radicis lilij ℥ xv.
Radicis cyperi viridis ℥ vj.
Helenij ℥ iij.
Anchuſæ ℥ ij.
Cinnamomi
Aſæ
Spicæ
Singulorum ℥ j.

Species in puluerem redactas, radicéſq; contritas in aqua, & oleo diebus quinque infunde, & leuibus prunis ad cõſumptionem aquæ decoque, ita tamen ne ardeat oleum, & inde ablatum poſt diem integrum refrigeratum cola, & in vaſe conditum vſui reſerua: eſt enim calidum, & leptoriticum. SEN. Quid ſignificat hoc vocabulum? BR. Author vocat hoc oleum leptopocon, quia craſſos humores extenuat, propterea bene addit. & ideo humores reprimit, & humores pingues ſubtiliando conſumit. SEN. Et hoc eſt valde compoſitum oleum. BRASS. Compoſitum profectò eſt. SEN. Secundum

comp

compositionem ad plura valere debet. BR. Referam quæ ab Alexandrino dicuntur. Inquit quòd vsurpatur ad diuturnum catarrhum, naribus illitum ozænas & putredines narium aufert, tinnitũ aurium cum aceto & ruta & amygdalis amaris commistum, & auribus iniectum tollis asthmaticis gargarismo adhibito opitulatur, ventrẽ tollit in mensuram cyathi vnius acceptum, & tormina intestinorum iniectum placat, tumores hystericos, & suffocationes vuluæ sedat, vice pessarij suppositum ambobus menstrua educit hæmorrhoidas veteres iniectum, siue colo iniectum aperit. SENEX. Aliqua refert, quæ à Dioscoride haud scripta sunt. BRAS. Et aliqua etiam præteriit, quæ ab eo sunt relata. sed Actuarij compositionem nunc audito, qui ita ait. Irinum oleum calefacit, emollit, roborat.

Aspalathi
Iridis
Baccularum viticis
Piperis
Inulæ
　Singulorum ℔ j.
Lachrymæ panacis
Iunci odorati
　Singulorum ℥ j.
Anchusæ, duellam.

Olei quantum ſatis eſſe videbitur.

SEN. Neminem adhuc audiui, qui hoc irinum oleum ſimplex cõficeret. BRAS. Imò nec Paulus illud ſimplex facit. SEN. Pauli igitur modum non adduces? BRASS. Imò adducam, ſed ad hunc locum ſeruaui, ita dicit ipſe, irini olei conficiendi ratio.

Iridis
Aſpalathi
Cyperi
Singulorum ℔ v.
Succi panacis quadrans.
Anchuſæ ℥ ij.
Olei ℥ xxx.
Aquæ ſextarij xv.

Sunt qui ad hęc addunt floris lentiſci ℥ vj.

Caſsiæ quadrantem.
Xylobalſami ℥ vj.
Nardi celticæ ℥ vj.

Omnia contuſa aqua, & oleo diebus quinque macerans coquito in diplomate horis ſex, & deponito. SEN. Aqua reſolui debere arbitror. BRAS. Imò ob hoc illã ebullire facit. SEN. Opus eſt vt vehemẽter ebulliat, ſi tota aqua in ſex horarum ſpatio reſolui debeat. BRAS. Et ſi à Paulo ſcriptũ non ſit, tamen cenſendum eſt tãtum ebullire debere, vt aqua ſit reſoluta. SEN. Imò, & aliquantiſper bulliendum erit poſtquam aqua fuerit

rit resoluta, sed quid est in diplomate coqui? BRAS. Est in duplici vase coqui. SEN. Et hoc etiam aquæ resolutionem retardat, idcirco plusquam sex horis indigebit. BR. Tibi iam dictum est per sex horas, & horas intelligendas esse quò ad aqua fuerit resoluta, & vt notasti aliquantisper etiam absq; aqua oleum cum simplicibus ebullire debet. Ad alia verò oleorũ genera sermonem vertere conuenit.

SENEX.

19 Oleum Sambucinum in medium adducendum est. BRAS. Multi Ferrariæ illo vtuntur, cùm partem aliquam combustam habent. SEN. Dupliciter paratur, ex floribus, & ex medio tenello cortice. BRA. Hoc quod ex cortice cõfectum est, illud est quo Ferrarienses mulieres ad cõbusta vtuntur. id verò quod ex floribus confectum est, illud est quod neruorum doloribus adhibetur, & neruos roborat. SEN. De hoc igitur solo conficiendo Mesue locutus est, quare inquit. Oleum sambucinũ lenire, cutimq; mundificare, & neruorum doloribus conferre, ac illos confortare. BRASS. Neque mihi displicet vt ita intelligas. at quomodo à Mesue conficitur? SEN. Inquit vti oleum rosaceum confici debere, tamen olei chamæmelini confectio videtur esse ma-

gis propria huic olei ſambucini cõpoſitio-
ni, & aliqui Meſue codices legunt, vt cha-
mæmelinum oleum cõfici debere. nam ita
fit vt chamæmelinum. ita verò illud con-
ficiendum arbitror, oleũ probè lotum acci-
pere oportet, poſteà in vitream phialam
imponẽdum. & albis ſambuci floribus im-
plenda eſt, & Soli per ſex dies ſuſpenden-
da, poſteà flores exprimerem, & nouos im-
ponerem, hócque per totũ id tempus effice-
rem, quo ſambuci flores haberi poſſunt, idẽ
iudicium eſt de eo quod ex tenellis confici-
tur corticibus, quæ ſub duro cortice conti-
nentur corticem illum ſepties ſaltem mu-
tare oportet, & phiala ſemper ad Solem ſu-
ſpenſa permaneat, hic eſt melior modus
qui fieri poſsit. Si oleum illud quod ex flo-
ribus confectũ eſt odorabis, flores illos mi-
rum immodum redolere percipies. Non-
nulli decepti ſunt, putantes ſambucinum
oleum eſſe apud Arabes oleum de gelſemi-
no, quia Arabes non vocant illud ſambuci-
num, ſed ſambacinum, nomen à ſambac
deductum, & non à ſambuco.

SENEX.

20 Hoc prætermiſſo de oleo de Cotoneis
verba faciamus. BRASSAV. Fuit in maxi-
mo vſu apud antiquos, neque in præſentia-
rum ad minores eſt vſus, ab antiquis me-
linum

linum oleum vocabatur, non cotoneorum oleũ nominatur, faciendi ratio apud Paulũ est, vt à corticibus minimè mundetur, sed lanugo supra corticem extensa tantũ auferatur, postea cum corticibus incidi iubet, deinde tres cotoneorum vncias in olei omphacini sextarios Italicos decẽ imponit & quadraginta dierũ spacio insolat. SE. A' Mesue alio modo conficitur. BRAS. Hunc Mesue modum referto. SEN. Ita inquit Mesue: Accipe carnem cotoneorum cum suis corticibus tritorum, quibus mediata accidit maturitas, & succi eorum singulorum partes æquales olei ex oliuis completis quantum sufficit in vas vitreatum imponito per dies quindecim ad Solem, posteà coque in vase duplici per quatuor horas, deinde cotoneorum & succi eorum bis, vel ter permutatio fiat vt dictum est, posteà colato ac recondito. BRA. Omnino diuersus est Mesue modus ab illo Pauli. Nonnullos vidi qui tantundem succi cotoneorum sumunt quãtum olei omphacini, posteà per viginti dies insolant, & ad succi consumptionem in duplici vase coquunt, posteà colant, ac reponunt. SEN. Modus hic haud mihi displicet. BRASSA. Tamen ex longa ebullitione aliquid nidorosi acquirit. nam opus est vt diu bulliant, si succus integrè

exinaniri debeat. SEN. Ad quos confert affectus eiuſcemodi oleum? BRAS. Non ne Meſuen legiſti? SEN. Legi. nam dicit ſtomachum, & nutrientia membra roborare, laxisque membris ſuccurrere, & ſudoris multitudinem prohibere. BRAS. Optarem vt duo de cotoneis olea conficerentur, vnũ ex cotoneis maturis, alterum ex immaturis. nam primum remiſsius, ſecũdum vehemẽtius adſtringit. SEN. Vtrumq; deinceps parabo, atque ſeruabo. at valet ne ad alios affectus à prædictis? BRAS. Actuarius inquit adſtringere, ideo ſtomachi, & iocinoris imbecillitatibus, ventris defluxionibus accommodatum eſſe. SEN. Quomodo confici iubet author hic? BRAS. Iubet accipi malorum cotoneorum exempta medulla ſelibram, olei omphacini ſextariũ, mala particulariter tũduntur, & in oleum dimerſa quadraginta dies inſolantur. SEN. A Paulo nõ magnopere differt, verum quod dicitur exempta medulla, quomodo intelligendum eſt? nam medulla exempta, cortex ſolus relinqui videtur. BRA. Codicem deprauatũ eſſe reor, & legi oportere exempta lanugine, quæ ſcilicet in pomi ſuperficie viſitur. nam quod dicit mala particulatim tunduntur, oſtendit mala ſumenda eſſe cũ carne ſua. SE. Eſt conueniens coniectura.
BRAS.

BRAS. Poſſet etiã intelligi exẽpta medulla, id eſt ſeminibus exemptis cum corticibus ſemina ambientibus. SEN. Conficit ne eodem modo Dioſcorides vt iſti faciunt? BRAS. Dioſcorides compoſitũ facit quod melinum vnguentum vocat, & dicit ita à Romanis appellari. Dioſcor. verò cõficiendi modus hic eſt. Sumito (inquit) ſimúlque miſceto olei ſex. aquæ verò ſextarios decẽ, ſuperiniicito deinde tuſi corticis palmæ triẽtẽ, rotundiq; odorati iunci par pondus, dimiſsáq; omnia integram diem madere, decoquito, excolatúmque oleum in patentioris oris vas aliquod coniicito, & ſuperpoſita ex arundinibus crate, aut rariore ſtorea, cotonea ſuperponito mala, panísq; operta aliquot diebus dimittito, vſq; dum cotoneorum odorem oleum cõtraxerit, hic eſt Dioſcoridis conficiẽdi modus. SEN. Cũ ſimplex non ſit, illud potius conficerem quod tu edocuiſti. BRAS. Et ſi ſimplex non ſit, ad illos tamen confert, quos retulit affectus. SEN. Et qui ſunt hi affectus? BRAS. Inquit adſtringendi vis huic oleo & natura eſt, refrigerátque, facit ad ſcabies, vlcera, furfures, perniones, & quæ ſerpunt, inſtillatur idem contra muliebrium locorum exulcerationes vtiliter, & eadem vtilitate cõtra citatã vrinã infunditur. Sudores præ-

tereà compeſcit, & contra cantharidas, bu-
preſtes, & pinorum erucas vtiliter bibitur,
erítq; in eo genere probatiſsimum quod
cotonea olebit. SEN. Si cotonea ſumantur
probè matura, cotoneorũ oleum facilè con
trahit, ſecus eſt, in immaturis. BRAS. Cùm
oleo ex immaturis cotoneis vtimur, tunc
non indigemus odore, ſed vehementiore
adſtrictione cum membrorum roboratio-
ne. ſcito verò alium à Dioſcoride referri cõ
ficiendi modum, quo nonnulli ſuo tempo-
re vtebantur. SEN. Neq; modus his præter-
eundus eſt. BRAS. Non præteribo, ita ni-
mirum dicit, quidam mala ipſa pannis de-
cem diebus, vt coërceatur, neq; effletur odo
ris bonitas, tum biduũ cum ſuis noctibus
in oleo dimiſſa exprimunt, & oleum ſer-
uant. SEN. Si iſti ex puro oleo confecerint,
& non ex oleo illo compoſito, erit ſimplex
cotoneorum oleum & non compoſitum.
BR. Nota ſimplex melinum fieri debere ex
ſimplici cotoneorum carne & oleo, reliqua
ſunt cõpoſita. SE. Sunt ne cotonea in parua
incidẽda fruſtula? BR. In minima, imò non
ab re eſſet. Cotonea magna lima in tenuiſ-
ſimam ſcobẽ reddere, quãdo ſuccus excipiẽ
dus eſt, plus nimirũ ſucci hoc modo expri-
mitur, neq; cortices dimittendi ſunt, quare
oleo odorẽ præbent. SE. Quãdo ſuccus cum
oleo

oleo ebullit, maximè crepitat. BRAS. Imò cùm vehemẽter, vt plerũq; vas exeat, & hęc est vna ex causis quare in duplici vase conficiendus sit. at tempus est ad alia progredi.

SENEX.

21 Oleum Myrtinum sub præsentem cõsiderationem accedit. BR. Vtinã ab omnibus eo modo cõficeretur, quo nõnunquam vi ignis, & glaciei ex ipsius myrti baccis, illud eduxi. SEN. Si conficiendi modum me edocebis illud semper ita parabo. nam persensi, & odorem, & saporem myrti ita seruare, vt nemo in ipso decipi posit. BRAS. Quomodo in præsentiarum conficis? SEN. Mesuẽ sequor, qui ait stomachum & cor roborare, atque neruos, fieríque sicut oleum de cotoneis: propterea myrtorum baccas accipio, ac contero, succúmq; facio, posteà accipio ex pinsis baccis, & succo partes æquales, & in oliuarum completarũ oleum in vitreo vase per dies quindecim ad Solem impono, deinde in vase duplici per horas quatuor, vel ad succi consumptionẽ coquo, posteà myrtillos, & succum permuto, térq; hoc facio: denique colo, ac ad vsus seruo. BRAS. Hic est ad libellum Mesue modus, quo cotoneorũ oleum confici iubebat. Scito verò, & ex myrti baccis per expressionem oleum cõfici. SEN. Tu verò quomodo

do parares? BRASS. Satis mihi videretur, myrtillorum ſuccum accipere, & in oleum pondere ad æquales partes, ac in duplici vaſe vſque ad ſucci conſumptionem ebullire, poſteà in hoc oleum myrtillos imponere, & per quadraginta dies inſolare, denique abſque expreſsione ſeruare myrti baccas in oleo ſinendo, non reprobo tamen ſi cuipiam exprimere placuerit, & oleum abſq; myrtillis ſeruare. SEN. Reperitur ne apud antiquos huius generis oleum? BRAS. Maximè reperitur. nam (vt ab hoc ordiamur authore) Nicolaus Alexandrinus id conficere docet, ſed compoſitum eſt nō ſimplex. SEN. Vt ipſius compoſitionem referas expecto. BRAS. Inquit Alexandrinus.

℞. Olei ſextarios quinque.

Vini ſextarium vnum.

Foliorum myrti tenerrimæ ℔ ij.

Croci

Oenanthes

Singulorum ℥ x.

Maſtiches

Acaciæ

Singulorum ℥ viij.

Ita verò conficitur. folia myrthæ in pila ſine intermiſsione tundantur, & in vino nocte ac die infundantur. altera verò die oleo ſupermiſſo leues ad prunas vſque ad

vini

vini consumptionem coquantur, deinde fortiter colentur. ad vltimum autem puluis croci, oenanthes, masticheS, acaciæ inseratur: iterúmque lento igne tam diu exagitãdo bulliat donec optimè commisceatur, & reconditum vsui reseruetur. SEN. Præter id compositum est, & non simplex, id etiam habet quod ex foliis conficitur, & nõ ex baccis. Cùm (vt reor) ex baccis efficacius esse debeat. BRASSA. In hoc ambigendum non est, licet author hic ex foliis conficiat. ego quandoque myrtino oleo confecto, & expresso iussi myrti folia in ipsum imponi, & non moueri, quare oleo odorem præstant, quem prius non habebat. SEN. refertur ne ab hoc authore quibus conueniat affectibus? BRA. Refertur quidem, sed cum diuersorum simpliciũ miscella. SEN. Quomodo hoc intelligis? BRAS. Authoris verba referam, & statim percipies, inquit, virtutem habet stypticam, & exsiccantem. & ideo putridos humores capitis, & dolorem emendat, cum mastiches, boli, & semine volatilis, singulorum vncia vna mistum, & fronti impositum, superciliorum & oculorum dolorem arcet, & lippitudinem in eis ex rheumatismo non permittit, cum camphoræ scrupulis duobus tragacanthe vno. Mammillas inũctum æstiuos sudores malè olen

olentes dispellit, eásque decenter distentás pristino decori reddit, diaphoreticos sudores, & cœliacos fluxus super stomachum, & totum ventrem inunctum puluerẽ oenanthes & acaciæ superspar so adstringit, hæc sunt ad quæ conferræ dicit hoc oleum Alexandrinus. SE. Faciunt ne alij cũ isto authores? BR. Actuarius ita de hoc oleo disserit. Myrteũ oleũ refrigerat & adstringit, ideóq; cœliacis affectibus subuenit, sanat igne ambusti pustulas rumpentes, illitu emenda attritos hyeme concitulos, & intertrigines illitum corrigit, sedis rimas, cõdylomata, luxatos artus persanat, & sudores coërcet. SEN. Quomodo conficit Actuarius? BRASS A. Ita inquit, foliorũ myrti recentium vncia teritur, & in olei omphacini sextarium mergitur, & vt cętera factitatur. SEN. Et hic etiam author ex foliis conficit, & non ex baccis, cùm illud magis probem quo ex baccis cõfectum est. BRAS. Dioscorides verò tres conficiendi modos refert, & ex foliis omnes conficit, neque baccarum mentionem vllam facit. Duo modi simpliciores sunt. Tertius autem cõpositus est. SEN. Nihil effectum esset nisi modos istos conficiendi Dioscoridis referes. BRAS. Ecce iam refero, inquit ipse. Sumito nigræ ægrestis, aut satiuæ myrti

tener

tenerrima folia, tūdito ea, tusáq; exprimito, expreſſo deinde myrti ſucco parē acerbi, olei menſuram miſceto, facitóque in carbonibus caleant, vſque dum ſimul cōcoquātur, tum quod in ſummo fluitabit oleū auferto, hic primus eſt Dioſcoridis modus. SEN. Secundum audire iam expecto. BRA. Ita ſequitur. Conficitur & aliter minore labore, tūdito tenerrima myrti folia, tuſáque in oleo & aqua coquito, quod ſupernatabit oleū colligas. SEN. Supereſt vt tertiū modum referas. BRASS. Sequitur tertio. Priuatim, & per ſe myrti folia itidē in oleū coniecta, in ſole madeant. Sunt qui oleum malicorio, & cupreſſo, anguloſoq;, & rotūdo odoratis iuncis antea ſpiſſetur. SEN. Hoc eſt fortè compoſitū quod dicis. BRA. Hoc inquam compoſitum eſt, ſed de eius efficacia ita Dioſcorides dicit. Efficaciores ad agendū vires habet, quod ſapore amareſcit, pingui liquore, oleoſum, viridéque & translucidum eſt, myrti odorem referens. SEN. Percepi & Dioſcoridem ex myrti foliis confeciſſe. BRAS. Tamen & ex baccis fieri poſſe, & maiorem habere efficaciam non dubito. SEN. Ad quos effectus valere eiuſcemodi oleū dixit Dioſcorides? contēplemur parūper nū eiſdē cōferat affectibus, qui ex aliis authoribus relati ſunt. BR. Dio-
ſcorid

ſcoridem audito de illo ita differentem, eſt illi adſtringendi vis, indurat, eámque ob cauſam his quæ inducendis cicatricibus conficiuntur vtiliter miſcetur, facit ad ambuſta capitis manantia vlcera, furfures, puſtularũ eruptiones, intertrigines, rimas, cõdylomata, & laxatos articulos, cõpeſcit idem ſudores, cunctiſque aliis prodeſt, quæ adſtringi aut denſari oporteat. à Galeno in primo de Compoſitione medicamẽtorum ſecundum locos, & in ſecundo de Compoſitione medicamentorum per genera notatur, hoc oleum ratione olei digerere myrtorum ratione adſtringere, nos eo vtimur in his qui venam fractam habent in thorace, vel apertam, vel à qua exudet ſanguis, et mirificè prodeſt. SEN. Cũ antiqui authores, & probi ex tenerrimis conficiãt foliis, cur illos imitari non debemus? BRAS. Imitemur ſi placet, ſed ex baccis etiam confectũ habens de oleo iſto Plinius mentionem facit, lib. 15. capite 7. & monet ex myrti baccis oleum fieri, & ex foliis. SEN. Quid putas cenſuiſſe Meſuen? BRASSA. Cum Serapio, Aliabbas, Raſis, & cæteri arabes ex foliis cõfici doceant, arbitrandum fortè eſt, & Meſuen ex foliis confeciſſe, & foliorum ſucco. SEN. Vtrunque genus parabo Plinium ſequutus, & illud ſcilicet quod ex foliis

foliis conficitur, & illud quod ex baccis. BRAS. Non errabis, quia frequentius eo vtar, quod ex baccis confectum erit. Ad alia iam te accingere poteris.

SENEX.

22 Oleum Rutaceũ hinc non longè suam sedem habet. BRAS. Quomodo illud conficis? SEN. Vt Mesue parat, qui inquit fieri sicut oleum myrtinum. BRAS. De myrtino oleo statim locuti sumus, & tunc dicebat oleum myrtinum fieri sicut oleum de cotoneis. SEN. Hoc verum est, propterea rutaceum ita confici iubeo. Accipiantur foliorum rutæ, & succi eiusdem singulorum partes æquales, olei ex oliuis cõpletis quantum sufficit, ponãtur in vas vitreum, & per quindecim dies Soli exponãtur, deinde per quatuor horas in duplici vase coquantur, posteà permutari facio folia, & iterũ addi succum, & fieri vt dictum est, bis vel ter, denique colari iubeo, & recondi. BRAS. Eodem modo conficis, vt Mesue oleum de cotoneis conficiebat, tamen absque succo, & ebullitione ita fieri iubeo. In mense Maij teneriora rutæ folia in olei phialam imponantur, & per octo dies insolentur, posteà percolentur, & iterum alia teneriora folia imponantur, & per alios octo dies insolentur, hócq; decies fieri debet, denique expri-

mantur & ad vſus reſeruetur, hoc oleum rutæ odorem ſpirat, & omnes rutæ actiones agit. SEN. Non dubito. BRAS. Cur non accipis oleum omphacinum, ſi fieri debet ſicut myrtinum, & myrtinum ſicut illud de cotoneis? SEN. Ita me docuit præceptor meus à quo hanc artem didici. BRAS. Et non ab re, quia myrtinum, & cotoneorum olea vim adſtringẽdi habent, & in illo ſunt vſu. Rutaceum verò vim oppoſitam habet, ſcilicet aperiẽdi, & vt aperiat, ac calefaciat adhibetur. quod verò à Meſue dicitur fieri ſicut oleum myrtinum, de conficiendi modo intelligendum eſt, non autẽ de omphacini ſumptione, quia eſt aduerſus rutacei olei intentionem. SEN. Súntne aliqui antiquiores, qui de hoc oleo mentionem fecerint? BRAS. Sunt & inter alios Alexandrinus cap. 725. ſui libri, & illud Græca voce nominat oleum peganinum, huius authoris confectura eſt.

℞. Olei ℥ lxx.
Foliorum rutæ ℥ xxiiij.
Sampſuci
Cumini
Singulorum ℥ v.

Herbæ, & Cuminum ſemotim tuſa, & in oleo dies quinque macerata in vaſe duplici coque, exprime, & reconde. SEN. Ad quos affect

affectus conuenire dicit? BRAS. Inquit singulariter prodesse ad genuum dolorem, & ad podagram, conducit etiam ad capitis, & præcordiorum dolorem, ex sicco & calido ortum. SEN. Mihi oppositum videretur, quod siccum potiùs & calidum augeret dolorem. BRAS. Imò ita prorsus sentire debes, quia à calida & sicca causa dolor augebitur. Idcircò, cùm ita in authore legatur in codice, mendum esse ratus sum, & legi oportere ad frigidum & humidum dolorem, vel legatur valere ad præcordiorum dolorem, cùm calidum & siccum sit, scilicet hoc oleum. nam sicca & calida doloribus aduersantur, qui vt plurimùm à flatuosa materia fiunt. doloribus verò ex calido & sicco excitatis, calida & sicca haud conueniunt. vnde ab Actuario probè dictum est. Rutaceum oleum calefacere, & resiccare, propterea destillationibus auxiliatur, doloribus cum thoracis tum reliquarum partium, quæ vim caloris desiderant remedio est. SEN. Hoc conuenientius est, quòd ab Actuario scribitur, partibus, scilicet conuenire quæ vim caloris desiderant. At compositio quàm refert Alexãdrinus simplex non est. ignoro verò an illa Actuarij sit simplex. BRAS. Simplicissima est. nam accipit comarum rutæ, & foliorum die, noctúque de-

coctorum vnciam, olei libram, & anethini modò Soli exponit. SEN. Quomodo anethinum Soli exposuit ipse? BRAS. Per quadraginta dies. SEN. Quomodo decoquentur, diu & noctu comæ, & rutæ folia? BRAS. Codex deprauatus est. nam legendum est noctu, diúque flaccescens, vt de anethino dictum est. nam absurdum est dicere, quòd nocte ac die coquãtur. conuenit verò quod comæ, & folia noctu ac diu flaccescẽt, posteà in oleum ponantur & insolentur. flaccescentia verò superficialem quandam humiditatem amittunt ex aëre contractam, & à rore matutino. SEN. Melius igitur videretur siccam rutam habere, quàm flaccidam. BRAS. Fortè melius, & quinquies, aut sexties illam mutare, mirum in modum valet contra flatus, quãdo ex eo calidum fit clysma & imponitur. SEN. Nullæ extãt in hoc oleo difficultates diluendæ? BRAS. Nullæ prorsus: idcirco genus aliud in medium adducito.

SENEX.

23 De Nardino igitur oleo verba faciamus. BRAS. Non ab re fuisset, si dixisses vnguentum nardinum, tamen confunduntur vocabula, vt olea nonnunquam vnguẽta vocentur, & vnguenta olea. Non dubito te in huius cõpositione Mesuen sequi: pro-

propterea

ptereà Mesue cõpositionem adducito. SE. Tres refert conficiendi modos Mesue. ER. Omnes referto, vt contemplemur, quínam melior sit. SE. Id statim. Primus modus est.

℞. Spicæ aromaticæ ℥ iij.
Vini
Aquæ
Singulorum ℥ ij. ß.
Olei sesamini ℔ ß.

Decoquatur in vase duplici, lento igne per horas ferè quatuor, & frequẽter moueatur. BRAS. Hic est simplex modus. SEN. Et est ille, quem seruo. BRAS. Iam secundum modum referto. SEN. Ita inquit.

℞. Spicæ Indæ ℥ iij.
Sampsuci ℥ ij.
Xyloaloës
Enulæ
Folij Indi
Calami aromatici
Foliorum lauri
Cyperi
Schoeni
Cardamomi
Singulorum ℥ j. ß.

Antequàm conterantur, super ipsa iniiciatur vini & aquæ quantum sufficit, olei sesamini libræ sex, deinde, vt prius dictum est, conficiatur. BRAS. Quando prius? SEN. In

prima compositione. BR. Quid fecit prius? SEN. Coxit in vase duplici, iussítque horas sex coqui, & singula hora agitari. BRAS. Intellige hîc per singulam horã frequẽter, quia per vnius horæ spatium expectandum non est, sed frequenter sunt commouenda. SE. Nunc tertium Mesue modum audito.

℞. Spicæ Indæ ℥ iiij.
Styracis
Gariophyllorum
Singulorum ℥ iij.
Nucis moschatæ ℥ v.
Olei balsami ℥ vj.
Olei sesamini ℔ iiij.

Fiat sicut illud, hoc est in vase duplici bulliat igne lento, sed hoc horis quinq; percoquatur. SEN. Quæ compositio tibi magis placet? BRAS. Illa, quæ simplicissima est. SE. Erit ergo prima. BRAS. Prima sit, quia tantùm habet nardum, & nihil aliud quàm vinum, aquam, & oleum sesaminum. SEN. Conficitúrne hoc modo ab antiquis? BR. Si placet antiquorum cõpositiones in medium afferam. SEN. Imò summè placet, & nihil gratius mihi efficere poteris. BRAS. Dioscoridem igitur audito, nardinum vnguentum hoc modo cõficientem. SEN. Audiui, & multiplicẽ esse apud Dioscoridem compositionẽ. BRAS. Est multiplex, idcirco cùm

co cùm de ipſo agit,ita exorditur:Multifariàm conficitur nardinum vnguentum,malabatri folio ſcilicet,& ſine eo.plerunq; autem ex vnguẽtaria glande aut acerbo oleo miſcetur,vt ſpiſſetur quidem rotũdus odoratus iuncus,vt odoretur autẽ coſtus,amomum,nardus, myrrha,& balſamum. SEN. Ferrariæ confici non poteſt,quia coſto caremus,amomo,& balſamo. BRAS. Si verum coſtum,& amomum, & balſamum oſtenderem, quid præmij à te reciperem? SEN. Ex meo pharmacopolio quicquid placuerit,accipito. BRAS. Ego potius accipiam (liceat nunc hoc nomine vti) ex bellariopolio. SE. At quis tibi tribuit eiuſcemodi rara ſimplicia? BRAS. Fuêre in illis locis,in quibus naſcũtur collecta,& Ferrariã aſportata. SE. Miſit fortè Illuſtriſsimus Dux ad hæc accipienda, vt ſuperioribus annis ſtatuerat? BRAS. Neminem inuenit ex his, qui ſimplicia cognoſcere poſſunt,qui illuc proficiſci voluerit:tamen tantam pecuniarum ſummam erogare volebat, quanta is eſſet contentus,qui illuc profecturus erat, nemo tamẽ inuentus eſt,qui illuc proficiſci auſus ſit. SEN. O' humana ineptitudo,nullus experiri voluit quanta ſit dulcedo alienis expenſis,orbem peragrandi! quomodo igitur ad duas manus eiuſcemodi peruenêre

nêre ſimplicia? BRAS. Illuſtriſsimus Dux noſter ad Sereniſsimum Henricum Gallia-rum Regem literas dedit, vt dignaretur ad magnum Turcarum Regem ſcribere, qui alicui ex ſuis imponeret, vt ſimplicia quæ ego volueram, ex propriis locis colligerentur. hoc effecit Gallorum Rex, & curauit magnus Turcarum Rex, vt hæc ſimplicia haberētur, quæ nunc domi ſeruo. SEN. Nihil ardentius videre cupio, Deóq; immortaleis gratias ago, quòd ante hoc tempus vitalem auram mihi non ſurripuerit, vt eiuſcemodi ſimplicia è fonte videre poſsim. BRAS. Nunc quod incœpimus, proſequamur, cras ſimplicia tibi libenter oſtendam. interim verò magnam audias huius olei, vel potiùs vnguenti compoſitionem, quam ita refert Actuarius.

℞. Olei trepondo
Inulæ
Xyloaloës
Iridis
Foliorum myricæ
Ariſtolochiæ
Arboris thuriferæ
Frondium lauri
Caſsiæ
Xylocaſsiæ
Iunci odorati

Coſti

Costi
Amomi
Styracis
Myrrhæ
Cardamomi
Gariophyllorum
Hadi
Ladani
Assari
Zarnabi
Myrobalani
Fructus balsami
Terebinthinæ
Singulorum sextula.
Aspalati
Piperis
Cinnamomi
Singulorum duella.
Cyperi
Xylobalsami
Folij
Spicæ nardi
Spicæ Celticæ
Ligni cinnamomi
Bochi
Singulorum sexquisextula.
Balsami ℈ ij.
Foliorum myrti siccorum
Casiæ

Singulorum ℥ ij.

Frondium buxi ſextans.

Vini odorati modus, qui ſufficere videbitur. SEN. Quomodo poſteà hæc cõmiſcet ſimplicia? BRAS. Nihil aliud dicit, præterquam quòd ſimplicia refert. SEN. Fortè ſupponit nos ſcire, quæ neſcimus, ego quoque ſimplicia omnia, quæ in meo ſunt pharmacopolio, commiſcere ſcirem, & id compoſitum quomodo in mentem venerit, nuncupare. nam & ipſe hoc nardinum oleum vocat, cùm multa recipiat ſimplicia, & in maiori copia, quàm nardum. BRAS. A` nardo fortè denominat, quia duplex nardus compoſitionẽ ingreditur. Reor præterea, quòd ebullire faciat vſque ad vini conſumptionem, poſteà exprimat, inſolet, ac recondat, tamen confuſam compoſitionem eſſe, inficias minimè ibo, & talem etiam quæ multa habeat ſimplicia, quæ quid ſint nõ intelligantur, neque impręſentiarum mihi ſuppetit tempus, quid ſint, perquirere, & vaticinari: ſed alia meliora potiùs ſunt à nobis pertractanda. SEN. Súntne alij authores, qui diuerſam ſequantur compoſitionem? BRAS. Alexandrinus adeſt, qui confuſam quandam, & amplam huius olei compoſitionem attulit. SEN. Et hanc libenter audirem. BRAS. Eſt nimis prolixa compoſitio,

tu auth

tu authorem ipſum, quando lubuerit, legere poteris. SEN. Niſi impræſentiarũ illam audiuero, nunquam mihi occaſio præſtabitur illam legendi. BRASSAV. Audito igitur Alexandrinum ita dicentem:

℞. Olei Hiſpani ℥ lxxv.
Aſpalathi
Myrrhæ
Nigellæ viridis
Spicæ
Singulorum ℥ vj.
Xylobalſami
Gariophyllorum
Cyperi
Schœnanthi
Ariſtolochiæ
Enulæ campanæ
Singulorum ℥ iij.
Balſami
Cinnamomi
Calami aromatici
Folij Carpobalſami
Caſſami, id eſt, liguſtici
Cardamomi
Singulorum ℥ ij.
Nucis myriſticæ
Styracis
Coſti
Caſsiæ fiſtulæ

Laudani
Phu
Aſſari
Amaraci
Maſtiches
Faſcis Gallici
Sami
Myrrhæ Syriacæ
Singulorum ℥ ß.

Ita deinceps cõfici docet author aſpaltum, myrrham, inulam, phu, aſſarum, carpobalſamum, xylobalſamũ, ſanſucum particulatim tuſa, & in aquæ ſextariis duobus die, & nocte infuſa oleo admiſce, & tandiu coque, donec aqua conſumatur, non tamẽ vndequaque, in oleum exardeſcat: cúmque refrigeratum fuerit, die eodem accuratiſsimè cola, & ſpecies iniice, deinde cyperũ, ſchœnanthum, ariſtolochiá, caſſamum, faſcem gallicum, cardamomũ, folium, nigellam, calamum, caſsiam, ſamum, ſeorſum contrita, & in vini ſextario vno diebus tribus infuſa, vbi decoxeris, eodem modo efferueficito. Oleóque bene colato ſpecies extermina, tertióque phœbo ſpicam, gariophylla, cinnamomũ, nuces myriſticas, coſtum trita in vini optimi ſemina vna per biduum infunde, & ſuperiori documento ad vini conſumptionem coque, & nõ colatum ab igne depone

depone, & in parte ipſius olei, ladanũ, maſtichem, ſtyracem, cõtuſa cum balſami medicamine admiſce, & ad lenes prunas aliquantulum bulli, ſpatula aſsiduè agitãdo. Ab igne depoſitum in ampulla breui foramine prædita conde, & diligenter obtura, ne ſuauiſsimus odor expiret. SEN. Hæc videtur potiùs confuſio, quàm compoſitio. BRASS. Non dubito compoſitionem hanc redolere debere, ſed ita nardinũ eſt, vt aliquod aliud. SEN. Simpliciores compoſitiones potiùs ſemper approbo. BRAS. Simplices igitur illas conficito, de quibus ſuperiùs mentio facta eſt. SEN. Quibus confert affectibus hoc oleum? BRAS. Dioſcorides dicit extenuare nardinum. vnguẽtum. nam acre eſt, abſtergere humores, rarefacere, & calefacere. SENEX. Meſue longè plura retulit, quàm à Dioſcoride ſcriptum ſit. BRASS. Quæ'nam ſunt hæc Meſue? SENEX. Vocat ipſum oleum benedictum multorum iuuamentorum, & propriè ad omnes ægritudines frigidas, & flatuoſas, præſertímq; neruorum ſtomachi, iecoris, ſplenis, renum, veſicæ, vteri, & confert dolori auris flatuoſo, & dolori capitis, & hemicraneæ, ſecundum omnẽ modum adminiſtrationis eius, & ſi ex eo fiat caput purgium, caput expurgatur, & bonum efficit colorem, odora-

túmque reddit corpus. BRAS. In paucissimis illis Dioscoridis verbis hæc omnia cõtinentur. Sunt verò paucissima verba quatuor, videlicet extenuare, abstergere, rarefacere, & calefacere, quare hæc efficit, idcirco & illa præstat, quæ à Mesue scripta sunt. Alexandrinus verò multò plura refert, & notat fuisse Vindicianum medicum nardini olei authorem. SEN. Fortè sui nardini. BRAS. Ita intelligẽdum est. Dicit verò valere contra multa humanæ salutis hostilia. Vnde calefacit, ac relaxat inunctum, cephalalgicis, & hemicranicis prodest. Dolorem aurium cum pipere tritum veteratum aufert, paralyticis, & tremulis summũ remedium est, artriticis, & podagricis inũctum, & furiosos dolores mitigat, antidotis & electuariis ad lapidem renum, & vesicæ, confectis admistum nõ vulgariter opitulatur. Matricis dolores, suffocationes, & tumores, pessariis adhibitum, & suppositum mirabiliter sedat, stranguriã & dysuriam cum tertia parte succi ozimi per catheterẽ clysterizatum absq; mora soluit, & ad multa alia facit, hæc Alexandrinus. SEN. Cùm tot recipiat simplicia Alexandrini nardinum, ad tot etiã valere, nulli mirum esse debet. at libenter etiã audirem quas vires illi tribuat Actuarius. BRAS. Sed alia compositio est

est illa Actuarij, ab hac Alexandrini. Inquit verò excalefacit, & adstringit, ideò hîc auxiliatur, quæ adstrictionem & calorem desiderant, id est, stomachicis, cœliacis, distillationis, & thoracis vitio, & obnoxiis, & suspiriosis, miscetur quoq; in emplastrorum compositionibus, hæc Actuarius. SEN. At quod nardinum oleum sum seruaturus? BRASSAV. Nullum ex his compositis, sed simplicissimum ex oleo omphacino probè loto, & nardo. Reliqua huius generis olea sunt potiùs nuncupanda vnguenta, & magnæ compositiones, quàm olea. Antiquitus in multis conficiebatur locis, sed potissimùm Laodiceæ in Asia optimum conficiebatur, vt Galenus testatur, in sexto de Sanitate tuenda, nunc Laodicenum non habetur, sed plerunque fit ex herba vulgò nuncupata, Lauandula. Nardum Gallicum habere haud difficile est. at nardum Indicum assequi difficile quidem est, sed nō impossibile, præsertim quæ recens sit: nã quæ habetur, sicca est. SEN. Mihi videntur Mesue compositiones valde celebres. BRASS. Imò secundus & tertius modus sunt celeberrimi, multúmque nobiles. nam vnguenta reddunt odorata, & pretiosa. Primus verò modus simpliciter est, & quem impræsentiarum seruare debes, apud nobiles

Rom

Romanos antiquitus in pretio erat.

SENEX.

24 Cùm iam nouerim quomodo nardinum oleum confecturus sim, Mastichinum oleum contemplandum venit. BRAS. Mesue duos cõficiendi hoc oleum modos edocet, quorum primus est.

℞. Mastiches ℥ iij.
Olei sesamini kist. j.
Coque in vase duplici.

SENEX. Si sesamino oleo careremus, quid agendum esset? BRAS. Facillimè habetur sesaminum oleum. verùm in ipsius defectu, dulce oliuarum oleum esset sumendum. at ambigendum non est, quod desit sesaminum. nam sesamus in Italia nascitur, & maxima copia habetur in Apulia: secundus conficiendi modus apud Mesuen est.

℞. Olei rosacei ℥ xij.
Mastiches ℥ iij
Vini optimi ℥ viij. aliter iiij.
Decoque sicut primum, ad vini consumptionem. SEN. Hunc secundũ modum conficio, ac seruo. Arbitrórque idem efficere omnes pharmacopolas. BRAS. Tamen primus modus simplicior est, hi duo modi, vt à Mesue relati sunt, ita sunt à Serapione descripti. SEN. Ad quos valet eiuscemodi oleũ affectus? BRASS. Mesue dicit stomachum

roborare, neruos, iecur, & iuncturas, abscessúsque duros lenire, & dolores sedare, imò & addendum est, paulisper adstringere, & in ore seruatum pituitam à capite educere, imò & mastiche ipsa hoc efficit masticata, pituitam nimirum prouocat, & à capite vehementer educit. SEN. Súntne antiquiores de hoc oleo locuti? BRAS. Omnes ferè. nam Dioscorides dicit, ex concisa mastiche, mastichinũ similiter conficitur oleũ. SEN. Quomodo similiter? BRASS. Similiter reor, vt lentiscinum. lentiscinum verò fieri dixerat vt laurinum. at laurinum hoc modo conficiebat, lauri baccas sumebat, & in aqua decoquebat, pinguitudo quædam ex vestiente eas cute remittebatur, quam manibus conchula exprimens, colligebat. Eodem pacto mastiche accepta in aquam ponatur, ebullirique sinatur. Quod exit, est oleum mastichinum, supra aquam natat, lingula colligitur ac seruatur. SEN. Est purissimũ oleum, nihil habens admistum. BRAS. Purissimum profectò, sed & exit, & pingui mastiche expressum oleum in frustula terenda est, & igne calefacienda, torcularíque exprimenda, simplex exit oleum, vel mastiches liquor. nos hoc oleũ per vocatas bocias egregiè educimus purissimũ, mastiches odorem, ac saporem, tam eui-

denter seruans, vt mastichinum oleum esse
negari nõ possit. SEN. Ad quos cõfert affe-
ctus? BRAS. Dioscorides inquit, omnibus
conferre muliebrium locorũ vitiis, leuiter
calefacere, spissare simul, & mollire, misce-
tur ceratis, quæ stomacho, cœliacis, & inte-
stinorum torminibus imponuntur, exterit
& vultus vitia, colorísque amabilem boni-
tatem illi acquirit, laudatissimum in Chio
insula oleum hoc fit. SEN. Quare & in ea-
dem insula mastiche laudatissima oritur.
BRAS. Hoc vulgatissimum est. Paulus au-
tem Aegineta duplex mastichinum cõficit,
ἁπλούστατον, καὶ ποικιλώτερον, simplicissi-
mum videlicet, & magis varium. SENEX.
Vtrunq; genus à te referendum est. BRAS.
Simplicissimum hoc modo conficit:

℞. Mastiches Chiæ ℥ j.
Olei omphacini sextarium Italicum.

Misce, & in diplomate coque. addit Paulus
nonnullos absinthij etiã & styracis vnciam
vnam adiicere consueuisse. SEN. Tunc non
erit simplicissimum. BRAS. Non vt vide-
tur, idcirco vt simplicissimũ sit, nihil aliud
addatur, quàm oleum & mastiche, tamen
longè simplicius est, si ex sola mastiche con
ficiatur, & ex ea inquam sola oleum extru-
dendo, vel per expreſsionẽ, vel ignis, vi per
vocatas bocias. SEN. Adducito oleum illud,
quod

quod magis variũ vocitauit Paulus. BRAS. Est hoc quod sequitur:

℞. Olei Sextarios quinquaginta.
Enulæ campanæ libras quinque.
Xylobalsami ℔ x.
Florum lentisci ℔ v.
Cardamomi ℔ vij.
Masticħes ℔ v.
Xylomastiches ℔ viij.
Terebinthinæ ℔ iij.
Absinthij comæ ℔ j.
Vini fragrantis sextarios quinque.
Aquæ sextarios decem.

Macerata vino arida ante tres dies commiscentur oleo & aquę; & elixantur horis sex, cúmque mastiche, & terebinthina iniiciuntur, & exactè commiscendo percolantur, & refrigerata reponuntur. SENEX. Amplè hæ compositiones haud mihi satisfaciunt. BR. Et in his præsertim, in quibus alicuius simplicis vis expetitur. Alexãdrinus & ipse hoc oleum ita compositum conficit.

℞. Olei sextarios duos.
Vini odorati sext. j.
Olei nardini sext. vj.
Celticæ
Carnium dactylorum
Mastiches
Singulorum ℥ ij.

Abſinthij
Meliloti
Singulorum ℥ j.

Dactyli,& ſpecies ſeorſum contuſæ in vino & oleo tribus diebus infundantur, quarto deinceps die tam diu coquantur, donec vinum cõſumatur,poſteà ſuccus eiiciatur. Ad vltimum verò nardinum oleum decoctioni addatur, & abſolutum habebitur. SEN. Ad quos vſus conferre dicit? BRAS. Inquit Alexandrinus ad omnem ſtomachi dolorem accommodatum eſſe, & ſcapularum prope ignem inunctum ad dolorem hepatis, & pleuræ, cum lanis ſuccidis tepidum appoſitum, optatam ſalutem adfert. SEN. Ad multa plura valere dicit Dioſcorides. BRAS. Actuarius verò ita confici iuſsit.

℞. Olei ℔ lxx.
Xylobalſami ℔ x.
Iunci odorati ℔ v.
Xylomaſtiches ℔ viij.
Terebinthinæ tripondo
Comarum abſinthij ℔ j.
Vini odorati ℔ xv.

Arida vino macerantur,& ante triduũ oleo & vino miſcentur, mox ſex horas coquuntur, tum maſtiche, & terebinthina exactè liquefacta coniiciuntur, colatáque & refrigerata in vas transfunduntur, hoc eſt compoſitum

positum mastichinum Actuarij. SEN. Mastichem non apposuisti in cõpositione. BR. Quia in Actuarij codice, qui apud me est, non reperitur. At reor esse decurtatũ, & in illa parte poni debere, vbi adest xylomastiches, primò præcedat mastiches, libras v. posteà sequatur, xylomastiches, vt in Paulo scriptum est, tamen diuersa est hæc ab illa Pauli cõpositio. Id verò ostẽdit Actuarium mastichem apposuisse: quia cùm refert conficiendi modum, inquit, tum mastiche, & terebinthina exactè liquefacta coniiciãtur. at xylomastiche liquefieri non potest, sed mastiche. SEN. Hoc quod dicit ante triduũ esse oleo & vino miscenda, quando est? primóne die, an secundo? BRAS. Codicem, & in hoc loco deprauatũ esse arbitror, vel interpretis causa, & legendum esse post triduum, vt per triduũ vino macerentur, posteà misceantur. SEN. Si hoc est compositum Actuarij mastichinum, quódnam erit simplex? BRAS. Hoc, quod sequitur.

℞. Mastiches ℥ j.
Olei omphacini sexquilibram
Bulliant in duplici vase.

SEN. Eiuscemodi simplicia probo potiùs, quàm cõposita. at Actuarius nõ ne refert ad quos conferat affectus suum hoc mastichinum? BR. Imò refert. nam dicit leuiter cale-

facere, ſed plus adſtringere, cœliacis, ſtomachicis, dyſentericiſq; habetur ſalutare, vitia, quæ ſunt in facie illitum, delet, & cutis colorem commendat. SEN. Cur in Meſue codicibus ſcriptum eſt vini optimi vncias octo, aliâs vncias quatuor? BRA. Iſtud, aliâs vncias quatuor, abolendum eſt. nam in antiquis Meſue codicibus non adeſt, & præterea vnciæ octo exiguntur. SEN. Quód nam maſtichinum ſeruaturus ſum? BRAS. Illud, quod ſimplicius eſt, mihi magis placet. Vnde quod ex ipſa maſtiche abſque alterius olei miſcella extruditur, mihi magis placet, & pro me hoc parato. pro aliis verò medicis illud Meſue. Galenus in primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos libro dicit, hoc oleum recens in duplici vaſe calefactum anodynum eſſe, phlegmonas in gingiua, lingua, oris tunica & gulæ ſedare. Nunc verò, vt ad alia te conferas, hortor.

SENEX.

25 De Coſtino oleo pertractandum occurrit. BRAS. Mirificum eſſet eiuſcemodi oleum, ſi coſtum verum haberemus. quod autem impræſentiarum ex radice quadam efficitur, quæ coſtum non eſt, & quæ potiùs dulcis eſt, quàm amara. SEN. Eſt dulcis coſtus? BR. Tamen authores coſtum nigrum faciunt

faciunt,& amarũ,quale eſt illud quod nos domi impræſentiarum habemus,quod magnus Turcarum Rex ad illuſtriſsimum Ducem noſtrum mitti curauit. A' quo verò authore huius olei compoſitionem deſumis? BRAS. A' Meſue,qui ita ait:

℞. Coſti amari ℥ ij.
Caſsiæ ℥ j.
Extremitatem ſampſuchi ℥ viij.
Vini odoriferi quantum ſufficit ad fundendum vicibus duabus.
Olei ſeſamini ℔ iij.

Decoquantur in duplici vaſe per ſex horas. BRASS. Mihi potiùs placeret, vt ad vini conſumptionem decoquerentur. SEN. In ſex horis debet eſſe conſumptum. BRASS. Hoc præſtare poteſt ebullitionis modus. nam ſi vehementer ebullierit, nihil penitus ſupererit vini. SEN. Quas vires habet eiuſcemodi oleum? BRAS. Nónne Meſuen legiſti? SEN. Imò legi, qui dicit neruos, & lacertos calefacere, obſtructiones aperire, quæ in eiſdem ſunt, & omnia neruoſa membra roborare, ſtomachóque conferre, ac iecori, & capillos robuſtos reddere, vt tenaciùs inhæreant, caniciémque prohibere, corporíſq; colorem, & odorem bonum reddere. BRASSA. Si caniciem prohibet, mortem etiã prohibere deberet.

SEN. Nec ego hoc dico, nec author ipſe. Verùm, reperitúrne apud alios authores eiuſcemodi oleum? BRAS. Apud Græcos (quod ſciuerim) non reperitur, ſed apud Arabes aliquæ ſunt compoſitiones ab hac diuerſæ, & aliæ quæ hîc conueniunt, pro hac re Auicennam lege in quinto canone, & Serapionem in ſuo Antidotario. Ego plerunque hoc oleo vſus ſum in magnis rigoribus ad illos extinguẽdos, & item ad frigus extinguendum in febrium initiis, collum inungendo, dorſum, & extremas partes ex eo calido. SE. Placétne tibi eiuſcemodi compoſitio? BRASSA. Mihi potiùs placeret, vt oleum ex hac radice vi ignis educeretur, & nõ adhiberetur oleũ ſeſaminum vel aliud ſimile. SE. Tu ſolus Ferrariæ hoc efficere noſti. BRAS. Et ego te edocui. SEN. Verùm inſtrumentis careo ad illud extrudendum: nam præter vocatas bocias igne & gelu indigemus. BRASSA. Inſtrumenta omnia, quæ exiguntur, tibi mutuò præſtabo, aut domũ meã accedito, quoniã non deerũt tibi neceſſaria inſtrumenta, & prætereà carbones habebis, quos emere nõ cogeris. SEN. Quid eſt, quòd in aliquibus manuſcriptis Meſue codicibus legitur, olei ſeſamini libras duas? BR. Si duę tantũ olei libre accipiãtur, oleũ exquiſitius euadit

dit, putóque duas ſolùm libras accipiendas eſſe, vt faciliùs ſpiſſetur, quod tãto faciliùs fiet, quantò olei quantitas erit minor. SEN. Non debebat eſſe apud Græcos in magno vſu. BRAS. Non prorſus apud antiquiores Græcos (licet de illo quandoque mentionẽ faciãt) ſed apud Arabes in magno erat vſu. SEN. Auicennæ compoſitionem libẽter audirem. BRAS. Vt tuo ſatisfaciam deſiderio, duas referam quæ apud Auicennam ſunt huius olei compoſitiones. Primò verò dicit in potu præberi, & ad lacertorum frigus conferre, & propriè hepatis, & ſtomachi, & lacertorum obſtructiones aperire, & eos roborare, colorem bonum reddere, & capillorum nigredinem conſeruare.

℞. Coſti amari ℥ x.

Caſsiæ ℥ vj.

Foliorum almarmacor ſextaria decem. Terantur craſſo modo, & infundantur in vino per noctem, & proiiciatur ſuper hæc olei ſeſamini libra vna, & ſemis, & decoquãtur in vaſe duplici donec vinum reſoluatur, & remaneat oleũ. SE. Habet Auicẽna minus olei, quàm Meſue. BR. Idcirco dixi, quòd in Meſue erant ſolùm accipiẽdæ duæ libræ: tamen & in hac Auicẽnæ cõpoſitione pauca videtur eſſe coſti, & caſsiæ quãtitas. SEN. Adeſt poſteà magna Almarmaco copia

pia. BRAS. Et in hoc pondere, error adest, quia sextarium ad minus decem & septem vncias capit. nã vt Paulus notat olei sextarium decem & octo vncias continet: sextarium vini viginti: sextarium mellis decẽ & septẽ ac semis, tamen debet reliqua superare, sicut etiam in Mesue cõpositione saluia reliqua simplicia præter oleũ superat. SEN. Cur ergo costinum vocatur? BRA. Ab eo, quod excellẽtius est in cõpositione denominatur. id verò est costum. SEN. Qui intelligit per Almarmacor? nã mihi potiùs videtur Diaboli nomẽ, quàm herbæ. BRA. Aliqui marubiũ exponũt, alij marubiastrũ. nõnulli verò maioranam. SEN. Cum his facio ne dissentiat ab Auicenna Mesue. At aliud referto apud Auicennam costinũ vnguẽtũ. BRAS. Hoc est, quod sequitur, & dicit ad hepatis dolorem valere, & stomachi, & ad iuncturarum dolorem ex frigiditate, & ad lateris mollificationem.

℞. Gariophyllorum ℥ j.
Calami aromatici
Spicæ Folij
Styracis
Radicis lilij cœlestis
Dictami
Vsneæ
Singulorum ℥ ij.

Inulæ

Inulæ
Caſsiæ
Singulorum ℥ j.
Myrrhæ ℥ ß.
Tere ſimplicia craſſo modo, & in acetū infunde in nocte, & iniice ſuper hæc.
Olei
Aquæ
Singulorum ℔ v.

Decoquantur lento igne, quoad ſit conſumpta aqua, & oleum relictum ſit, & coletur ac miſceatur cum primo. SEN. Cū quo primo? BRAS. Cum primo ſuperiùs relato, hoc eſt ſecūdam hanc compoſitionem cum prima miſceto. SEN. Erit potiùs vnguentum, quàm oleum: nunc Serapionis modi adducendi ſunt. BRAS. Illa referre ægrè fero, quæ tu ipſe videre ac legere poteris. SEN. Verū eſt, ſed te præſentem nō habeo, ſi ambigua quædam contingant. BRA. At fruſtra effectum erit, ſi Serapionis compoſitiones adduxero. nam eædem pręcisè ſunt cum illis, quas ex Auicenna retuli. SEN. Hoc prima vice à te dicendum erat: quoniam vt illas adduceres minimè petiiſſem. BRA. Ad alia igitur oleorum genera accingamur conſideranda.

SENEX.

26 Oleum de piperibus contemplemur,

BRASS. Et hoc oleum apud Mesuen reperitur, éstq; in maximo vsu, & vocatur oleũ de tribus piperibus. compositionem verò contemplemur. SEN. Ita ait Mesue:

℞. Trium piperum singulorum ℥ iij.
Chebulorum
Belliricorum
Emblicorum
Indorum
Singulorum ℥ v.
Radicum apij
Fœniculi
Singulorum ℥ iij.ß.
Serapini
Opopanacis
Hyoscyami albi
Singulorum ℥ ij.ß.
Turbith albi ℥ xij.
Zizi ℥ iij.
Cardis recentis
Hasech humidi
Foliorum rutæ viridium
Singulorũ quãtum manu capi potest.

Decoquantur omnia prima cõtritione earum cum aquæ libris xxiiij. vsq; ad tertiam partem, deinde colentur, & eiiciãtur super olei de cherua heminæ duæ, & coquantur vsque ad consumptionem aquæ, nonnulli sunt, qui addunt:

Iridis ℥ vj.
Thapsiæ ℥ ij.
Anisi
Cardamomi
Singulorum ℥ j.ß.
Calami aromatici ℥ ij.ß.
Spicæ Indæ ℥ j.
Expressionis alchasech, sextaria.iij.
Administrentur vbi oportet. Sunt verò qui loco olei de cherua, irinum oleum apponunt, aut oleum de cheiri, aut oleum amygdalarum amararum, aut ex omnibus partes cõuenientes. BRAS. Ad quos cõfert affectus, iuxta Mesuen? SEN. Inquit valere ad ægritudines neruorum frigidas, vt sunt paralysis, conuulsio, tortura, tremor, & mollificatio, confert etiam epilepsiæ. & verò coxendicum dolori & iuncturarum dolori ac dorsi, colicæ conuenit. & obstructiones aperit: & planè verò conuenit. nam illum calefacit, & ipsius humiditatem exiccat, dolori quoque ani à frigiditate confert, & dolori renũ ac vesicæ & lapidem frangit. At quem lapidem frangat ignoro BRAS. Cùm ab authoribus simpliciter de lapide sermo fit, neq; de quo lapide loquantur exprimunt, nec ex superioribus illius authoris sententiis colligi potest, quòd de lapide alicuius partis verba fecerit, de vesicæ lapide sem-

per

per intelligere opus est. SEN. Tamen superius de renibus, & vesica mentio facta erat. BRAS. At vltimum erat vesica. Tamen si vesicæ lapidē conterit, tantò facilius renū lapidem conterere poterit. SEN. Mihi summè placeret, vt ex solis conficeretur piperū generibus, & oleo quocūq; ex enumeratis. BRAS. Si ex solis fieret piperibus, posset etiam accipi oleum de euphorbio. Nā tūc partim ex piperibus, partim ex euphorbio oleum fieret vehementissimè calidum, & exiccans. SEN. Ignoro cur in hac compositione hyoscyamum album addiderit. BRA. Neque ego id scio quare ad compositionis intentionē nihil penitus facit. Et si diceres, aliorum simplicium caliditatem mitigare, respondebimus compositionem hanc mitigatione haud indigere, sed vigere caliditate. Adde esse tā modicā hyoscyami copiam, vt cū rebus tam calidis nihil posse efficere videatur. At quid accipis per hasech humidum? SEN. Thymum accipio. BRAS. Non est simplex, quod à compositionis intentione remotum sit. SEN. Reperiturne apud antiquos eiuscemodi compositio? BRAS. Non, quod sciuerim. SEN. Magna videtur piperis quātitas illa, quæ compositionem ingreditur: nam erunt vnciæ nouē. BRASSA. Deprauatus est Mesue codex,

& leg

& legi debet, vt in authore ipso manuscripto, quem habeo, videlicet trium piperum singulorum ℥ iij. SEN. Non est modicus error, vbi drachmæ erant apponendæ vncias apponere. BRASSA. Tamen posset in tanta copia fieri, vt vnciæ essent desumẽdę. Nota etiam errorem alium in communi Mesue contextu, qui error ex his, quæ in nostro manuscripto habetur codice, facilè corrigi potest. Nam vbi communiter legitur, turbith ℥ xij. in meo antiquo codice legitur turbith ʒ ij. esset nimirum nimia turbith quantitas, si duodecim drachmæ sumerentur, & à turbith, non à pipere denominationem sumere deberet. SEN. Si antiqui Græci non sunt de hoc oleo locuti, arabes saltem omnes de eo mentionem fecere? BRASSA. Reperitur apud Serapionem oleum de piperibus, & apud Hali, reperitur prætereà & apud Auicennã. at Auicenna non vocat istud oleum de tribus piperibus, sed de alchechengi. SEN. Alchechengi oleum seorsum seruo ab isto de tribus piperum generibus. BRASSA. Auicẽnæ placuit tali vti in hoc oleo nomẽclatura, & appellare oleum alchechengi. fortè verò eiuscemodi vox deprauata est. Alchechengi loco legendum sit de piperibus. SEN. Differt ne compositio hęc Auicẽ-

næ ab illa Mesue? BRASS. In ponderibus saltem differunt, in reliquis magna non videtur differentia. SEN. Auicennæ compositionem adducas, & differentiam contemplabimur. BRASS. Auicennam igitur audias ita dicentem:

℞. Myrobalanorum chebulorum
Belliricorum
Nigrorum
Emblicorum
Singulorum ʒ x.
Radicum apij
Radicum fœniculi
Singulorum ʒ vij.
Macropiperis
Piperis
Gingiberis
Singulorum ʒ v.
Opopanacis
Hyoscyami
Serapini
Singulorum ʒ v.
Turbith, sextaria quatuor
Caulis recentis
Rutæ recentis
Haseich
Singulorum ℥ j.

Terantur sicca crasso modo, & incidantur olera, & reponãtur in vas, & eiiciãtur super hæc

hæc, aquæ libræ vigintiquatuor, & coquantur, donec dimidium sit resolutum, posteà colentur & illi misceantur olei de cherua heminæ quatuor, posteà decoquantur, donec aqua consumpta sit, & oleum superstet. quidam verò in hoc addunt:

Radicum lilij sextaria duo.
Capsiæ (est vna species cassiæ apud antiquos) ℥ iiij.
Anisorum
Edubes
Asid.
Cardamomi
Singulorum ℥ ij.

SEN. Nónne conuenit ad eosdem affectus hoc Auicennæ, ad quos cōueniebat & illud Mesue? BRAS. Cùm diuersus sit in ponderibus Mesue ab Auicenna statui, vt in viribus Auicennæ verba audires, qui ait, conuenire ad epilepsiam & paralysin, & mundificationem, & frigiditatem, & cōuulsionem, & stomachi imbecillitatē, & verā ischiam, & dolores iuncturarum, & dorsi, & colicæ confert, & menses prouocat, vterúmq; calefacit, lapidem frangit, & ani dolorē sedat, & corporis obstructiones aperit. SEN. Ad hæc omnia valere noui. BRAS. Nonnulli etiam hoc præbent in potum; sed in modica copia. SEN. Acerrimus debet esse eiusce-

modi potus. BRAS. Excogitato tu: ad alia verò nunc te conferas oleorum genera.

SENEX.

27 Ad oleum de Euphorbio, secũdum ordinem me conferre opus est. BRAS. Hoc est illud oleum, de quo Mesue dicit esse solemnẽ medicinam ad frigidas neruorũ ægritudines, & ad eorundem dolores, & ad iuncturarum dolores, & hepatis & splenis, & de eo caput purgium fit ad sodam, hemicraneam, & lethargiam. At quomodo confici debeat referto. SEN. Cùm Mesue duos ponat huius olei conficiendi modos, hoc effecit, vt sint in compositione dissidẽtes pharmacopolæ. nam aliqui secũdum, alij primũ sequuntur. BRAS. Quem modum sequeris tu? SEN. Secundum: nam præceptor meus secundum potiùs approbabat. BRAS. Et primum, & secundum modum referto. SE. Hic est primus conficiendi modus:

℞. Euphorbij ʒ ß.
Olei de cheiri ℥ v.
Vini odorati tantundem.

Decoque vsque ad vini consumptionem, & vtere. BRAS. Post hunc, secundum modum quem tu paras referto. SEN. Hic est.

℞. Staphisagriæ
Condisi
Singulorum ʒ iiij.

Pyretri

Pyretri ℥ vj.
Succi calamenti montani ℥ xij.
Costi ℥ x.
Castorei ℥ v.

Tere & decoque in vaſe vitreo, cum vini odoriferi libris tribus,& ſemis, poſtquàm fuerint in eo diebus duobus vſq; ad dimidium vini. BR. Quæ verba ſunt hæc, quæ adduxiſti? SEN. Sunt Meſue verba. BRAS. Author nõ ita dicit. SEN. Quomodo ergo dicit? BRAS. Hoc modo,hæc per biduũ infundantur,& coquantur vſq; ad dimidium vini. SE. Hæc prorſus eſt authoris intentio, ſed codex meus ita habet,vt ego retuli, ſequitur Meſue,deinde manibus fricãda ſunt fricatione vehemẽti,& colanda atq; addendum olei de cheir, vel olei ſeſamini libra vna,& ſemis, poſteà decoquendum,vſq; ad vini cõſumptionem poſteà ſupra,hoc oleũ, quod ſupererit eiiciendũ euphorbij recẽtis albi exquiſitiſsimè triti drachmas quatuor, & vnà coquantur,ad vſus denique reſeruetur. BRAS. Eſt vehementiſsimum oleum: ſed per expreſsionem adhuc vehementius efficio,& per vocatũ alambicum,eo modo, quo ex aliis rebus, etiã ſolidis oleum igne & glacie extrudo. Nota verò Meſuen primum modum ſumpſiſſe à Raſi: ſecundum verò ab Auicẽna, ſcitóq; oleum de euphor-

bio per alambicum confectum, & per expressionem esse veluti caustica & inurere, quare purior est euphorbij substantia. hoc verò quod à Mesue fit, causticum non est, licet calidissimũ sit, quod per expressionem fit egregia educitur, inter duas ferreas laminas adeò calefactas, vt oleũ extrudi possit. Vnde caliditas talis esse debet, vt nõ exurat euphorbium, sed pinguedo, quã habet exire possit. SEN. Rasis, & Auicennæ compositionem adducito. BRAS. Quid opus est tẽpus cõterere, cùm dictum sit, suam primam compositionẽ à Rasi accepisse, & secundam ab Auicenna? SEN. Memoriæ iam subiit. Reperitúrne hoc oleũ de euphorbio apud antiquos? BRAS. Reperitur, & est apud Galenum in calce secũdi libri de Cõpositione medicamentorum secũdum locos, sed simplicissimũ facit hoc oleum, ex solo scilicet euphorbio, & oleo, & illud hemicraneam patiẽti applicat, propterea dicit: Sæpe verò & ex tempore ac improuisò pharmaca prę parare coactus, simpliciter euphorbij illitione vsus sum, modica cera cõpagis acquirendæ gratia adiecta. sufficit autẽ in librã olei, siue sabini, siue alterius ei propinqui, ceræ quadrãtem iniicere, & euphorbij vnciam vnam, atq; ex hoc dimidiam frontis partẽ illinire, vnà cum temporis videlicet

musc

muſculo. Cæterùm in quibus ſuſpitionem habueris à calidis vaporibus dimidiæ capitis partis fieri dolorē, in his ne admoueris hoc pharmacum. His verò, qui ob frigidas cauſas infeſtantur, commodiſsimum adeò eſt, vt ſæpe ſemel ante balneū illitū, quàm citiſsimè affectionem perſanet, vt à balneo omnino ſani ægri euadāt, Iuuat etiam hoc ſi oleum tepidum in aurem inſtilletur, modico euphorbio ad oleū iniecto. Nimirum ad libram olei vnam euphorbij vncia dimidia, ſi validum euphorbium exiſtat. ſi verò non etiam amplius iniicere conuenit, verū in corporibus molli, ac tenero ſenſu præditis, etiam ſi minùs, quàm dimidiā vnciam inieceris melius res procedet. SE. Percipio Galenum parare hoc oleum, ſolum euphorbium in oleum ponendo, imò augere & minuere euphorbium, vt ægritudini cōpetit. BRAS. Et hoc eſt optimum poſſe ſecūdum intentionem illa augere ac minuere, quæ affectibus competunt. SEN. Arbitror tamē acerrimum eſſe omnium, ſi vi ignis extrudatur. BRAS. Cùm eo vti voluero, ita extrudito: nam illo in ſurdaſtris frequenter vtor. Nota verò in Auicenna vinū poni ad drachmas quadraginta, codicem mendoſum eſſe arbitror, & legendum ad vncias quadraginta. nam in quadraginta vini drach-

mis non possent probè infundi simplicia. Mesue verò ponit vncias quadragintaduas. at modicè differunt quadraginta,& quadraginta duo, nunc alia prosequaris oleorum genera.

SENEX.

28 De oleo Vulpino agendum venit. BR. Mirificum est oleum (vt dicunt) ad neruorum neruosarúmq; partium affectus. SEN. Et Mesue dicit esse medicamen nobile, & vltimum ad arthritim,& podagrã,& dolorem renum ac dorsi. BRAS. A quo authore illud accipis? SEN. A Mesue. BRAS. Quomodo confecit? SE. Hoc modo, accipe vulpem integram, cuius interiora sint auulsa, & pone in vas, & funde supra ipsam aquæ fontium,& aquæ marinæ, singulorũ kist. j. olei antiqui clari kist. ij. ß. decoque lento igne cum salis vnciis tribus, vsque ad aquæ cõsumptionem, deinde in vas pone,& eiice super ipsam herbæ anethi & halasech singulorum ℔ j. & funde super ea aquæ dulcis, in qua eædem herbæ ad manipulum vnum fuerint coctæ, quantum sufficit. & iterum decoquendum est vsq; ad aquæ consumptionem, & administretur. BR. Alios vidi, qui alio modo conficiebant. SEN. Imò & Mesue addit,& quandoq; præter oleum coquitur vulpes, in aqua fontiũ, & in aqua salsa

ſalſa: & ſit aquæ quantitas multa cum eiſdem herbis, & adminiſtretur lauādo membra, quæ illa indigent decoctione. Notátq; Meſue vulpem tandiu coquendam eſſe, ſiue faciendo oleum, ſiue aquam ad abluēdum, donec exquiſitiſsimè cocta ſit, & omnes ipſius artus laxentur, ac diſſoluantur. BR. Imò totam conſumptam eſſe neceſſarium eſt, vt ipſius pinguedo ac caro ius effecta ſint, & omnia ſint liquefacta præter oſſa. SEN. Multos tamen vidi pharmacopolas, qui viuam vulpem in feruēs oleum iniiciebant, vt ibi moreretur, rati nonnihil magni oleo præberi, ſi vulpes in oleum expiraret. BRAS. Ego potius Meſuen probo, qui vulpis ſtercora in oleum ebulliēda non ponit, ſed interanea abiicit, tamen nouum non eſt viuam vulpem in oleum imponere: quoniam Paulus ex viua vulpe ſuum conficit oleum vulpinum, libro nimirum ſeptimo vbi de vulpe ſermonem habet, inquit: Oleum in quo tota vulpes viuens, vel extincta elixa eſt, tantam diſtrahendi potentiam obtinet, vt qui in imo hærent corpore, humores in ſummam cutis ſuperficiem extrahat, qua ratione oleo iſto impleto ſolio validiſsimis artuum doloribus vexatos toto corpore infundere diutiúſque immorari in eodem cogentes languorē in-

choatum ſedarũt,& qui multam in eo moram traxerũt,hoc modo ſanitatem aſſecuti ſunt.SEN.Non accipit viuam vulpem Paulus,ſed & ex viua, & ex extincta fieri poſſe oſtẽdit.BRAS. Tamẽ & ex viua facit,quod mihi ſatis eſt ad oſtendendum,& antiquos ex viua vulpe confeciſſe,ratióque redditur, quia & vulpis ſpiritus oleum ſubeunt. Sed vt ſuperiùs dixi, & ſtercus ſimul ingreditur. At fieri poſſet,quòd vulpes ſtercoribus careret,ſi per aliquot dies abſque cibo ſeruaretur.ſed interim ipſius pinguedo reſoluitur, quæ ad hoc oleum conficiẽdum exigitur,idcirco ſi viua imponatur, vnà ſtercus adeſt, ſi abſque cibo ſinatur macilenta efficitur. Si verò inteſtina eximantur, non aufertur pinguedo,& tota etiã vulpes abſq; ſpiritibus in decocto conſumetur.SEN. Melius igitur eſt ex mortua conficere? BRAS. Melius arbitror, licet recentibus videatur oppoſitum.SEN. Cur ex integra vulpe fit, & non ex vulpe in partes redacta? BRAS. Ab omnibus non ſinitur integra vulpes,ſed Alexãdrinus comprimit,& incidit vulpem in partes: poſteà oſſa etiam conterit, quod optimum eſt,vt medulla in oleum exeat,& pinguius euadat. Ita verò dicit Alexandrinus cap.745. ſui de Compoſitione medicamentorum libri oleum vulpinum ad diuer

ſos

ſos dolores corporis expertum, maximè podagricos, confectio eius hæc eſt, vulpes integra inteſtinorum excrementis expurgatis, tandiu contundatur, donec totius corporis oſſa contritiſsima fuerint. Deinde ſufficienti oleo immiſſo, ad ignem tandiu bulliat donec membratim diſſoluatur, & ſic ſub torculare preſſorium poſita fortiter ab ea totus liquor extorqueatur. Poſt hæc decoctionis radicis ſiccidis tribus diebus infuſa, & bene ſubacta ad medietatem coquatur, & coletur, & pulegij tertiā partem diebus octo infunde: deinde in diplomate tribus horis coque, excola, & vitreo vaſe reconde. SE. Ipſe Alexandrinus ex demortua vulpe, & exenterata ſuum facit vulpinum. BR. Cùm oleum hoc confeciſti, éſne pinguem vulpem nactus? SEN. Illam accepi, qualem habere potui. BRAS. Eſt adeò difficile in Ferrarienſi agro vulpem adipiſci? SEN. Mihi difficile eſt, qui non ſum venator, ideò neceſſarium eſt me qualencunq; vulpem accipere à venatoribus. BRAS. Tamen pinguem eſſe opus eſt. SE. Vltima vice qua oleum vulpinum cōfeci haud erat pinguis. BR. Ex illa oleum parare nō debebas. SEN. Ex illa paraui, quā habere potui. BR. Vis te doceam quòd nunquam errabis, ſed ſemper erit pinguis? SE. Doceto. BR. Gale-

nus monet, quando vua matura est, vulpes esse pingues, & ideò eo tempore venatores illas capere, & posteriores edere lumbos, si pinguem habere volueris, hoc oleum præparato, quãdo vua matura est, quia pingues vulpes semper habebis, vulpes etiã non debet esse nimis antiqua, neque nimis infans, sed mediæ ætatis. SEN. Quomodo hoc cognoscam? BRAS. Facillimum est ex facie intelligere, quæ sunt ortui propinquæ. Venatores verò antiquas ex dentibus & facie egregiè cognoscũt. SE. Antiquas, & puellulas deseram. BRAS. Ita facies, quia primæ pinguedine carent. secũdæ verò sunt nimis humidæ, idcirco illæ probãtur, quæ in media sunt ætate, quæ calorem acriorem habent, & calidiores humores, & illi qui viuã vulpem sumunt, addere possunt, quòd & stercora, & vrinam calidiora habẽt. at mihi semper displicuit, ac imposterum displicebit viuam vulpem in oleum imponere, vel in balneum, quando lotio facienda est. SE. Efficitúrne hoc oleum ab omnibus ita simplex, nulla re alia addita? BRAS. Nónne dixisti Mesuen hyssopum addere, & anethum? SE. Dixi. at de aliis intelligo herbis. BRAS. Fuêre nonnulli, qui sequentes herbas addidere:

℞. Origani

Iuniperi
Roris marini
Saluiæ
Betonicæ
Foliorum lauri
Maioranæ
Stœchadis
Meliloti
Singulorum ℥ j.
Misce.

Intellige verò præter hyssopũ, & anethum has alias herbas addidisse. SENEX. Videtur pauca aquæ quantitas illa, quæ in hac compositione sumitur, videlicet kist.j. BRASS. Potiùs legendum est, vt in aliis codicibus, kist.ij. quæ sunt libræ sex. at potius intelligendum est, quòd plus sint quàm sex libræ. Vnde ratus sum, kist magnum intelligere. at hoc potiùs cõsistit in pharmacopolæ diligentia, quàm in pondere. nã diligẽs pharmacopola tantum aquæ imponere debet, quantum commodè possit ebullire, & dissolui, ac optimè consumi. Ad hoc verò peragendũ multa indigemus aqua: vulpes verò contundenda est, & optimè conterenda, vt ab ossibus medulla dissiliat. nam & ipsa multum facit ad neruos, & oleũ efficacius reddit. Veruntamen quantum sit de aqua, in qua vulpes ebullierit, quia aliquæ sunt

maiores

maiores, aliquæ minores, maiores plus aquæ exigunt quàm minores. Et prætereà, quia nõnullis in locis vulpes suo modo haberi non possunt, propterea nonnunquam pharmacopolæ antiquam vulpem, & annosam accipere cogũtur, tunc opus est multum aquæ addere, quia in prędicta aqua nõ coqueretur. nam ad coquendum durior est, & multa indiget ebullitione, antequã dissoluatur, ad quã ebullitionem multa exigitur aquæ consumptio, & multa est insumẽda copia: sed hæc fit etiam obseruãda regula, quando pharmacopola viderit nondum vulpis membra esse dissoluta, aquã addere poterit, & debebit, vt penitus dissoluantur, & totum ipsius pingue eliquescat, & cum oleo misceatur. SE. Nonne & oleum augẽdum, sicut & aqua ipsa augetur? BRAS. Minimè omnium, etiam si sit maxima vulpes, & annosissima, quia vulpinum hoc oleum efficacius fit, imò potius hoc est seruãdum, si vulpes sit parua, & recèns nata, oleum minui debet, vt perfectius euadat. SEN. Quid accipit ex pelle, & ossibus hoc oleum? BR. Nihil nisi ratione, qua medulla exit ossa, & oleo commiscetur: & pinguedo quædam pelli inhæret, quæ eliquescit. Veruntamen mihi etiam summopere placet ita conficere hoc oleum.

℞. Olei

℞. Olei antiqui ℔ j.
Pinguedinis vulpis ℥ iiij.
Medullæ vulpis ℥ ij.

Misce & bulliant, quoad in spissitudinem nunc vocati vnguenti deuenerit, quãdoque hoc modo confici iussi, & mirum in modum iuuit. SEN. Et hoc referto. BRASS. Eram hoc absque prece facturus.

℞. Olei antiqui ℔ j.
Pinguedinis vulpis
Medullæ vulpis
Singulorum ℥ iij.
Succi liliorum alborum ℥ ij.
Pulueris radicum iridis ℥ j.

Misce & bulliant ad spissitudinẽ vnguenti. Cùm verò hæc de vulpino oleo satis videantur, ad alia te conferas oleorum genera ex his, quæ in pharmacopolis seruantur.

SENEX.

29 Seruamus & oleum de Scorpionibus. BRAS. Cùm multi sint modi, & simplices, & compositi hoc oleum componendi, quo modo vteris tu ad illud cõficiendum? SEN. Ego duplex seruo, & simplex, & cõpositum, vtrunque paro, & vtrunq; est apud Mesüen. BRAS. Referas hos modos. SEN. Ita ab authore scriptum est. Recipe scorpiones circiter viginti, vel plus, vel minus, secundum quantitatem eorum, & in vas vitreum ponito

nito, ac ſupra illos infundito olei amygdalarum amararum libras duas, & liga caput vaſis, & dimitte in ſole diebus triginta, deinde cola, & vtere, hoc eſt ſimplex oleum de ſcorpionibus, mulieres Ferrarienſes eodem modo conficiunt, ſed oleum oliuarum ſumunt non oleum amygdalarum amararum, & ita etiam inſolant, quamuis & aliquæ ſint, quæ non inſolent, neque ſcorpionum numerum ſeruãt, neque olei pondus, ſed ampullam oleo implent, & ſcorpiones qui domi inueniũtur, in oleum imponunt, & quãdoque cùm vnum impoſuerint ſcorpionem, antequàm alium inueniant imponendum, tres aut quatuor menſes pertranſeunt. BRASS. Secundum verò modum adducito, qui à Meſue ſcriptus eſt. SENEX. Ita conficit Meſue.

℞. Ariſtolochiæ rotundæ
Gentianæ
Cyperi
Corticum radicum capparorum
Singulorum ℥ j.

Funde ſuper hæc olei amygdalarum amararum kiſt. j. & pone in ſole viginti diebus, deinde adde ſcorpiones à decem vſque ad quindecim, & iterum vaſis orificium ſtringe, & in ſole pone per dies triginta, poſteà coletur & reponatur. poſtquam patiens ti-

nam

nam egreditur, vngatur, & ex eo per virgam modicũ iniiciatur hora, post horam. BRASS. Ad quid iniiciendum in penem? SENEX. Ad lapidem (vt reor) frangendum. nam dixerat lapidem in renibus & vesica frangere, & eundẽ expellere, & propriè in renibus, & fœmore, & super collum vesicæ inunctum, & per virgam eiectum: tũc enim lapidem expellit. Arbitraríſne esse verum, quòd lapides istos confringat? BRASSAV. De renum lapide sum anceps an ab eo dissoluatur. de lapide autem vesicæ sum certus, quòd ab eo non dissoluitur. Ego semper derideo, & deridebo medicamẽta quæ lapidem in vesica frangere dicuntur. quoniam solùm malleus cum incude lapidem vesicæ frangere sunt apta: scorpiones verò non sunt tales, vt hoc efficere posſint, quia frigidi existimantur, quanquam de hac re sim anceps. SEN. Quódnam oleum ex his exquisitius putas? BRASSAV. Si simplex oleum de scorpionibus accipiatur, reor illud antiquum, quod in domibus priuatim conficitur esse melius: quia multos simul habet scorpiones, & per multos dies insolatur, & per multum temporis seruatur, vt oleum fiat antiquius, licet priùs non fuerit antiquum. SEN. Tamen ex amararum amygdalarum oleo confectum non est.

BRAS.

BRASSAV. In hoc simplici oleo, scorpionum vires tantum exopto, & nõ olei. SEN. Adsunt pharmacopolæ, qui hoc modo parant, vt referam.

℞. Olei amygdalarum amararum ℔ j.
Seminum hyperici
Florum hyperici
Florum giargæ
Singulorum ℥ j.
Vincetoxici
Florum calendulæ
Bistortæ
Singulorum ʒ ß.
Amidis
Seselidis
Terræ sigillatæ
Boli armeni
Singulorum ʒ j.

Misce omnia simul, & imponantur in oleũ, ac per quadraginta dies insolentur, posteà torculari egregiè exprimantur, & in hoc oleum, quod superest, ponantur scorpiones numero centum, & per triginta dies insolentur. sint verò scorpiones in mense Augusti capiti, deinde oleum hoc exprimatur, & ad vsus reseruetur, dicunt & venenis aduersari. BRAS. Aduersus venena valere nõ dubito. At si huius generis cõpositiones contemplari voluerimus, infinitæ ferè sunt, tamen.

men illa quæ eſt in illuſtriſsimi Ducis noſtri Archiuis, ex ſcorpionibus & viperis omnes alias excedit, qua ego decem & octo vicibus in diuerſis vſus ſum, qui vehementi veneno erant venenati, & omnes in ſanitatem reſtituit, imò nonnunquam integrum religioſarum collegium ad centum triginta mulieres fuêre venenatæ, & omnes ſanitati reſtitutæ ſunt, ego onus ſumpſi Dei amore illas curandi, & illuſtriſsimus Dux ſua humanitate hoc oleum præſtitit, & nulla deſiderata eſt. SEN. Vnguentum hoc vel oleum illuſtriſsimi Ducis referto. BRASS. Non referrẽ, niſi ab illuſtriſsimo Duce veniam referendi impetrarẽ. SEN. Et cur non debet hoc diuinũ munus omnibus impertiri? BRAS. Imò impertitur, quia cum hoc contigit, pyxidas præbet, & medicamenta & omnia quæ ad venenum exiguntur commoda. SEN. Tamen illi qui Romæ ſunt & extra Ferrariam habere nõ poſſunt. BRAS. Imò & ad diuerſos principes extra Ferrariam mittit, & ad diuerſos nobiles. SEN. Optarem, vt compoſitionem propalaret, de qua mira audiui ac vidi. BRAS. Excellentiam ſuam interrogabo num illi placeat, vt hoc ſuum ſecretorum ſecretum propaletur, ſi annuerit, illud ſcriptis mandabo, vt ab omnibus participari poſsit, ſcio nimirum

multos confecisse huius generis olea, vel li-
nimenta ex scorpionibus ac viperis, sed fi-
nem non sunt assecuti. Nunquam ego ex-
pertus sum magis præsentaneũ remedium
ad venenum & pestilentiam isto. SEN. Si
mihi gratum quid vnquàm effecturus es,
hoc ab illustrissimo Duce impetrato, &
suadeas hæc esse omnibus propalanda, &
occulta non seruanda, hæc inquam quæ in-
finitis hominibus vitã prorogare possunt,
hoc etenim ingenuum est, ac benignum vi-
ri munus omnibus hominibus vtilissima
quæque impartiri. BRASS. De hac re aliâs
loquemur, ad olea redeamus.

SENEX.

30 De oleo ex ouis cõfecto sermo haben-
dus erit. BRAS. Vnum est ex his oleis, quæ
per expreßionẽ fiunt, quomodo illud paras
tu? SEN. Tres modi à Mesue referũtur, ego
solùm primo vsus sum. BRAS. Hos modos
contemplemur, vt illum eligamus, qui ex-
quisitior videatur. SEN. Ita ait Mesue. Acci-
pe vitella ouorum elixatorum circiter tri-
ginta, & illa manibus cõminue, ac in lapi-
deam sartaginẽ pone, & frige super ignem
mouendo ligneo, aut ferreo cochleari do-
nec rubescat, & resoluatur ab eis oleum, &
tunc exprime ea cochleari, & oleum abun-
dantius emanabit. BRAS. Reor hoc oleum

in

in parua exiturum copia. SE. Imò copiosè exit. BRAS. Si torculari exprimeretur, copiosius exiret. SEN. Secundum audias Mesue modum. Recipe vitella ouorum elixata, comminuantur mouendo, deinde probè concutiãtur, vt de oleo amygdalarum dulcium dictum est, & oleum exibit. BRASS. Sententiam suam Mesue exquisitè non exprimit. Nam dicturus erat, quòd mola exprimatur vel torculari, & hic est modus, quo fieri debet, vt maior olei copia exeat, quàm aliis modis. Ego ita conficiendum volo, vt ad ea, quæ conuenit valentius sit. SEN. Hunc referto modum. BRASS. Oua accipito, quæ sub cineribus, ac scintillis adeò cocta sint, vt dura euaserint, posteà accipe horum ouorum vitella, & leuiter pinse, quoad in paruas micas redacta sint, posteà in sacculum ponito, & bene ligato, deinde torculari vehementissimè exprimito, oleum educitur, & in maiori copia quàm fieri possit. SEN. Cur sub cineribus coqui iubes? BRAS. Quia oleum efficacius efficitur, quàm si oua coquantur in aqua, tamen & si in aqua decoxeris, eodem modo parandum erit. Nota verò, cùm sit expressio ouorum, vitella debere esse calida, pro cicatricibus abolẽdis, ego hoc modo cõfici iubeo. Primò puluerem hunc præparari moneo.

℞. Aluminis rochæ
Scaiolæ
Plumæ
Singulorum ℥ j.
Argenti ſublimati ʒ ij.

Miſce & fiat puluis ſubtiliſsimus, poſteà iubeo in ſacculo fieri tabulata hoc modo, primò ſubſternantur oua contrita poſteà ſuperingeratur puluis,deinde ſupraponantur oua poſteà puluis,deinde oua,& ita ter, aut quater multiplicentur, denique exprimi iuſsi, nonnunquam iuſsi puluerem miſceri cum ouorum vitellis, & illa ſimul exprimi·quãdoque iuſsi ſubſterni vnam ouorum portionem, deinde vnam portionem aluminis liquidi, poſteà vnam portionem ouorum, deinde vnam portionem aluminis ſcaiolæ, poſteà vnam portionem ouorum, deniq; vnam portionem argenti ſublimati,& torculari exprimi, & nonnunquã plura addidi ſimplicia, nonnunquam pauciora. Expertus ſum etiam eſſe mificum oleũ ad maculas ablegãdas,& ad cicatrices obſcurandas. At ad quę ſimplex valere Meſue tradit? SEN. Ait cutim mundificare, & impetiginem, ac ſerpiginem, & alios cutis morbos curare, & capillos naſci facere, & fiſtulis conferre,ac malignis vlceribus. BR. Eo tantùm vſus ſum ad cicatrices delinendas

das, vt obſcurarẽtur, & ad maculas abolendas: & nunquam meo fine fruſtratus ſum. Illuſtriſsimus Alphonſus Herculis Ferrariæ Ducis quarti primogenitus, cùm octo, aut nouem annorum puer eſſet, fronte parietem impegit, & magnum vulnus ſibi intulit. nam in cuiuſpiam parietis angulum impegit, magnáque fuit tunc relicta cicatrix quæ ab oleo prędicto (balſamo addito) fuit penitus obliterata, vt impræſentiarum vix appareat cicatricis veſtigium. Quandoque iuſsi hoc oleum fieri ex myrrha & bdelio præter aluminum genera. Nunc tertiũ referas, quem ponit modum Meſue. SEN. Inquit tertium modum eſſe, vt deſtilletur in recipiente, & alambico, vt in oleo philoſophorum edocebit. BRASS. Quomodo conficit? SENEX. Oua in alambici fundum ponuntur, poſtea alambicum fundo coniugatur, & vnà calcinetur, deinde ponatur in furnum, & tantum dimittatur quòd exeat oleum. BRASSAV. At nunc exquiſitius fit in vocatis bociis à chymiſtis, & magis purum euadit. præ cæteris verò illud præualet, quod noſtro educitur modo, ex ignis vi & glaciei. SENEX. Rumpar, ni viderim te hæc quandoque educentem.
BRASSAV. Aeſtate futura, ne ſomno in meridiem premar, deſtillationibus incum-

bemus. nam reor nos multa in illa arte inuenturos esse. SEN. Annus mihi videbitur antequàm sit æstas, tam ardenter hæc videre peropto. BRASS. Non tantùm videbis, sed cogar te circa hæc exerceri, nimirũ noluerim vt gratis discas. SEN. Si laboribus præceptorẽ persoluam, à laboribus non desistam. BRAS. Et hoc est præmiũ quod à te petam. nota verò primum modũ conficiendi hoc oleum à Serapione, tractatu septimo desumptũ videri: secundus verò, & tertius modi ab Auicenna in quinto canone accepti sunt, solent hi authores in aliorum referendis compositionibus sese consequi. At alia oleorũ genera prosequaris, quia de hoc satis iam dictũ est. SEN. Nónne podagricis confert? BRAS. In aliquo casu cõferre posse non dubito, quando scilicet mollificatione indigemus, sed pulcram audito Manardi sententiam, ipse erat vir podagrosus, si qui alter vnquam fuerit. De oleo de ranis in Mesue tractans, quod ad podagram valere tradunt, inquit. sed in ea (scilicet podagra) nullum magis pręsentaneũ vidi auxiliũ, & absq; periculo, quàm vt eã homo æquo animo ferat, Hippocratis terminũ expectans. SENEX. Qui'nam est hic Hippocratis terminus? BRASS. Quadraginta dies si breuissima sit podagra. SEN. Arbitrabar esse

mortem

mortem. nam hoc termino, & podagræ, & omnes morbi recedunt, nec hominem deinceps vexare possunt. BRAS. De dierum termino intelligit quem podagricis præfixit Hippocrates eadem sententia oleo de ouis applicari potest, cùm podagricis adhibetur. SEN. Haberésne artem remouendi ab hoc oleo fœtorem? BRAS. Optimum est præsidium oua sub cineribus diligentissimè coquere, vt durissima euadant vitella, & nonnihil musci, & ambrani addere, fœtórque fit, quando inueterascit, idcirco singulis octo, aut decem diebus recèns fiat, & potiùs in minori fiat copia. Ad alia nũc conuertendus est sermo.

SENEX.

31 Oleum de Iunipero iam accedit. BRA. Oleum est multis nominibus dignum, quo superiori anno in pestilentia illa per contagium vsi sumus, & mirum in modum contulit ad præseruationem à pestilentia, nares inungendo, tempora, & nonnihil in os seruando. SEN. A' Mesue dicitur cutis infectionibus conferre, & malo mortuo tibiarum, & serpigini, & cãcro, & vulneribus malis. SEN. Quid est malum mortuum tibiarum? BRAS. Sunt vlcera maligna, quæ in cruribus excitantur, & tamen non serpunt. SEN. Fortè, quia non serpunt, malum

mortuum vocantur, nunc de conficiendi modo agamus. BR. A' Mesue illud ita cõfici notatur. Accipe ex lignis iuniperi quãtitatem conuenientẽ, & minutim in frustula incîde, & vitreatum vas intus imple, cuius orificium sit arctũ, & fac foueam in terrã, & præpara parietes eius cum terra figuli, deinde pone ollam hanc vitreatã in fundũ foueæ, amplũ orificiũ habentis, & cooperiatur lamina ferrea subtili perforata foraminibus multis veluti cribrũ, ita vt vndiq; ollę lamina orificiũ cooperiat, deinde super laminã vasis orificiũ ex vniuerso præparetur, & præparetur cum terra figuli, vt nihil ex vtrisque orificiis respiret. posteà accẽde ignem supra totum vasis corpus, & ita per duas horas ardere dimittito. manabit enim ex arte hac oleum, quod reconde, & vtaris cùm erit opus. SEN. Difficilius est intelligere Mesuen, quomodo hoc oleum conficiat, quã oleum ipsum conficere, satis fuisset vno verbo dixisse fieri in duplici vase per accensionem. BRAS. Nõ redolet hoc oleum, sed maximè fœtet, iuniperi odorẽ minimè refert, sed potiùs ingratissimã ac grauissimam adustionem. SEN. Est prorsus grauissimus odor, & ob hoc fortè pestilentiæ aduersatur. BRASSA. Imò fœtida pestilentiam potiùs inducunt, quàm illi ad-

uerſari poſsint, tamen non eſt fœtor rei putridæ, ſed potiùs rei aduſtæ, & quæ à putredine præcauere poteſt. SEN. Nónne poſſet vocatis bociis extrudi iuniperinũ oleũ, quod tam tetrum nõ haberet odorem? BR. Poſſet? & nullus eſt aptior modus quàm ille, quo vſus ſum ex igne, & glacie. nam hic modus odorem rerum præcisè ſeruat, cum eorum ſubſtantia intrinſeca. SEN. Confeciſtíne oleum iſtud? BRASSA. Confeci anno ſuperiore in peſtilentia illa per contagium facta, & eo vſus ſum, iuniperíque odorem ſpirabat, imò & adhuc ſpirat. nam ampullam paruam domi adhuc ſeruo, ſi odorare volueris in cœna mecum eſt: quoniam diuerſa olerũ genera te guſtare faciã, ac odorare, quæ tibi diſplicitura haud eſſe reor, ſed iuuatura ac placitura. SEN. Cras fortè tecum ero in prandio, vt hæc quæ tãtopere videre opto percipiam. BRASSA. Poteſt etiam ex vocatis bociis cum igne quidem, ſed abſq; glacie extrudi hoc oleũ, vt à chymiſtis communiter fit.

SENEX.

32 Eodem modo, quo Meſue de olei, è iunipero eductione locutus eſt, oleum ex indico ligno ad tumores gallicos, & vlcera gallica optimũ extrudo. ita enim in duplici vaſe ponitur, & ignis ſupra vaſa accẽdi-

tur. BR. Imò hoc modo ex quocunque pingui ligno vel semine, vel radice, vel fructu oleum erui potest, hic nimirum est modus educendi communissimus. SEN. Tamen liquores omnes, & olea omnia, quæ hoc modo destillantur, vehementissimum enanciscuntur rei adustæ odorem. Melius ergo erit si ex bociis educatur. BRAS. At optimum est guaiaci oleũ, & redolẽs, quod ego vi ignis, & glaciei extrudo præ minima corporis parte inungenda, facillimum est ex quocunq; ligno oleum extrudere, si pauca ligni portio sumatur & accẽdatur, itaq; accensa vnius pateræ cauitati inhæreat, statim è ligno oleũ emanare percipies. Oleum hoc indici ligni diuitibus in morbo gallico adhibẽdum est, cùm iuncturæ dolent, & vlceribus scatent. nam vlcera plenè exiccat, & dolores mitigat.

SENEX.

33 De oleo ex Hyperico imprę̧sentiarum pertractandum est. BRASSA. Vos illud vocatis de perforata. SEN. Verum est, miror tamẽ cur authores, qui de hac herba locuti sunt, foramina illa parua, quæ in huius herbæ foliis insunt, non animaduertisse, vt nõ ab re à recentioribus sit vocata perforata, à mille, quæ habet foraminibus. BRAS. Quomodo verò oleum hoc conficis? SEN.

huius

huius herbæ probè maturæ flores accipio, quando, scilicet cùm tractantur, manus inficiuntur, & in vitreum vas impono, in quo adsit oleũ bene lotum, & his floribus impleo, posteà per triginta dies insolo, itaque seruo. BRAS. Hic est cõmunis faciẽdi modus, præter id quod non omnes oleum lauant, sed Ferrarienses mulieres absq; olei lotione conficiunt. nam oleum accipiũt, vt à lecyto venit, & huius herbæ floribus implent, & soli æstiuo suspendunt absq; ordine, & absq; dierum numero, & absq; olei, vel florum pondere. SEN. Neq; ego oleum pondero, neque flores, tamen numerum dierũ insolandi, qui triginta sunt obseruo. BRA. Nihil refert, etiã si per quadraginta, & per integram æstatem in sole immoretur. SEN. Est ne hypericõ eiuscemodi herba? BRASS. Ita quidem vocatur, tamen apud Dioscoridem illa videtur quam ipse Ascyron vocat. Nonnulli verò ex ipsius succo hoc oleum conficiunt in oleo, ebulliendo ad succi consumptionem. SEN. Neque hoc mihi displicet. BRASSA. At communis modus apud pharmacopolas est valde compositus. SEN. Qualísnam est. BRASSA. Per totam ferè Italiam maxima pharmacopolarum pars hoc modo conficit:

℞. Olei antiqui.

Vini cretici
Florum hypericonis
Singulorum ℔ j.

Coque ad vini conſumptionem,deinde torculari exprimatur,& huic expreſsioni adde

Olei antiqui ℔ j.
Vini cretici ℔ v.
Florum hypericonis ℔ ij.

Coque vt ſuprà,eodem modo torculari exprimito.

Tunc recipe huius expreſsionis partes xij.

Terebinthinæ claræ partes quatuor.
Croci partem ſemis.

Coque in balneo vocato Mariæ,per ſex horas,deinde linteo diligenter percoletur, & in vas vitreatum,quod optimè operculatũ ſit,reponatur,& per triginta dies inſoletur. Cúmq; opus erit,eo vtaris. SE. Memini præceptorem meum ita conficere conſueuiſſe. at ego ſemper ſimpliciſsimum paraui. BR. At hoc eſt efficacius ad ea,quibus eſt in vſu. SEN. Quæ ſunt hæc? BRAS. Valet aduerſus omnes dolores à materia frigida excitatos,contra varices,contra dentium dolores,contra podagram,chiragram,& articularem dolorem,à materia frigida facta,vulneribus opitulatur, & neruorum puncturas ſanat,cõuulſiones prohibet ac dolores, ſi oblæſa loca inunguntur. SEN. Eſt ergo

mirific

mirificum oleum. BRASS. Mirificum eſt eiuſcemodi compoſitum,& ſimplex quoq; mirificum eſt, reperiuntur & aliqui pharmacopolæ, qui vt prædictum eſt, maximè conficiunt, ſed hoc modo parant.

℞. Hypericonis ℥ iij.

Infundátur in vinum odoratum quantum ſatis eſt, tribus diebus, & tribus noctibus, deinde bulliant in duplici vaſe bene obturato,& vehemens expreſsio fiat, poſteà iterum recipe hypericonis bene contuſi vncias tres, & infundantur in ſupraſcriptum vinũ tribus diebus cum ſuis noctibus, deinde addantur

Terebinthinæ ℥ iij.
Olei antiqui ℥ vj.
Croci ℈ j.

Miſceátur & coquantur in bocia in duplici vaſe ad cõſumptionẽ vini, poſteà in vitreato vaſe reſeruetur. SEN. Hic modus ab aliis diſtinctus eſt,licet vinũ accipiat. BRASSA. Simplicisſimum oleũ magis probo, quàm iſta compoſita,tamen nec præſcripta cõpoſita deſpicio. At reliqua accedamus.

SENEX.

[?]4 Oleum de Maiorana iam expetit cõſiderari. BRAS. Antiquitus in magno fuit vſu ſampſucinum oleum vel vnguentum. quia compoſitum erat, & non ſimplex.

SEN. Obsecro vt antiquum istud sampsuci nū referas. nam mirum immodū delector antiquas compositiones audire. BRASSA. Tu priùs referto, quomodo amaracinum tuum efficias. SEN. Folia amaraci sumo betuum efficias. SEN. Folia amaraci sumo benematura, & in phialā pono, oleo omphacino semiplenā, posteà addo succi sampsuci vncias sex, & ore obturato per octo dies insolo, posteà folia aufero, & diligenter comprimo, & alia noua per octo iterum dies indo, itáque quinquies facio, posteà in duplici vase bullio ad consumptionem succi, & ad vsus reseruo. BRAS. Quandoque fit absque succo, sed ex sola foliorum impositione in oleum, & nonnunquam sumitur oleum non quidem omphacinum, sed ex maturis oliuis, tamen probè lotum. SEN. Antiquum sampsucinum iam expecto. BR. Hoc audies ex Dioscoride sumptum, qui ita conficit:

℞. Serpilli
Casiæ
Abrotani
Sisymbrij
Florum myrti
Foliorum sampsuci

Singulorum tantum sumito, quātum pro cuiusq; viribus satis fore cōiicis, tūdito simul omnia, acerbíq; olei cum his infun-

dito

dito mensuram, quæ madentium in eo vires euincere non poßsit, cùm quatuor deinde dies in oleo maduerint, exprimito. Rursúsque eorundem omnium recentium par pondus, pari tempore, in eodē oleo demergito, & exprimito: sic enim efficacius erit, eligito sampsucum, quæ colore nigro in viridi sit, quæ longè oleat, & mediocri acrimonia sentiatur. SEN. Hoc quod retulisti, vnguentum videtur. BRA. Et à Dioscoride vocatur vnguentum, tamen olea quandoq; vnguenta vocantur, & vnguenta olea. SEN. Ad quos affectus conferre dixit Dioscorides? BRASSA. Authoris verba tibi referam: inquit enim, facit ad præclusos, & inuersos fœminarum locos, menses, secundas, & fœtus trahit, vuluæ strangulatu concidentes excitat, lumborum & inguinum dolores lenit, præstat cum melle eo inungi, quoniam vehementione adstringendi vi locos indurat, contra laßsitudines vtiliter eo inunguntur, miscetur præterea his, quæ contra rigores in scapulas, alitérq; conuulsos illinuntur. SEN. Est laude dignum vnguentum. BRAS. Et odoratum (si ita fiat vt dictum est) Cyzigenum erat antiquitus in honore. SE. Quādo sampsucinum oleum, vel amaracinum indicis, quodnam intelligis? BR. Simplex quod ex

ole

oleo, & solis sampsuci foliis cõficitur, quã-
quam neque illud despexerim, in quo suc-
cus cũ oleo ebullierit. si verò alicui placeret
eo modo parare, vt à Dioscoride scriptum
est, hoc indicarẽ, quando opus esset. SEN.
Súntne alij, qui de amaracino oleo mẽtio-
nem fecerint. BRASSA. Actuarius in suo
de Compositione medicamentorum libro
ita conficit:

℞. Serpilli
Casſiæ
Abrotani
Floris sysimbrij
Foliorum myrti
Sampsuci

Singulorum modus pro viribus eorũ
capitur. Omnia hæc pariter tunduntur,
omphacini olei tantum adiicitur, vt adfu-
sum, vim & efficaciam eorum quę macerã-
tur, non obliteret, qua triduum maceran-
tur, opus est demũ vt exprimatur. Iterúm-
que pari eorũdem recentium mensura &
eodem temporis spatio in eodem oleo ma-
cerantur, & vbi fuerint expressa adimũtur,
hac ratione conficiẽdi euadit validius. Vis
ei excalefactoria, acris extenuatoria, fœ-
minarum noxis, siue contractio siue cõuer-
sio vuluę fuerit auxilio est, menses secũdás-
que pellit, exanimatas vteri strangulatu
recre

recreat, lumborum, inguinúmque dolores mulcet, vſus eius ex melle commendatior: quoniam vehementi adſtrictione locos indurat, laſsitudines illitum diſcutit, cataplaſmatis ad opiſtotonum vtiliter adiicitur, item ad alios quoſcunque conuulſos. SEN. Aut nihil, aut modicè à Dioſcoride differt Actuarius. BR. Audias modò Alexã-drinum, qui ita de hoc oleo diſſerit. Oleum amaracinum optimè confert ad ſtranguriam, & cephalicas putredines ex chirurgia factas deſiccat, & expurgat. nam & cæteros tumores cum inflãmatione, ipſius peruncti locis, emendat, dyſuriã, & ſtranguriam ſuper pectinem inunctum ſoluit, hæmorrhoidas veteres aperit, anaſtomoſim matricis curat inſtar peſſarij ſuppoſitum, menſtrua, & ſecundas educit, lumborum, & inguinum dolores, lanis in eodem intinctis, & impoſitis tollit, & ad neruorum contractionem mire prodeſt.

℞. Olei omphacini ſextarios quatuor.
Vini odorati ſextarios duos.
Amaraci ℥ iiij.
Floris ſiſimbrij
Foliorum myrthæ
Serpilli
Abrotani
Caſsiæ

Singulorum ℥ iij.

Cinnamomi
Nardi
Coſti
Calami
Xylobalſami
Carpobalſami
Amomi

Singulorum ℥ j.

Species in ſubtiliſsimũ puluerem redactas, invino die,& nocte infunde,& herbas bene cõtuſas admiſce, & vino permiſto per totã noctem ſimul dimitte: alio die mane oleũ adhibe, & cũ marceſcere cœperit per ſeptẽ dies deſine,aſsiduè exagitando & cõmiſcẽdo.octauo verò die leues ad prunas ad conſumptionẽ vini decoque, caueas ne oleum flammã trahat accẽſum,cúmq; refrigeratũ fuerit diligẽter,& in ampulla vitrea conditum reſerua. habet enim virtutem calidiſsimam,& malacticã, anoſtomaticã,& aromaticam:& ideò appetitum excitat, digeſtionẽ celebrat,& debilia cõfortat. SE. Hoc Alexãdrini ab illo Dioſcoridis differt. BR. Planum eſt, verùm ad alia te conferto.

SENEX.

35 Oleũ de Mentha ad ſampſucinũ ſequitur. BR. Ventriculo conuenit. nam illud roborat,calefacit,& cõcoctionem adiuuat. at quom

quomodo illud conficis? s e. Eodem modo, quo oleum de ſampſuco. nam oleum accipio, & probè lauo, poſteà menthæ folia exquiſita impono, & per triginta dies inſolo, poſteà exprimo ac reſeruo, quandoq; menthæ ſuccum vnà commiſceo. B R A S. Quam mentham accipis? S E N. Illam quæ gentile vocatur, & Florentina. B R A S. Illa eſt, quã apud antiquos maron eſſe arbitror, & eſt cæteris ſpeciebus odoratior, & ex illa hoc oleum fieri debet, tamen mihi potiùs placet, vt hoc modo conficiatur.

℞. Olei probè loti ℔ vj.

Ponatur in vas vitreum capacitatis octo librarum, poſteà ſumitur mentha hæc odorata, quoad vas plenum ſit, deinde Soli per octo dies exponatur, mentham deinde exime, & torculari exprime, & itidem impone menthæ, & per octo dies Soli exponatur, ac iterum coletur, & noua indatur mentha, hócq; quinquies fiat, vt per quadraginta dies inſoletur. vltima verò mentha non eximatur à vaſe, ſed in eo dimittatur, & ad vſus reſeruetur. Si verò alicui placuerit hãc vltimã exprimere, & purũ oleũ conſeruare, illi cõcedatur. nam odoratũ erit, poteſt hoc oleum ex amygdalis etiã excoriatis cõfici, quibus mẽtha miſceatur, frequentérq; mutetur, quoad mẽthæ odorẽ bene receperit,

posteà exprimantur, & oleum reseruetur quod odoratissimum erit. SE. Súntne alij, qui alio conficiant modo? BRAS. Multi etiam pharmacopolæ hoc modo parant.

℞. Menthæ
Succi menthæ
Singulorum ℥ iiij.
Olei oliuarum completarum ℔ iij.

Tria hæc in vitreum vas reponantur, & per quindecim dies Soli exponantur, vasis os obturando, deinde bulliant per quatuor horas, posteà manibus colentur vehementer exprimendo, hoc ter fiat, deniq; percoletur & seruetur. SEN. Quibus cõfert affectibus? BRAS. Vt plurimùm vẽtriculo adhibetur. nam ventriculum imbecillum, ac frigidum càlefacit, ac roborat, nauseæ succurrit, & vomitum sedat, concoctionem adiuuat, appetentiam inducit, duricies abscessum, qui in ventriculo fiunt, soluit.

SENEX.

36 Cùm hæc satis videantur, oleum de terebinthina considerandum accedit. BRAS. Antiqui terebinthina ipsa vtebantur, non oleo, tamen oleum hoc est tenuissima terebinthinæ pars, frigidis neruorum affectibus conuenit, & omnibus ægritudinibus frigidis, ac flatuosis, in asthmate, & anhelitus difficultate mirificum est, si duæ drach-

mæ

mæ ſingulo mane inſumãtur. Eſt & in empyemate proficuũ, & breui in omni praua thoracis affectione ex pituita, colicis etiam doloribus, & omnibus flatuoſis conuenit, cicatrices decorat, ac honeſtat, verùm quomodo oleum iſtud conficis? SEN. In vocatis bociis: ita enim ab Alchymiſtis fieri didici pulcherrimum exit oleum, & copioſum. BRAS. Et terebinthina eſt ferè tota oleũ, fæx pauca in bocia vocata ſupereſſe debet. SEN. Imò paucíſsima, quia maxima terebinthinæ pars in oleum cõuertitur. BRAS. Fit profectò pulchrum oleum chymiſticæ modo. At eo modo quo ego conficio pulcherrimum euadit. SEN. Quomodo conficis? BRAS. Vi extremæ frigiditatis, & extremæ caliditatis oleum extrudo, ſicut ex omnibus ferè rebus extrudi poteſt. SE. Chymiſtarum more facillimè aſcendit. BRAS. Meo verò modo pluſquàm facillimè: nunc verò alia proſequamur, niſi aliquod ambiguum in hoc oleo tibi ſuperſit diluendum.

SENEX.

37 Tam planè extruditur, vt nihil mihi ſuperſit dubitãdum. at in mea ſcheda oleũ de leguro ſequi percipio. BRAS. Dicẽdum eſt oleum de ſtellione. nam vox hæc, leguro, barbariſsíma eſt. SEN. Satis eſt, quòd ab omnibus facilè intelligitur. BR. Ad quos

affectus conuenire ferunt? SE. Ementes ple-
runq; interrogaui ad quem finem emerēt,
nōnulli respondere ad strumas delinendas,
alij ad aream. BR. Nullus dixit ad capillos
nutriendos? SEN. Nullus quem sciuerim.
BRAS. Tamen multæ mulieres ad capillos
tantùm vngendos conficiunt, dicúntq; fur-
furibus cōferre, & capitis squamulis, & his
quæ instar farinæ à capite manant, quomo
do verò conficis? SEN. Hoc modo.

℞. Stelliones viuos numero vj.

Olei communis ℔ ij.

In vitreum vas ponantur, quod obturatum
Soli exponatur, donec totum in vnguenti
modum dissolutū sit, posteà linteo percole-
tur, & ad vsus seruetur. BR. Ferrariēses mu-
lieres ex vno solùm stellione conficiunt, mi
noremq; olei copiam accipiunt, nec in Sole
tantùm sinunt, quoad fuerit dissolutū, sed
etiam relinquūt, & posteaquàm fuerit dis-
solutum. nam breui in Sole æstiuo dissolui
tur stellio, sed ipse per quadraginta dies, &
per totam æstatem insolant, hoc est oleum
de stellione quod in publico vsu est. Reor
te modicam huius olei copiā vendere, cùm
multæ mulieres illud sibi parent, & aliis
etiam amicis impartiātur. SE. Rarò omni-
no venditur, tamē nōnūquam vēditur. ego
autē statui ne quicquā, vel minimū in meo

deesset pharmacopolio. BRAS. De hoc oleo hęc satis, quod nec ad multa valere videtur.

SENEX.

38 Oleum de Capparibus sedem suā hîc habet. BRAS. De eo iam tractatum esse arbitrabar. SEN. Nullum, vel minimum verbum de illo tractatum est. BRAS. A' quo autem authore illud sumpsisti? SEN. A' nullo quem sciuerim, sed ita scriptū est in meo libello, quem è præceptoris mei libello descripsi, ita verò conficio.

℞. Corticum radicum capparorum ℥ j.
Scolopendriæ
Tamarisci
Absinthij
Singulorum ℥ j. ß.
Olei communis ℔ ij.
Aceti albi ℥ iiij.

Misce & bulliant lento igne, vsque ad aceti consumptionem, ita perfectum est. BRAS. Alij sunt, qui ita parant.

℞. Corticum radicū capparorum ℥ viij.
Iridis
Agni casti
Tamarisci
Singulorum ℥ iiij.
Olei communis ℔ ij.
Vini ℥ iiij.

Hæc omnia vsque ad vini consumptionem

bulliant, posteà colentur, ac reseruentur. SEN. Inter hoc & meum nō est magna differentia. BRAS. Imò magna videtur, quia vbi tu ponis scolopendriā, hi ponūt agnūcastum: & vbi tu absinthium, hi iridem: & vbi tu acetum, hi vinum. SEN. Acetum magis cōuenire reor. BRAS. Et ego eiusdem sum sentētiæ, quia acetum incîdit, & magis penetrare facit. at alia longè melior est compositio, qua plerunq; vsus sum. SE. Referre ne pigeat. BR. Nō piget, imò illam audito.

℞. Corticum radicum capparorum ℥ j.
Scolopendræ
Absinthij
Radicum iridis
Tamarisci Agni casti
Singulorum ʒ iiij.
Ciclaminis ʒ ij.
Galangæ ʒ iij.
Olei communis ℔ j. ß.
Aceti fortissimi ℥ vj.

Misce & bulliant ad cōsumptionem aceti. SEN. Hæc potiùs sunt vnguēta, quàm olea. BRAS. Tamen olea vocātur, sed simplicissimū de capparibus oleum, ex solo oleo, & capparorum radice conficitur, capparorum radix in puluerem redigatur, & in oleū ponatur, modico aceti addito, & nulla re alia, posteà per mēsem insoletur, posteà ad aceti

consum

consumptionẽ bulliant, colentur, & oleum ad vsus seruetur. SEN. Conueniúntne prædictæ compositiones? BRAS. Conueniunt, quoniam olei de capparibus vsus ad lienem est. vnumquodque verò quod compositionem ingreditur, lieni conuenit, & illi propitium est. Nunc alia prosequenda sunt.

SENEX.

39 Oleum de Absinthio moras rumpit, vt in examen veniat. BRAS. A' quo authore illud accipis? SEN. Neminem vnquam legi authorem, qui de eo loqueretur, sed est cõpositio cõmunis, quã ita fieri notãt nõnulli.

℞. Summitatum absinthij
Succi absinthij
Singulorum ℥ iiij.
Olei oliuarum ℔ iij.

Omnia simul misce, & in vitreũ vas pone, deinde obtura, & per quindecim dies insola, posteà per quatuor horas bulliãt, & percolato, & iterum summitatũ absinthij tantundem, & succi absinthij tantundem, itáq; hoc fiat, vltima vice coletur, & reseruetur. BRAS. Hic est ferè communis modus olea ex herbis conficiendi, cùm succus, & herba vnà sumũtur, cúmq; ebullitur, per quatuor solas horas ebulliendum non est, sed ebulliendum donec succus fuerit exinanitus. SEN. Ad quos confert affectus? BRAS. Fri-

gida mēbra roborat, ac calefacit, & præsertim vētriculum, appetētiam excitat, obstructiones aperit, & morbis omnibus obstructionū, à causa frigida occurrit, vermes interficit, ac educit, si in vnguentis vel emplastris apponatur. nōnihil etiam habet adstrictionis, vt in alui profluuiis adhiberi possit. SEN. Est mirificū oleum. BR. Ferrarięses mulieres id conficiunt, absinthij cimas in oleū bene lotum ponēdo, & in Sole per dies multos dimittēdo. SE. Fortè per quadraginta. BR. Determinato dierū numero carent: sed per totā æstatē, vel per magnā partē insolari permittūt. SE. Exprimúntne? BR. Nō exprimūt, sed absinthij cimas in oleo semper derelinquūt. at alij oleum de absinthio valde cōpositū faciūt, ita nimirū cōponunt.

℞. Vini cretici ℔ j.
Succi absinthij ℥ vj.
Misce & bulliant ad consumptionem vini, posteà
℞. Olei bene loti ℔ ij.
Succi prædicti ℥ vj.
Menthæ
Hyssopi
Pulegij
Origani
Singulorum ʒ iij.
Galangæ

Cinnamomi
Garyophyllorum
Mastiches
Nucis moschatæ
Gingiberis
Singulorum ℥ j.

Misce & per quindecim dies Soli exponatur, posteà percoletur & vsui reseruetur. SE. Nunquàm audiui hoc oleum ita confici. BRAS. Deinceps hoc dicere minimè poteris, in frigidis ventriculi affectibus mirificè conducit, & in flatu qui in ventriculo cõtineatur. At alia prosequaris.

SENEX.

40 Oleum de lumbricis succedit. BRAS. Nullum est oleum, cui minus fidam isto. at quomodo illud conficis? SEN. Hoc modo.

℞. Lumbricorum terrestrium ℔ ß.
Olei oliuarum ℔ ij.
Vini ℥ ij.

Omnia simul bulliant, & oleum fiat, vt decet. BRAS. Ad infrigidatos neruos cõuenire fertur, & illos roborare, doloribus iũcturarum vtile esse. SE. In hoc dubito, quòd ad infrigidatos neruos valere dicitur. BRAS. Et ego tecum sum. nam lumbricos calidos nõ esse plenissimè cõstat. alij verò sunt, qui ita conficiunt, tantam lumbricorum quantitatem accipiunt, quanta ipsis placuerit,

posteà

posteà nigro vino potenti optimè lauant, deinde in ollam imponunt, eodémque vino illam implent & ebullire faciunt, quoad ex omnibus lumbricis vna fiat massa, & lumbrici amplius non appareãt, posteà tan tum olei liliorum alborum indatur, quanta est lumbricorum quantitas, & iterũ probè bulliant, quoad corpus vnum effectum sit, vel olei liliorum alborũ loco, costinum oleum sumatur. nonnulli linteo massam illam percolant, & ad vsus seruant, alij non percolant, sed vt cõmistum est, sinunt, aliqui oleum sub terram ponũt cum lumbricis quousque in vnam massam, vnúmque corpus omnia reddita sint. SEN. Quid censes tu faciundum? BRAS. Ego nõ multum fido in lumbricis, & ex cõsequenti neque in lumbricorum oleo, idcirco vnumquenque sino, vt id agat, quod illi magis placet. Tu reliqua oleorum genera prosequaris.

SENEX.

41 Oleum de Castoreo in medium accedit. BRASSAV. Quomodo illud conficis? SEN. Hoc modo.

℞. Castorei
Styracis calamitæ
Galbani Euphorbij
Casſiæ ligneæ
Croci

Opopanacis
Carpobalsami
Spicæ nardi
Costi
Singulorum ʒ ij.
Cyperi
Schœni
Piperis longi
Bracteos, id est, sabinæ
Pyretri
Piperis nigri
Singulorum ʒ ij.ß.
Olei oliuarum ℔ iij.
Vini albi boni ℔ ij.

Omnia simul bulliant ad vini consumptionem, posteà exprimantur, & reseruetur ad vsus. BRAS. Mihi non videtur, quòd potiùs sit de castoreo, quàm de euphorbio, aut de alio ex simplicibus, quæ ingrediũtur. SEN. Id nomen est illi inditum, & omnibus neruorum ægritudinibus confert, & tremori, ac tetano, & neruorũ doloribus, ac iuncturarum. BRAS. Adde epilepsiæ cõferre, atq; apoplexiæ. at nõ omnes pharmacopolæ ita parant, vt tu retulisti. SEN. Quomodo efficiunt alij? BRASS. Simpliciùs conficiunt. SEN. Et quomodo? BRAS. Ita conficiunt.

℞. Castorei ℥ j.
Olei ℔ ß.

Misce

Misce & decoquantur ad consumptionem tertiæ partis, oleúmque cum castorei puluere reseruetur, hoc est simplex oleũ. SEN. Imò simplicissimum. BRASS. Simplicissimum non dico, quia ego ignis vi, ac glaciei ex solo castoreo simplicissimum extrudo, si castoreum recens sit, facilius, & copiosius extruditur: si antiquũ, extruditur quidem. at non in tanta copia. pharmacopolam noui, qui castoreum eliquabat, vt suis pinguedo eliquatur, posteà coquebat, ac seruabat, hócque pingue loco olei de castoreo præbebat. SEN. Ad prædictos affectus conuenire arbitror. BRASS. Optimè conuenit, & est mera castorei substãtia, alij per vocatas bocias hoc oleum educunt, quod haud difficile est. Verùm alia contemplemur.

SENEX.

42 Oleum de sulphure locum hunc in ordine occupat. BRASSAV. Ipsius præparationem referto. SEN. En refero.

℞. Sulphuris citrini
Terebinthinæ
Singulorum ℥ iij.
Vini boni ℥ ij.
Olei rosacei ℔ j.

Ad vini consumptionẽ lento igne bulliant. quod relinquitur, est oleum de sulphure, oleũ est ex solo sulphure vi ignis & glaciei mirificè

mirificè extruditur. Sed optimum esset, si quis sulphuris resudationem haberet, quæ in locis sulphureis ex montibus tanquàm flos exudat, imò flos sulphuris appellari potest, & debet. nam vti ros, vel sudor saxa exit. Cùm illustrissimũ Ducem nostrũ. 1535. Neapoli ad Carolum Imperatorem concomitatus essem, Baias inuisi, & puteolana loca, vbi inter montes pulcherrima adest cõuallis, in cuius medio feruẽtissima ebullit aqua, & in angulo alia adest ebulliẽs fouea, huius cõuallis solùm cyaneum visitur, montibus vndique cingitur, aderant pueruli quidam, quos vidi montes digitis tangere, digitósque in os imponere, & lingere, quid facerẽt interrogaui, respondêre, quòd sulphur edebãt, & quòd dulcissimum erat, cœpi tunc florem illum gustare, qui à lapidibus vti ros desudabat, & dulcissimum esse reperi, eo mane nihil aliud in prandio edere volui, qui panem & florem illum sulphuris dulcissimum, hoc illud est, ex quo perfectissimum conficeretur oleum. SEN. Nónne & ex apyro sulphure, id est, ignem non experto exquisitũ oleum conficeretur? BRASSA. In hoc casu sulphur melius est, quod ignem expertũ sit. nam depuratũ est, & à lapidibus ac terra defecatũ. at quicquid sit, optimum esse ex flore sulphuris oleum,

ex

ex ſulphure ignem experto melius, ex ſulphure ignem non experto bonũ, inter conficiendi verò modos, ille quo ex glacie & igne oleum extruditur, optimus eſt. Iam verò reliqua proſequamur.

SENEX.

43 Inter olea, quæ in officinis ſeruamus, vltimam ſedem habet oleum de momordica. BRAS. Momordicam Ferrarienſe vulgus cochiã vocat. miror verò antiquos, aut neglexiſſe, aut ignoraſſe hanc tam pulchrã herbã, quæ topiario opere ordinari poteſt, & res diuerſas inducere valet, tótque habet inſignes virium dotes. SEN. Antiqui igitur de momordica locuti nõ ſunt? BRAS. Nec illã, vel à longè ſalutarunt: aut oculis (quod legatur) conſpexerũt. ſed quomodo oleum iſtud cõficis? SEN. Deſcriptio quam habeo, & qua ſemper vſus ſum, hęc eſt. Recipe herbæ momordicæ quantum tibi placuerit, & in vitreum vas ponatur, in quo oleum adſit oliuarum optimum, antiquum. benéq; obturetur, & ſub terram defodiatur, & arena bene tegatur, itáque per integrum annum permaneat, & ſi per duos maneret annos, melius eſſet. nã balſamo æquiparari poſſet. BRAS. Ad aliqua fortè particularia efficacius eſſet, quàm balſamum: ſed aliæ ſunt in opobalſamo vires, quàm in hoc oleo, in an-

tiqua mea domo in cella vinaria phialam hoc oleo plenã inueni, & aderat chirographum ex pergameno, phialæ collo ſuſpenſum, quod legens, oleum hoc eſſe noui, & quòd eſſent triginta anni, quòd ibi erat defoſſum, adeò ſpiſſum effectum erat, vt pinguedo videretur & album. SEN. Ad quos conuenit affectus? BRAS. Ferunt podagræ conuenire, & totius corporis doloribus, & mammillarum ſi loca, in quibus dolores ſunt, inungantur. nonnulli volunt vterum eſſe eo inungendum, & herbam in puluerem redactam bibendam, poſteà cum muliere coëundum, ſi nondum fuerit fœta concipiet, idcirco ad conceptionem plurimum valere fatentur, ad hęmorrhoidarum dolores experientia reperi eſſe præcipuum, imò omnia alia excedere pręſidia, cùm phialam illam inueni, quę ſub terra tandiu permanſerat, cœpi nonnullis præbere hæmorrhoidibus affectis, qui ſtatim à dolore releuati ſunt. at tot deinceps huius olei portionem petierunt, vt breui totũ ſit phialæ conſumptum oleum. SEN. Portionem aliquam pro te, & tuis filiis ſeruare debebas, ſi quandoq; in hæmorrhoidarum dolores inciderent. BRASSA. Nunquam negare poſſem præſidium, quod haberem alicui affecto, ſed vt ſemper feci, deinceps ſemper efficere ſtatui,

omnia mea esse omnibus probis viris com-
munia, & præsertim præsidia egregia, ac
generosa. SEN. Nônne potest, & ex calyci-
bus oleum hoc confici? BRASSAV. Nihil
impedit, imò ex folliculis potiùs probo,
quàm ex foliis, quia pinguiores sunt, &
plantæ vires magis seruare possunt, si ego
pararem folliculos & folia vnà commisce-
rem. SENEX. Ita deinceps semper agam.
BRASSAV. Optimè extruditur vi ignis, &
glaciei eo modo, quo ex aliis rebus oleum
extrudere soleo, & perfectissimum est. Re-
liqua nunc prosequaris olea. SEN. Cùm hoc
vltimam sedem habeat, nulla etiam alia in
meo pharmacopolio seruo oleorum gene-
ra. BRASSA. De oleis igitur finitum erit?
SEN. Finitum quidem, quò ad hoc examen,
non tamen finitum, quo ad confectionem.
BRASSA. Scio te singulis annis noua olea
in omni ferè genere conficere. At interim
vale, aliâs vnà conueniemus, & reliqua o-
mnia tui pharmacopoli composita
sub examen ducemus. SEN.
Id quàm citius fieri
poterit, expe-
diatur.

*

TABVLA.

ANTONII MVSAE BRASSAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

Examen omnium decoctionum, quarum vsus est apud Ferrarienses pharmacopolas.

BRASSAVOLVS. SENEX.

BRASS. Dic mi Senex, quas seruatis vos seplasiarij in vestris pharmacopolis decoctiones? SEN. Nullas prorsus seruamus decoctiones. at illas tunc paramus, cùm à medicis indicuntur, vt sunt fructuum decoctio, tamarindorum decoctio, ex aperientibus radicibus decoctio, ex frigidis seminibus decoctio, ex vrinam prouocantibus decoctio. plerunq; etiam decocta indicuntur pro abluendis nostri corporis membris, vt pro abluendo capite, pro extremitatibus abluendis, & pro fomentis aliqua in parte exercendis. nam ad fomenta ipsa & herbæ, & alia simplicia in dulci aqua, vel vino vel thermarũ

aqua decoquantur, & spongiis fomenta adhibentur, fiunt & decoctiones ad balnea & stillicidia ab alto supra caput, vel aliud membrũ destillanda. BRAS. Nónne fiunt & decoctiones ad syrupos liquefaciendos, & potabiles reddendos? SEN. Fiunt & ad multa etiã alia peragenda, quæ pharmacopolis à medicis, quãdo opus est indicuntur. Dic verò, potéstne definiri decoctio seu decoctum? BRAS. Potest eo modo, quo huius generis res definiuntur, quæ à fine vt plurimùm definiri solent, cùm sint vti medicorum instrumẽta ad nonnihil ad finem medicæ artis spectãdis assequendũ. Dici igitur potest decoctionem siue decoctum esse, aliquorum simplicium virium in aliquem liquorem ebulliendo receptionem. SENEX. Quæ simplicia sunt illa, quæ decoqui possunt ac debẽt? BRAS. Omnia simplicia decoqui posse nihil impedit, tamẽ hæc potissimùm decoquenda veniũt, herbæ, radices, aromata, flores, ligna, cortices, semina, surculi, succi, lanę, liquores, resinæ, pices, gũmi genera, metalla rarò decoquũtur, tamẽ nõnunquam decoctiones ingredi nihil impedit, sicuti & terrea omnia decoquũtur quãdoque, & pinguedines ad vsum medicũ, & animaliũ partes, & ipsa integra animalia. SEN. Quomodo integra animalia? BRAS.
Nónne

Nónne oleũ vulpinum ex viua vulpe cõfici nõnũquam vidiſti? SE. Vidi equidẽ. BR. Vt autẽ vno verbo te expediã, illa verè & propriè decoctionem recipere poſſunt, quæ coquuntur, & alterata in ſubſtantia coctionẽ recipiũt, reliqua quæ coctionẽ non admittunt, neque in coquendo in ſubſtantia alterantur, propriè decoqui non poſſunt, ſed in ipſis per ſimilitudinem vocabulo decoctio vtimur. nam ferrum quandoque ebulliri iubemus, & coqui dicimus, cùm tamen verè coqui non poſsit, neque in ſubſtantia alterari. At hoc coqui id eſt, quod dicebamus, vim ſuam in liquorem aliquem in quem ebullierit immittere. SEN. Qui nam liquor ad decocta ſumendus eſt? BRAS. Vt medici intentio exigit, ad aliquem aſſequendum finem: quãdoque enim in fontis aqua fieri debet, quãdoq; in aqua fluminis, quãdoq; in aqua pluuiali, quãdoq; in vino, quandoque in aliqua aqua ex his, quæ igne eliquatæ ſunt, quandoque in thermarum aquis, quandoque in vrina, quandoque in aqua ardente, & ita de aliis, ſicuti in lacte, in ſero, in aceto, in hepſemate, imò & in butyro nõnunquã decoctio ſit. SE. Hoc mirũ, videtur, quomodo in butyro aliqua coquãtur? BR. Imò mirũ non videatur, quoniã petroſelini folia, & apij in butyro quãdoq; co

quuntur, posteà supra pectẽ calida extẽdun tur. Ad vrinam prouocandam, ac dolores sedandos. SEN. Nónne aliqua plus coquun tur, aliqua minus? BRAS. Cur hoc petis? SEN. Vt discere possim, quæ'nam diutius coqui debent, & quæ breuius. BRAS. Hæc impræsentiarũ à te discenda sunt, cùm per sexaginta iam transactos annos hãc artem exercueris? SEN. Noui equidem, quæ maiorẽ ferant, & quę minorẽ decoctionẽ ex his, quæ in pharmacopolis seruamus. At abs te generales quasdam regulas scire percupio, quibus de omnibus simplicibus indiciũ ferre possim. BRA. Mihi prorsus mirum videbatur, te impræsentiarum hæc discere velle, quæ infinities exercuisti, verùm vt tibi morẽ geram de his nonnihil agemus, quæ breuiorẽ expetũt, & quę longiorẽ decoctionẽ, & vires nõ amittunt. Nam aliqua sunt, quæ breui tempore excocta effectum quẽpiam faciunt. diuinè verò excocta oppositum efficiũt prorsus. SEN. Hoc impossibile videtur. BRASSA. Imò verissimum est, en Galenus de brassica inquit quòd modicè excocta, ventrem subducit. diutius verò percocta, adstringit. Quod & Aristo. in problematibus diu ante Galeni ortũ testatus est, idémq; de lente censet, quòd in prima coctura subducit. in secunda verò, vt in

diutina ebullitione adſtringit. SEN. Hæc nunquam credidiſſem niſi à ſummis viris tam affectatè prodita eſſent. BRASSA. Neque vlli ex authoribus in his credẽdum voluerim, ſed experientia hoc comprobandum eſt. SEN. De his impræſentiarum agamus, quæ percoqui debent ac ſolent, & quę magnam, quéque paruam expetũt coctionem, contemplemur. BRASSA. Totum hoc negotium breuibus ad regulas quaſdã referam, quas ſi lubebit, memoriæ mãdare poteris. SEN. Illas apertis auribus expecto. BRASSA. Dicísne hoc, ac ſi quandoque clauſas aures habeas? SEN. Et ſi aures patulæ ſint, tamen tunc clauſæ dicuntur, cùm mens ipſa his non adhibetur, quæ ab aliquo referuntur. nunc verò vt hęc addiſcam, totus aures euadã, & Midam in hoc membro ſuperare contendam. BRASS. Omnia in regulas quaſdam digeram, quarum prima erit iſta.

Omnes flores facilis ſunt coctionis neq; multam ferre poſſunt decoctionẽ, ſed aliquos nullã, alios modicã ferre experientia conſtat. SEN. Non me latet aliquos flores modicã, alios nullam ferre decoctionem. BR. Violæ, roſę, boraginis flores, bugloſsi, ſerpilli, mẽthæ, ſaluiæ, amaraci, hyſſopi, ac ſimilium herbarum nullam prorſus ferunt

decoctionem, idcirco vel imponendi cum vltima ebullitio iam facta est, vel cum reliqua, quæ decoquūtur ab igne sunt remota. SEN. Ob quid harum herbarum flores tam modicam ferre possunt decoctionem? BRAS. Causa est substantiæ tenuitas, qua insigniti sunt, ob quam si per aliquod tēporis spatium ebullierint, eorum vis resolueretur, ac euanesceret, hoc nimirum propriū est simplicium, quæ tenui substantia, tenuibúsque partibus prædita sunt. SEN. De liliorum igitur floribus, qui crassam habent substantiam decoctionem perpeti dici poterit. BRAS. Patiuntur inquam, sed modicum, quoniam & ipsi tenelli sunt, & in superficie vires habent, à Galeno notatur florem hūc mistam habere tēperaturā, partim ex tenui, partim ex terrena essentia, hinc fit, vt sit amarus si gustu percipiatur, partim est ex aquea essentia, sed hac tēperata, vnde quia terrenus essentia, proptereà decoctionē aliquam ferre potest. at quia tenuis, idcirco id modicè feret. SE. De punicorū floribus quid dicēdū videtur? BR. Quid intelligis per punicorū flores? SE. Balaustium. BR. At balaustiū flos nō est. si verò per punicorū flores foliola illa rubra intelligas, quæ à balaustio pullulāt, dicimus foliola ista nullam ferre decoctionē, sicuti de

aliis

aliis dictum est tenellis floribus. balaustiũ verò maiorem fert decoctionem, ac ebullitionẽ. SE. De lauri autẽ floribus quid sentis? BR. Quod aliquam ferunt, sed modicam decoctionẽ, quoniã & vires habẽt ad profundã florũ partẽ permeãtes. SE. Multi arborũ flores extant, qui prædura substantia insigniti sunt, quid de illis sentire oportet? BR. Quòd decoctionem quampiam ferre possunt, & perforatæ flores quam ascyron vocãt, & sclareæ, quæ herba Sancti Ioãnis dicitur, modicã quidem ferre possunt decoctionẽ, tamen aliquam prorsus ferunt. SE. Herbarum folia súntne diu coquenda? BR. Nonnulla sunt, quę decoctionẽ minimè ferunt, aliqua quæ modicã, alia quæ ampliorem. SE. Hæc per regulas noscere optarem. BR. En hæc tibi sit obseruanda regula.

Herbæ quarũ folia in superficie vires habent, decoctionẽ paucã ferre possunt. Quæ verò in ꝓfundo viribus insignita sunt, maiorẽ expetũt decoctionẽ. SE. Qua arte percipiã herbarũ vires esse in superficie, & non in profundo? BR. Hic vnus est cognoscendi modus, cùm herbam quampiam manibus tractaueris, si post modicam tractationem odorem proprium amiserit, vim in superficie habere indiciũ est. si verò manibus herbam tractaueris, & quantò magis illam

tractas, tantò vehemẽtius odorẽ proprium ſpirat, hæc herba, vel hæc folia (nam de foliis verba facimus) ſuas habent in profundo vires. SEN. De hac regula in re nota exemplum expecto. BRA. En, ſi ozymi folia modice tractes, odorẽ prorſus amittũt, & ſi violas per manus modice duces, odorẽ breuiſſimè amittũt, & neſcio quid herbacei redolent. ſi quis verò lauri folia pertractauerit, quantò magis pertractantur, tantò magis odorem proprium ſpirant, idem de citri foliis iudicium eſt, & de vocatæ ſpicæ foliis. SE. Hinc igitur inferẽdum eſt, & ozymum, & violas ſuas habere in ſuperficie vires: ſpicam verò laurũ, & citri folia in profundo. BR. Ita profectò eſt, ſed aliã regulã audito.

Folia, quæ prædura ſunt, profundiorem vim magis habent, quamuis & aliqua prædura in ſuperficie habeant, ſed hoc rarius cõtingit, & in paucioribus fortè quàm enumerari poſsit. SEN. Ad reliqua iam progrediaris. BRAS. En progredior.

Radices, ligna, fructus, ac ſemina, diutinã ferre poſſunt decoctionẽ, regula tamen vniuerſalis nõ eſt, quoniã in his fallit, quę in ſuperficie vires habent. SE. Cortices etiã diutinam debent ferre poſſe decoctionẽ. BR. Et cortices, & lapides, & mineralia prædura ſunt, imò duriſsima coctu, & cum his

anim

animalium carnes numerari poſſunt. SEN. Tamen inter carnes aliquæ citiùs, aliquæ tardiùs decoquũtur, verũ quid de carnibus pertractare opus eſt? BR. Maximè quoniã ex veruccis carne fit decoctio pro clyſteriis in dyſenteria, & pro abluẽdo capite melancholicis, & iura fiunt ex caponibus, phaſianis, perdicibus medicata, multáq; medicamenta in carniũ iure inſumuntur, & ad impinguãdũ (quod eſt medici opus) carnibus indigemus, & carniũ iuribus, ac decoctis, & teſtudinis carnis decoctio, & cochlearũ hecticis tradũtur, imò & ex albo Galeni iure piſciculi decoquũtur, & ægrotantibus edẽdi præbentur, diu etiã ebulliri debent, quæ deẽſa ſunt craſſa & glutinoſa, & quę vires habẽt adſtringentes, inſuper quæ integra coquũtur, plus ebulliri debent, quàm quæ cõciſa & in minutas partes diſtincta, & adhuc minùs ebullire oportet, quæ in tenuiſsimũ puluerem redacta ſunt, pingua longiori indigẽt decoctione, & vehementer coquẽda ſunt coria. SE. Idcirco taurinum corium valde ebulliẽdum eſt, quando eo vti voluemus, ad vulnera, vel vlcera abluenda. BR. Oſtreacea diu ebullire oportet, & omnia quæ calloſam carnẽ habẽt, & quę prædurã, quæ aſperã. SE. Cãnarũ radicibus magna decoctio neceſſaria eſt. BRAS. Ita conſtat, cùm

cùm illis vtimur ad capillorũ,quod ex gallico affectu cõtractum est defluuiũ, & illas in lixiuio ebulliri facimus,tamen non sunt extremè decoquenda, & aliis etiam pręstò sunt, quibus ob alias pili decidunt causas. SEN. Odorata decoctionẽ minus ferre vidẽtur, quàm non odorata. BR. Hoc in multis verũ est, quæ in superficie odorẽ habẽt,sed illa, quæ in profundo habent decoctionem aliquã ferre possunt,fœtida diutius ebulliri oportet(modò non exigatur in alicuius curatione fœtor)vt fœtor ipse abeat. SE. In quibus affectibus conuenit fœtor? in nullò cõuenire arbitrabar. BR. Imò in multis conuenit,& pręsertim in vteri affectibus,ac pręfocationibus. SE. Reliqua iã ꝓsequaris. BR.

Omnia simplicia, quæ tenuiũ sunt partium, pauca indigent decoctione. quæ verò crassarum,pluri ac longiori. SEN. Est'ne hæc regula, quæ nunquam fallere posſit? BRASSA. Imò suas habet & hæc regula exceptiones, quoniam in his opus est vires non esse in superficie. nam cùm in superficie sunt, modicam decoctionem ferre constat. SEN. Mihi summopere placeret, vt negotium istud ad breuiſsimas quasdam regulas deduceres. BRASSA. Hoc quàm lubenter efficiam, hæc sit vna regula, & breuis.

Simplicia quæ vires habent maximè resolubiles, modicam decoctionem ferre possunt. SEN. Ob quas causas simplicium vires facilè resoluuntur? BRAS. Ob tres. SEN. Illas, ni piget, referto. BRAS. En,

Prima causa est, quia in eiuscemodi simplicis vis imbecilla est, ac pauca, & facilè resolubilis.

Secunda causa est, quia eiuscemodi simplex, vim illã qua insignitur in superficie habet, idcirco facilè ab ebullitione resoluitur.

Tertia causa est, quia simplex medicamentum, raram habet substantiam, vt eius vis facilè exire posit, tunc nimirum breui coquendum est, ne vis illa in raris contenta partibus exhalet.

SEN. Hæc videtur Mesue sententia. BR. Et est, quem putas fuisse Mesuen in medicis negotiis? SEN. Virum probum. BRAS. Et diligentissimum, si quis alter vnquàm diligentia vsus est in rebus medicis. SEN. Ab hoc authore scriptum est, semina maiora frigida decoctionem minimè ferre, ego sæpius hoc consideraui, & mihi semper visum est, aliquam posse ferre decoctionem eiuscemodi semina. BRASSA. Imò mediocrem ferre poterunt, quia raram non habent substantiam peponum semina &

na & cucurbitarum, ac aliorum communiū maiorū ſemina, neq; vires ſuas in ſuperficie habent, ſed in profundū vſq; penetrant, neque eorum vires adeò tenues ſunt, vt in decoctione euaneſcant, propterea concedēdum eſt ſemina maiora frigida, decoctionē ſi non mediocrem, ſaltem aliquam ferre poſſe. De adianto verò, violis, ac floribus verum prorſus eſt, quod decoctionē minimè ferūt: cùm, quia vires habent in ſuperficie ſitas, tum quia modicæ ſunt: tum quia raram habēt ſubſtantiam, ſi violas vel pauxillum manibus tractabis odorē amittunt, & herbaceum quid redolent: audito verò & aliam regulam.

Vnumquodq; denſæ ſubſtantiæ ſimplex medicamentum, modò imbecillas vires nō habeat, & in ſuperficie, magnam decoctionem ferre poteſt.

Medicamenta, quæ vires in profundo habent, modò non ſint modicæ, nec raræ texturæ ſint ipſa, diutinam decoctionem ferre poſſunt. Simplicia omnia, quorū vis difficulter reſoluitur, diutinam ac amplā ferunt decoctionem, modò eorum vis non ſit adeò modica vt facilè reſoluatur. SEN. Iā in genere noſco, quæ ſimplicia decoctionē minimè ferunt, & quæ maximè ferunt. BR. Si hæc habes inter ipſa extrema cognoſcis.

opus

opus autem est, vt mente concipias aliqua esse inter hęc duo extrema, media, quæ mediocrem ferunt decoctionem, cùm aliqua sint, quæ neq; modicam, neque amplam ferant decoctionem. SEN. Maximum debet esse inter eiuscemodi extrema spatiũ. BR. Magnam habent ipsa extrema latitudinẽ, & maximum inter ipsa spatium, si ab his discedamus, quæ nullam vel modicam decoctionem expetunt, & ad illa progrediamur, quæ amplissimã ferũt & maximã decoctionem. SEN. Optarem summopere, vt hæc singulatim referres, & quæ in extremis sunt, & quæ in medio BRAS. Singulatim? quid putares me facturũ, si hæc singulatim essem allaturus? opus esset, vt de vnoquoq; simplici medicamento verba facerem, & omnia in medium afferrem, & ex tenui ac exili libello immẽsum volumen pararem. At non sum hæc omnia impræsentiarũ tractaturus. SE. Id saltem edoceto cur simplicia decoquãtur medicamenta. BRAS. Multæ sunt huius, quam petis rei causæ. Vna est vt medicamenti vis in aliquem liquorem quo bibi posit transeũdo accommodetur, siue eo posint aliqua corporis mẽbra ablui, siue quia medicamentum aliquod nimis acre sit, vt acredinem deponat, siue vt in ipso vis aliqua, seu venenosa, seu huma-

næ vitæ aduersa corrigatur: siue vt emollescat, & aliis rebus faciliùs cõmisceri posſit. Decoctiones verò plerunque cum oppoſitis fiunt, vt quæpiam venenoſa vis ab aliquo ſimplici medicamento demeretur, ebullitur nonnunquam vt maſticari facilè poſsit, nonnullos vidi, qui pyrethium ebulliri faciebãt, vt maximã quam habet acredinem deponeret, & faciliùs maſticari poſſet. SE. In decoquendo vires amiſiſſe debuit. BR. Si non penitus ſaltem maiorem amiſerat partem, guſtaui tunc, modicum acredinis erat illi derelictum. at ſaliuam minimè excitabat, vt ſui moris eſt, & nomen habet herba ſaliuaris, aſt modicũ quid acredinis adhùc ſeruauerat, imò & pro cibis multa coquuntur, quæ aliôqui cruda minimè eſitarentur, vt de Ari radice Galenus ſcripſit, & ſucci, quos in pharmacopolis ſeruatis, niſi coquerentur diu, ſeruari nõ poſſent, & pinguedines à vobis coquuntur, vt diutius ſeruẽtur, & ne rancidæ euadant. SEN. Imò & ſyrupi ſunt decocti, & multa alia in noſtris pharmacopolis. BRAS. Veiũtamen multæ ſunt herbarum decoctiones, quæ à medico pro ægrotis indicũtur. SE. Multæ quidem ſunt, ſed nullæ ſeruãtur. tũc verò fiunt, cùm medicus illas indicit. BRAS. Imò multæ mulieribus, & ægroto aſsiſtentibus indicũtur,

inſcio pharmacopola, vt ſunt clyſmatum decoctiones, quas Ferrarienſes mulieres ſeruant, cùm quempiam habẽt ægrotum, qui minimè excernat, & illas conficiunt. SEN. Et nos pharmacopolæ multas conficimus pro clyſmatibus decoctiones. BRAS. Tamen non ſeruatis. SE. Seruamus, cùm quiſpiam ægrotus clyſmata ſępe recepturus ſit. BRAS. At Ferrarienſes mulieres decoctiones ſeruant, quæ cõmunes vocantur. SE. Ex quibus cõficiunt? BRAS. Ex maluis & violis, vel ex maluis, & violis, ac hordeo, vel ex maluis, violis, mercuriali, ac hordeo, quandoque betam addunt, quandoque braſsicarum folia, quandoque furfur ſimul ebulliunt, ſed hîc non eſt de his tractandi locus, ſat fuit decoctiones indicaſſe, quæ à mulieribus fiunt, & quas non conficiunt pharmacopolæ, neque ſeruant. SEN. Alia proſequaris. BRASSA. Fiunt & aliæ decoctiones ad diuerſas intentiones à mulieribus, quas pharmacopolæ non faciunt, vt illæ ſunt, quæ in phrenitide ad conciliandum ſomnum adhibentur, & ad vigilias inducendas, in cathoco. SENEX. Ex quibus conficiuntur? BRASSA. In phrenitide ex perſicorum foliis, lactucæ, portulacæ, nympheæ floribus, roſarum, vitium foliis ac ſalicum, & hoc decocto per multos

dies vtuntur in lethargo. fiunt ex chamæmeli floribus, meliloto, stœcade, baccara, capillis Veneris, hyssopo, & multa insuper decocta à medicis mulieribus indicuntur, quæ à pharmacopolis non fiunt, neque ipsis indicũtur. SE. Nos fructuũ decoctionẽ paramus, & alias multas ex herbis, pro syrupis aquarum vice liquefaciẽdis. BRAS. Hoc non me latet, & plerunq; aquarum loco cuiuspiam herbæ decoctum fieri iubeo, cùm frigida aqua vti voluerim. nam aquæ illæ, quæ vi ignis eliquãtur, si herba sit frigida, ipsius frigiditatem minimè seruãt, idcirco iubeo, vt ex eisdem herbis quibus indigemus decoctum efficiatur, ex quo syrupum liquefieri moneo, vt facilè bibi possit. SEN. Alias audiui te de aquis vi ignis eliquatis verba facientem, & illas haud magnopere probantem. BRAS. Imò aliquas probo huius generis aquas, calidas videlicet, alias nõ probo, videlicet frigidas. at hic locus nõ est de aquis vi ignis eliquatis pertractãdi, cùm de ipsis (vt nosti) seorsum egerimus, imò tu ipse videris in ea parte dux facti. SEN. Iam memoria habeo. at diu est quòd pertractatæ sunt, idcirco nõ mirum si nunc in promptu non sint, senio pręsertim obliuionem inducente, sed ad rem ipsam de qua agere cœpimus, redeamus. BRAS. In simplicib

plicibus præterea contemplandum eſt, quæ terreæ ſint ſubſtantiæ, quæ aëreæ, & quæ aqueæ, & in his perpẽdenda ſunt illa in quibus terrea ſubſtãtia attenuata eſt, & in quibus aquea, atque aërea. nam maiorem ferrent decoctionẽ, quæ terrea ſubſtantia prędita ſunt, & non attenuata: minorem quæ aqueam, minimam quę aëream. de his verò in ſuis de ſimplicium medicamentorum libris Galenus plenè egit. SEN. Neque iſtud prætermittẽdum erat, verũ in noſtris pharmacopolis nulla decocta ſeruãtur, ſed tunc à nobis fiunt, cùm medici pro eorũ ægrotis curãdis illis indigẽt. BRAS. Neq; immeritò, quoniã hęc herbarũ decocta pro faciẽdis fomentis, ſiue lotionibus, ſiue pro catharcticis diſſoluendis medicamentis, ſi per triduũ ſeruentur, putreſcere ſolent, vt eſt fructuũ decoctio, ac ſimiles aliæ, quę breui corrumpũtur, propterea nõ ſeruãtur, & vt ſunt clyſmatũ decoctiones, quæ per octo tantũ dies plus minus perdurare ſolent, poſteà & ipſæ corrumpũtur. SE. Vnũ eſt decoctũ nuper inuentũ, quod adeò diuerſo modo fieri video, vt ipſi diuerſi ſunt facie pharmacopolæ. BR. Quódnam iſtud eſt? SE. Indici ligni decoctũ, obſecro te vt verũ decoquendi modum mihi aperias. BR. De eo in morbi gallici curatione egimus, imò multi ſunt

decoquẽdi modi. SE. Et hos abs te ſcire ardenter exopto. BRAS. In gallici morbi curatione ſcripti ſunt, tu locũ illum legere poteris in noſtris ſupra ſecũdum Epidemiorũ Hipp. librũ Cõmentariis. SE. Optarẽ vt à te nunc repeterẽtur. BRAS. Vis ergo vt gallici morbi curationẽ repetam? SE. Quid poterit mihi gratius cõtingere, imò ſupplex, vt hoc agas oro, obſecro, ac efflagito. BR. Cũ rationẽ igitur ab initio repetã, illã audito.

DE MORBI, GALLICI VOCATI, CVRATIONE.

NOn pauca occurrũt cõſiderãda, priuſquam ad morbi gallici curationem accedamus, quæ erunt veluti præludia ad affectum probè intelligẽdum, probéq; curandum. Primò autem nominis ratio conſideranda venit: ab Italis gallicus affectus vocatur, à Gallis autem morbus Neapolitanus. gallicus morbus à noſtris vocatus eſt, quia tunc viſus eſt in Italia à Gallis deportatus, cùm Carolus huius nominis octauus Francorum Rex maximo cũ exercitu Neapolim obſedit, & 1485. magna cum gloria cepit, tunc noua hæc lues Italiã vexare cœpit, primóq; Neapolitanos, ac Gallos inuaſit, vnde ab ipſis Gallis gallicũ affectũ Itali nominarũt Galli verò à loco in quo primò viſus eſt, Neapolitanum potiùs nuncupandum

dum censuerunt. Vel dicamus gallicũ fuisse nuncupatum, quia eodem tẽpore Italia, & Gallis, & hac lue fuit infestata. rei verò summa est, luem hanc tunc cœpisse, cùm Galli Italiam infestarũt, & Carolus octauus Frãcorum Rex Neapolim sub ditionẽ posuit, hæc est nominis ratio, & nulla alia, quanquã & nõnulli indicũ morbũ voluerint appellatũ, quia morbus est indicis peculiaris.

Nicolaus Leonicenus in libello, quẽ de morbo gallico edidit, morbum gallicũ hoc modo definire, vel potiùs describere tentauit, pustulæ sunt ab obscœnis partibus incipientes, mox totum corpus, atq; ipsam precipuè faciem occupantes, præter fœditatẽ, magnum insuper cruciatum plerunq; afferentes, quæ descriptio (ne præceptori repugnare videar) Leoniceni tẽpore huic morbo conueniebat. nam cùm hic morbus vexare cœpit, statim de illo scripsit Leonicenus, idcirco modi illi affectus ac symptomatũ nondum erant perfectè noti, sub quibus oriebatur, neq; quot modis, & per quot vias homines aggredi posset, planum erat, propterea vnamquanque huius descriptionis particulam desideremus, & post Leoniceni tempora multum euariasse ostendamus. Primò igitur dicit, pustulæ sunt à partibus obscœnis incipientes, mox

totum corpus, atq; ipſam præcipuè faciem occupantes. veruntamen affectus hic nonnunquam abſq; puſtulis contingit (vt vnicuique planum eſſe poteſt) vel ſaltem, quæ totum corpus nedum faciem occupent, inſuper nonnulli doloribus ſolis capiuntur, & nulla afficiũtur puſtula, alij nullam etiã habent puſtulam: tamen præduros tumores per totum corpus habẽt ſparſos, & nonnunquam in capite tantùm ſunt, neque à pudendis ſemper incipit, ſed quandoq; ab ore, quandoque à mammis, quandoque ab ano, quandoq; ab inſenſibilibus meatibus (licet hoc rariſsimum ſit) ab his nimirum omnibus partibus initium habet, vt ſuperioribus annis affectum gallicum in tres ſimplices ſpecies deſtinxerimus.

In illam, in qua aderant ſolæ puſtulæ, & cruſtæ, & hoc genus gallicam ſcabiem vocare conſueuimus.

Et in illam, in qua tantùm adſunt dolores, & hanc dolores gallicos nũcupauimus.

Et in illam, in qua ſunt tantùm præduri tumores, & hanc tumores gallicos, vel duricies gallicas nominare conſueuimus.

Hæ ſunt ſimplices huius affectus ſpecies, ex quibus tres compoſitæ reſultabant. Vna harum erat in qua ſimul puſtulæ adſunt, & dolores, quæ ſcabies gallica cum doloribus

nun

nuncupanda erat. hîc verò per puſtulas vlcera etiam intelligere oportet, & cruſtas, tam latas, quàm arctas, & mediocres.

Alia ſpecies erat, in qua puſtulæ complicabantur, ſimul, & duricies, vel tumores, quæ vocari poterat ſcabies gallica, cũ præduris tumoribus.

Tertia ſpecies erat cũ doloribus, & præduris tumoribus, quæ vocari poterat, dolores gallici, cum præduris tumoribus.

Ad tres has ſpecies illa accedit, in qua tres ſimplices ſpecies complicatæ ſunt, videlicet dolores, præduri tumores, & quandoq; molles, & puſtulæ quę vocari poterat, ſcabies gallica, cũ tumoribus, ac doloribus.

At à viginti annis citrà, aliæ quædã ſpecies ortum habuêre, quæ an ad declinãtem morbum ſequãtur, an aliquo modo immutatum ſit genus, ambigendum eſſet. quinque verò ſunt potiſsimùm modi, quos referre non pigebit.

Vnus eſt, qui vulgò pellarola vocatur, vel defluuiũ pilorũ, ab aliquibus alopecia, ſed alterius generis ab ea de qua mẽtionem faciunt authores, qui modus homines ridiculos reddit, cùm capilli deciderint, barba, cilia, ſupercilia, & palpebrarum pili: nullus etenim eſt, qui hos videat ita depilatos, & non rideat, vt nõnunquã ob riſum ploratũ

ſequi viderim.nam quiſpiam expilatus ridentem vulnerauit,& obiit,ægrè ferens,vt ridendo illum divideret.

Alius eſt modus, qui vulgò dicitur dentarola,quoniam dentes patienti decidunt, & hic modus quandoq; talis incipit,quandoq; ad pilorum defluuium conſequitur.

Tertius modus, eſt vnguium caſus, qui plerunq; ad defluuium pilorum ſequitur, tamen & nõnunquã vngues ipſi decidunt, & nihil aliud mali patiuntur, quia natura venenoſam morbi gallici qualitatẽ ad has partes vti à centro remotiſsimas tranſmittit. veruntamen rarò contingere ſolet,quin ad pilorum defluuiũ ſequatur vulgus,hunc modum vocat vngiarola.

Quartus modus eſt cæteris deterior & ſummè verendus, in quo homines oculos amittunt,& occhiarolam vulgò nuncupãt, modus hic quandoque incipiens fit, quandoq; ad pilorum defluuium ſequitur,quandoq; ad dentium defluuium.

Quintus modus eſt gonorrhœa,nã gallicus affectus ex gonorrhœa incipit,& poſteà pilorum defluuium ſequitur, quãdoque incipit à gonorrhœa& in gonorrhœã finit. nã nihil aliud ad illã ſequitur, quàm quod ipſa perſeuerat,neq; facilè euinci poteſt,ſed neceſſariũ eſt,ſi ſedari debeat,generoſis vti præſid

præsidiis, de quibus posteà verba faciemus.

Ante vigesimum annum hi non aderant modi, qui complicari possunt, & nonnunquam cum prædictis tribus simplicibus speciebus complicari possunt, multæ'que fient specierum complicationes, quas omnes in ordinẽ reddemus. primò simplices species enumerantes, posteà cõplicationes omnes, quæ fieri possunt annotãtes. A' simplicibus igitur ita exordiamur.

Scabies gallicæ
Dolores gallici
Tumores gallici
Defluuium pilorum
Defluuium dentium
Vnguium casus
Oculorum amisio vel peruersio
Gonorrhœa

Hæc sunt simplices species ex quibus .28. oriuntur duplices, videlicet,

Scabies gallica cum doloribus,
Scabies gallica cum tumoribus,
Scabies gallica cum defluuio pilorum,
Scabies gallica cum dentium casu,
Scabies gallica cum vnguium casu,
Scabies gallica cum oculorum amisione,
Scabies gallica cum gonorrhœa,
Dolores gallici cum tumoribus,
Dolores gallici cum defluuio pilorum,

Dolores gallici cum dentium casu,
Dolores gallici cum vnguium casu,
Dolores gallici cum amissione oculorum,
Dolores gallici cum gonorrhœa,
Tumores gallici cum defluuio pilorum,
Tumores gallici cum dentium casu,
Tumores gallici cum vnguium casu,
Tumores gallici cum oculorũ amissione,
Tumores gallici cum gonorrhœa,
Defluuium pilorum cum dentium casu,
Defluuium pilorum cum vnguium casu,
Defluuium pilorũ cum oculorũ amissione,
Defluuium pilorum cum gonorrhœa,
Dentium casus cum vnguium casu,
Dentium casus cum oculorum amissione,
Dentium casus cum gonorrhœa,
Vnguium casus cum oculorum amissione,
Vnguium casus cum gonorrhœa,
Oculorum amissio cum gonorrhœa,
Post duplices species quæ viginti octo sunt, triplices sequuntur species, quæ ex tribus simplicibus fiunt complicatis, & sunt numero quinquaginta sex, videlicet
Scabies gallica cũ doloribus & tumoribus,
Scabies gallica cum doloribus & defluuio pilorum,
Scabies gallica cum doloribus & dentium defluuio,
Scabies gallic. cũ doloribus & vnguiũ casu,

Scabies gallica cũ doloribus, & oculorum amiſsione,
Scabies gall.cum doloribus & gonorrhœa,
Scabies gallica cum tumoribus & pilorum defiuuio,
Scab.gall.cum tumoribus & caſu dentium,
Scabies galli.cũ tumoribus & vnguiũ caſu,
Scabies gallica cum tumoribus & oculorum amiſsione,
Scabies galli. cũ tumoribus & gonorrhœa,
Scabies gallica cum defluuio pilorum & caſu dentium,
Scabies gallica cum defluuio pilorum & caſu vnguium,
Scabies gallica cum defluuio pilorũ & oculorum amiſsione,
Scabies gallica cum defluuio pilorum & gonorrhœa,
Scabies gallica cum dentium caſu & vnguium caſu,
Scabies gallica cum dentium caſu & oculorum amiſsione,
Scab. galli.cum dentiũ caſu & gonorrhœa,
Scabies gallica cum vnguium caſu, & oculorum amiſsione,
Scab. gall.cum vnguiũ caſu & gonorrhœa,
Scabies gallica cum oculorum amiſsione & gonorrhœa,
Dolores gallici cum tumoribus & pilorum

defl

defluuio,
Dolores gallici cum tumoribus & dentium defluuio,
Dolores gall. cũ tumoribus & vnguiũ casu,
Dolores gallici cum tumoribus & oculorum amissione,
Dolores gall. cũ tumoribus & gonorrhœa,
Dolores gallici cum defluuio pilorum, & dentium casu,
Dolores gallici cum defluuio pilorum & vnguium casu,
Dolores gallici cum defluuio pilorum & oculorum amissione,
Dolores gallici cum defluuio pilorum & gonorrhœa,
Dolores gallici cum defluuio dentium & casu vnguium,
Dolores gallici cum defluuio dentium & oculorum amissione,
Dolores gallici cum defluuio dentium & gonorrhœa,
Dolores gallici cum vnguium casu & oculorum amissione,
Dolores gallici cum vnguium casu & gonorrhœa,
Dolores gallici cum oculorum amissione & gonorrhœa,
Tumores gallici cum casu pilorum & casu dentium,

Tumores

Tumores gallici cum caſu pilorum & caſu vnguium,
Tumores gallici cum caſu pilorum & oculorum amiſsione,
Tumores gallici cum caſu pilorum & gonorrhœa,
Tumores gallici cum caſu dentium & caſu vnguium,
Tumores gallici cum caſu dentium & oculorum amiſsione,
Tumores gallici cum caſu dentium & gonorrhœa,
Tumores gallici cum caſu vnguium & oculorum amiſsione,
Tumores gallici cum caſu vnguium & gonorrhœa,
Tumores gallici cum oculorum amiſsione & gonorrhœa,
Defluuium pilorum cum caſu dentium & caſu vnguium,
Defluuium pilorum cum caſu dentium & oculorum amiſsione,
Defluuium pilorum cum caſu dentium & gonorrhœa,
Defluuium pilorum cum caſu vnguium & oculorum amiſsione,
Defluuium pilorum cum caſu vnguium & gonorrhœa,
Defluuium pilorum cum oculorum amiſsione

fione

ſione & gonorrhœa,
Caſus dentium cum caſu vnguium & oculorum amiſsione,
Caſus dentium cum caſu vnguium & gonorrhœa,
Caſus dentium cum oculorum amiſsione & gonorrhœa,
Vnguium caſus cum oculorum amiſsione & gonorrhœa.
Poſt ſpecies triplices, quę quinquaginta ſex ſunt, ſpecies quadruplices numerare oportet, hoc eſt, quæ ſunt ex quatuor paſsionum prędictarum complicatione, & ſunt numero ſexagintaquatuor, videlicet,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, & defluuio pilorum,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, & dentium caſu,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, & vnguium caſu,
Scabies gallica, cũ doloribus gallicis, tumoribus gallicis, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, & caſu dentium,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, & caſu vnguium,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio

fluuio pilorum,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis, defluuio pilorum,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis, defluuio dentium,& caſu vnguium,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,defluuio dentium,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis, defluuio dentium,& gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, caſu vnguium,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis, caſu vnguium,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,oculorum amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis defluuio pilorum,ac caſu dentium,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis, defluuio pilorum,& caſu vnguium,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis , defluuio pilorum,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis , defluuio pilorum,& gonorrhœa,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis , defluuio dentium,& caſu vnguium,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis , defluuio dentium,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica , cũ tumoribus gallicis , defluuio dentium,& gonorrhœa,

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, casu vnguium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, casu vnguium, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, amiſsione oculorum, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, & vnguium caſu,
Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu vnguium, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum defluuio dentium, casu vnguium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum defluuio dentium, casu vnguium, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, & caſu dentium,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, & caſu vnguium,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, & oculorũ amiſsione,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio

defluuio pilorum,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium,& casu vnguium,
Dolores gallici, cũ tumoribus gallicis, defluuio dentium,& oculorum amißione,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum pilorũ defluuio, dentium casu,& casu vnguium,
Dolores gallici, cum pilorũ defluuio, dentium casu,& oculorum amißione,
Dolores gallici, cum pilorũ defluuio, dentium casu,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium,& oculorum amißione,
Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum defluuio pilorũ, oculorum amißione,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium,& oculorum amißione,
Dolores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum defluuio dentiũ, oculorum amißione,& gonorrhœa,
Dolores gallici, cum casu vnguium, oculorum amißione,& gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, dentium casu,& vnguium casu,

Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, dentium caſu, & oculorum amiſsione,
Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, dentium caſu, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,
Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, caſu vnguium, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorũ, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio dentiũ, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,
Tumores gallici, cum defluuio dentiũ, caſu vnguium, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio dentiũ, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Defluuium pilorũ, cum defluuio dentium, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,
Defluuium pilorũ, cum defluuio dentium, caſu vnguium, & gonorrhœa,
Defluuium pilorũ, cum defluuio dentium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Defluuium pilorum, cum caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Defluuium dentium, cum caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa.

Nunc illa ſequũtur, quæ ſpecies, vel modos faciũt per complicationem ſimul quinque ſimpliciũ ſpecierum, & ſunt numero qua-

dragintaſeptem.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, & caſu dentium,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorũ, & caſu vnguium,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorũ, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentium, & caſu vnguium,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cũ doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentiũ, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu vnguium, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, oculorum amiſsione,

& gonorrhœa,

Scabies gallica,cũ doloribus gallicis,defluuio pilorũ,casu dentiũ,& vnguium casu,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis,defluuio pilorum,casu dentium, & oculorum amiſsione,

Scabies gallica,cũ doloribus gallicis, defluuio pilorũ,casu dentium,& gonorrhœa,

Scab.gall.cũ dolorib.gallicis, defluuio dentiũ,casu vnguium,& oculorũ amiſsione,

Scabies gallica,cũ doloribus gallicis, defluuio dentiũ, casu vnguiũ, & gonorrhœa,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis, defluuio dentium, oculorum amiſsione,& gonorrhœa.

Scabies gallica,cũ dolorib.gallicis, casu vnguiũ,oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,

Scabies gallica,cũ tumorib.gallicis, defluuio pilorũ,casu dentium,& casu vnguiũ,

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum,casu dentium, & oculorum amiſsione,

Scabies gallica,cũ tumorib.gallicis, defluuio pilorũ,casu dentium,& gonorrhœa,

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum,casu vnguium, & oculorum amiſsione,

Scab.gallic.cũ tumorib .gallicis, defluuio pilorum,casu vnguium, & gonorrhœa.

Scab

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,

Scabies gallica, cũ tumorib. gallicis, defluuio dentiũ, caſu vnguiũ, & gonorrhœa,

Scabies galli. cũ tumorib. gallicis, caſu vnguiũ, oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,

Scab. gallica, cũ defluuio pilorũ, caſu dẽtiũ, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu dentiũ, caſu vnguium, & gonorrhœa,

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu vnguium, cum oculorum amiſsione, & gonorrhœa,

Scabies gallica, cũ defluuio dẽtiũ, caſu vnguiũ, oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,

Dolores gall. cũ tumorib. gallicis, defluuio pilorum, caſu dẽtium, & caſu vnguium,

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, & oculorum amiſsione,

Dolores gallici, cũ tumorib. gallicis, defluuio pilorũ, caſu dentium, & gonorrhœa,

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium, & oculorum amiſsione,

Dolores gallici cũ tumorib gallicis, defluuio dẽtium, caſu vnguiũ. & gonorrhœa,

Dolores gallici, cũ tumoribus gallicis de-

fluuio dentium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cũ tumoribus gallicis, caſu vnguiũ, oculorũ amiſsiõe, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cũ defluuio pilorũ, caſu dentiũ, & vnguium, cum oculorũ amiſsione,
Dolores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, & vnguiũ, cum gonorrhœa,
Dolores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, cum oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cũ defluuio pilorũ, caſu vnguiũ, oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cũ defluuio dentiũ, caſu vnguiũ, oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, & vnguium caſu, cum oculorum amiſsione,
Tumores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, cum vnguium caſu, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, cum oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio pilorum, caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Tumores gallici, cum defluuio dentium, caſu vnguium, cum oculorum amiſsione

ne,& gonorrhœa,

Defluuium pilorum, cum caſu dentium, cum caſu vnguium, oculorum amiſsione,& gonorrhœa.

Poſt hos quadragintaſeptem modos, qui ſunt per complicationem quinque ſimul ſimplicium modorum, ſequuntur vigintiduo modi, qui ſunt ex complicatione ſex modorum ſimplicium ſimul, videlicet,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis,tumoribus gallicis,defluuio pilorum,caſu dentium,& caſu vnguium,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis,tumoribus gallicis,defluuio pilorum, caſu dentium,& oculorum amiſsione,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis,defluuio pilorum,caſu dentium,& gonorrhœa,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis,tumoribus gallicis,defluuio pilorum, caſu vnguium,& oculorum amiſsione,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis,tumoribus gallicis,pilorum defluuio,caſu vnguium,& gonorrhœa,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis,defluuio pilorum,oculorum amiſsione,& gonorrhœa,

Scabies gallica,cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis,dentium caſu, caſu vn-

 guium

guium,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu vnguium, oculorum amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,defluuio pilorum, caſu dentium, caſu vnguium,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,defluuio pilorum, caſu dentium, caſu vnguium,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,defluuio dẽtium,caſu vnguium, oculorum amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica , cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum,caſu dentiũ, vnguium caſu,& oculorum amiſsione,
Scabies gallica , cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum,caſu dentiũ,vnguium caſu,& gonorrhœa,
Scabies gallica , cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum,dentium.caſu, oculorum amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica , cum tumoribus gallicis, defluuio dentium,caſu vnguium,oculorum amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cum defluuio pilorum, caſu

ſu dentium, vnguium caſu, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, vnguium caſu, & oculorum amiſsione,

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, vnguiũ caſu, & gonorrhœa,

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, dentium caſu, caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, caſu dentium, caſu vnguium, oculorum amiſsione, & gonorrhœa.

Poſt viginti duos modos ex miſtione ſex ſimplicium modorum ſimul, octo ſequuntur modi per complicationem ſeptem ſimplicium modorum, videlicet,

Scabies gallica, cũ doloribus gallicis, tumorib. gallicis, defluuio pilorũ, caſu dentiũ, vnguium caſu, & oculorum amiſsione,

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, caſu vnguium, & gonorrhœa,

Scabies gallica, cũ doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorũ, caſu dentium

tium,oculorũ amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cũ doloribus gallicis,tumoribus gallicis,defluuio pilorum,caſu vnguiũ,oculorũ amiſsione,& gonorrhœa,
Scabies gallica,cũ doloribus gallicis,tumoribus gallicis, defluuio dẽtium, caſu vnguiũ,oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorũ,caſu vnguium, dentium caſu,oculorũ amiſsione, & gonorrhœa,
Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorũ,caſu dẽtiũ, caſu vnguiũ, oculorum amiſsione, & gonorrhœa,
Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorũ,caſu dẽtiũ,caſu vnguiũ, oculorum amiſsione, & gonorrhœa.
Poſt ſpecies illas, quæ variationem habent per ſeptem, & octo ſunt ſpecies,illæ ſequũtur, quæ variationem habẽt per octo cõditiones. Verum cùm tantùm octo ſint cõditiones, quæ octo faciunt ſimplices ſpecies, idcirco erit tantùm vna ſpecies,quę omnes octo habebit conditiones, & omnes ſimplices ſpecies complectetur, videlicet,
Scabies gallica,cum doloribus gallicis,tumoribus gallicis,defluuio pilorum,caſu dẽtium,vnguium caſu, oculorum amiſſione,& gonorrhœa.
Homo ille, qui has omnes conditiones habebit

bebit, gallicum morbum exquiſitiſsimè patietur, cui ad hoc vſque tempus nihil addi poſſe certum eſt, niſi alia de nouo emerſerint, quæ variationem facere poſsint, ſicuti de nouo citra annos viginti, pilorum defluuium, dentium caſus, & vnguium, oculorum amiſsio, & gonorrhœa cõtigere, hæq́; cõplicata vt ſuperius annotauimus, ita diſtinctè contingunt, vt diſtinctæ ſpecies videri poſsint.

Erunt ergo ducẽtæ, & trigintaquatuor morbi gallici ſpecies, ſiue modi, octo ſimplices, vigintiocto per cõplicationẽ ſimul duorũ ſimpliciũ modorũ, quinquagintaſex per complicationem ſimul trium modorũ, ſexagintaquatuor per cõplicationẽ ſimul quatuor modorum, quadragintaſeptẽ per complicationem ſimul quinq; ſimplicium modorum, vigintiduæ per complicationẽ ſimul octo modorum, octo per complicationem ſimul ſeptem ſimplicium modorũ. vnicus verò eſt, & ſolus modus per cõplicationem ſimul omnium octo modorum. ſi verò vnà colligantur, erunt modi. 234. Ex his verò modis planum eſt Leoniceni definitionem his omnibus modis, & ſeorſum, & coniunctim non conuenire.

Nũc verò quid ſit in genere morbus gallicus, vel affectus iſte vocatus gallicus cõtẽ-

plandum

plandũ est, adsunt nimirũ Galeni methodi, per quas facilè in generalem vniuscuiusq; morbi cognitionem deuenire possumus, morbi dico etiã innominati, & ampliùs nõ visi, in quo genere sit, neque modus deest generales differẽtias ipsius morbi inueniẽdi, affectũ gallicũ morbũ esse, morbi definitio quæ ex Galeno sumitur in primo de morborum causis ac differẽtiis planissimè ostendit. nam morbus, dispositio est præter naturã, qua corporis actiones sensibiliter ledduntur. Affectũ gallicũ dispositionẽ esse præter naturam nemo inficias it: non enim naturalis est, sed potiùs naturæ opposita, hunc insuper morbũ operationes lædere, & actiones manifestè patet. nã & motiuæ vires, & omnes aliæ tam intrinsecæ quàm extrinsecę ledũtur. Hinc igitur facilè colligi potest affectum gallicũ morbũ esse. cùm verò morbus amplũ genus sit, sub quo species non paucæ continentur, idcirco in qua specie sit hic morbus, inquirendum venit. Tres autẽ sunt in genere vniuersales morborum species, quæ tria vniuersalia genera vocantur, videlicet praua temperies, praua cõpositio, & continui solutio. Nã opus est, si corpus sanũ esse debeat, vt bonã habeat in quatuor qualitatibus tẽperiẽ, vel illam saltẽ, quæ sibi cõueniẽs est, bonã prætereà

comp-

compositionē habere debet, si integra sanitate fruatur. eiuscemodi autē bona cōpositio multas exigit cōditiones, vt Galen. monet in primo de morborum causis, & in arte medicinali, verū omnes has conditiones ad quatuor reduxit, videlicet ad debitā & cōuenientē mēbri cōformationē, ad numerum partiū, quę tot sint, quot exiguntur, ad perfectā mēbri & totius symmetriā, & ad decentē quātitatē, ne nimis magna sit pars, quàm esse debeat, & ne nimis parua, & ad bonam dispositionē. hę verò omnes partes, quæ in debito sunt numero, ac debita quantitate, cōtinuæ etiā ad inuicē esse debēt, & non separatę, si homo sanitate frui debeat.

Quærendum igitur est, in quo horū triū genere sit morbus gallicus. An, scilicet sit praua qualitas, vel praua cōpositio, vel solutio cōtinui, respondendum est si de morbo gallico in genere loquamur, fateri oportere morbū gallicum esse in vnaquaq; specie, ex his tribus. Nā cùm vlcera adsunt, pustulæ, crustæ, tumores præter naturā, significatur morbū esse in solutione cōtinui. pustulæ verò illæ, & illa vlcera fieri nequeunt, nisi sanguis, & corporis humores prauā habeant qualitatem, acrem, & erodentē, & febrem plerunque iunctā habent. Est ergo & in praua qualitate morbus. esse verò & in

compoſitione morbum,ex hoc planum eſt, quia eſt morbus(vt omnes fatentur)in mẽbris organicis. Videmus autem in nonnullis brachia præter ſuam naturã extenuari, & crura ſupra ſuam naturã augeri, ac intumeſcere,vt morbum in compoſitione incidãt,quæ eſt debita membrorum formatio, quam plaſmationem vocauit Galenus. Eſt ergo in cõpoſitione morbus,quo ad figurã, quo ad membrorum quãtitatem,& quo ad diſpoſitionem,vt omnia generalia morborum genera complectatur, hęcq́; in genere intelligenda eſſe admonemus.

Si verò de morbi gallici ſpeciebus particulariter loquamur, ſingulatim de vnaquaq; contemplandum erit. Sunt verò octo ſimplices ſpecies, quibus conſideratis cõpoſitę omnes planę erũt,& manifeſtę. à ſcabie verò gallica incipiamus. nam ita vocatur, cùm puſtulæ adſunt, & vlcera, ac cruſtæ,in hac adeſt continui ſolutio manifeſta, quæ cum humoribus fit prauam qualitatẽ habẽtibus, ãcrem, & exedentem, vnáque praua adeſt figuratio:nam horum figura nonnũquam adeò turpis efficitur,vt qui affectum hoc morbo viderint, ridere cogantur.

Gallici dolores nõnunquam ſunt abſq; vllo tumore, abſq; vlla puſtula, vel cruſta, vel vlcere,tunc ab huius morbi praua qualitate

litate venenosa, de qua loquemur, fiunt. & hæc gallicorum dolorum species, est in praua qualitate. Si verò cum doloribus tumores adsint, vel tumores adsint absq; dolore, tunc adest continui solutio, praua qualitas, & praua compositio. nam tumores prauam figuram inducunt, & prauam compositionem in membra in quibus fiunt.

At si pilorum defluuium cõtemplemur, est morbus solùm in praua qualitate. nã est praua qualitas acris corrodens, quæ est in humoribus, quos natura ad circũferentiam expellit, in qua cùm aliquantisper immoranrur, ob eorum prauam qualitatem pilorum radices corroduntur, & pili omnes corruunt, nonnullis citius, aliis tardius.

In casu verò dentium præter prauã qualitatem, quæ ad gingiuas tendit, gingiuæ etiam vlcerantur, & continui solutio fit, & cùm dentes deciderint, deformes euadunt homines. nam os & rictum & genas magis arcta, quàm conueniat faciunt, quale pictores Diuo Bernardino os pingere solent, vt dici posit morbus in qualitate, in solutione continui, & formatione.

De vnguium casu idem ferè iudiciũ esse debet. nã humores sunt acres, qui illos decidere faciunt vnguium radices erodẽdo, vt hic dici posit, prauam qualitatẽ, solutionẽ

continui,& malam cõformationem adesse.

In specie insuper illa, in qua oculi amittuntur, vel malè tractantur. nam cùm dico amitti, intelligo praue tractari, omnia adsunt morborum genera, quippe oculos non statim amittũt, sed id paulatim sequitur, vt oculi ophthalmiam pati videãtur, & valde rubri sint, tumidásque habeant oculorum venas, vt hîc necessariò praua sit qualitas, praua compositio, & continui solutio.

Denique & illa species, in qua adest gonorrhœa, à praua qualitate dependet, quæ quandoque intrinsecas penis partes corrodit, cùm materia acris per illas transit, & continui solutio sequitur.

Breuibus ergo nulla est simplex morbi gallici species, in qua tria morborũ genera ferè non complicentur, præter illam in qua solùm adest defluuiũ pilorum: in hac enim sola praua qualitas peccare videtur. Et si dicas, esse humores qui capillorum radices, & pilorum exedunt ac corrumpunt, dicimus adesse quidem humores, sed ratione, qua prauam habent qualitatem id efficere valent, idcirco erit tantùm à qualitate praua morbus gallicus, in quo solùm decidunt pili.

Post speciei inquisitionẽ in gallici morbi genere ad speciem particularem aliquã cognoscẽdã peruenire oportet, per illa, quæ in

in arte medicinali à Galeno tradūtur. Hoc verò erit considerare, nūquid in aliqua specie morborū apud authores nominatorum reperiatur hic gallicus affectus. tria verò sunt quæ contemplanda veniunt, si hanc cognitionē assequi voluerimus. Primò enim consideranda sunt illa, quæ essentialiter inhærent, secundò propria, tertiò symptomata, ex his etenim in huius morbi, speciei particularis cognitionem deueniemus, si tamen in aliqua sit denominata specie, & ab authoribus excogitata affectus gallicus.

Primò igitur cōtemplemur, in qua particulari specie superiores medici illum posuerint. nōnulli sunt qui dixerint gallicū affectū esse elephantiasim, alij leprā, alij lychenem, alij speciē illā morbi esse, quæ ab Arabibus Asafati vocatur, alij prunam esse voluerūt, alij persicum ignē. at morbū gallicū nullum horum esse elegātissimè probauit Nicolaus Leonicenus in libello de morbo gallico, vt meritò excusati esse videamur, si de his sentētiis ac opinionibus, nihil pertractabimus. Verùm ne laborē penitus suffugere videamur, primò contēplemur quibus rationibus suffulti sint, qui hūc morbū elephātiasim esse arbitrātur, inquiunt hi: cùm hic morbus naturalem formā deprauet in figura, in lenitate, asperitate, in tumore, &

diminutione. nam membra craſsiora euadunt,& puſtulis plena,vnde mẽbra tantam craſsitiem contrahunt,tantámq; pellis duritiem,ac deformitatem,vt cum elephantis pelle ſimilitudinem quandam habere videantur,imò facies adeò tumida fit,vt ſatyris aſsimilari poſsit. hæc verò omnia à Galeno elephantiaſi attribuũtur,idcirco morbus gallicus elephantiaſis eſt, hoc ſuadent ex Galeni verbis in libro de atra bile, in quo monet,quandoq; ex atra bile puſtulas in corpore abſq; febre excitari,& apparere. fiunt verò in cute craſsiore reddita, vt eſt elephantiaſis,igitur elephãtiaſis (inquiũt) eſt morbus gallicus,quia cum cutis craſsitie puſtulas habet, & in medicis definitionibus Galeno adſcriptis habetur, elephas eſſe affectum,qui cutem craſſam atq; inæqualem reddit,liuor adeſt,cum cuti,cũ oculorum albis,exeduntur partes manuum ac pedum ſummæ,ex quibus ſanies liuida,ac fœtida emanat,& in introductorio ſibi adſcripto inquit,Morbus quem Græci ἐλεφαντίασιν vocãt,ab elephanti ſimilitudine,nomen ſortitus eſt.nã qui hoc vitio laborant, cutem craſſam,duram,elephãtorum modo aſperatam habent,originem mali faciunt, pituita craſſa,& atra bilis, vel mucoſa maximè inhæreſcens:hi enim humores ferinũ

ipſum denuntiant, quare ſolum veratrum, ſiue nigrum, ſiue album pręſentaneum elephantiaſis eſt remedium, hæc introductio ſiue medicus. Si horum ſentẽtiam contemplemur, in cutis duritie atq; craſsitie maximam vim facere videntur, addunt & Galenum in ſecũdo de morborum cauſis, in illa parte, vbi loquitur de deprauata figura dicere, quippe morbus qui elephas nominatur, planè formã immutat, itidem & tabes, etenim naſus ſimus, labia craſſa, aures acuminatæ in elephantiaſi videntur, atq; in totum, qui ſic laborant, ſatyris ſimiles ſunt. Cùm verò & his qui patiũtur affectũ gallicum, hæc cõtingant argumẽto ab his ſumpto, quæ ſubſtantialiter inhærẽt, cõcludendum volunt gallicũ affectum eſſe elephantiaſim. in libro etiam de humoribus præter naturam, ait, & ipſe elephas eſt melancholica, ſcilicet affectio, primã quidem generationẽ ex ſanguine melancholico habens. ſpatio verò temporis ipſius nigræ plus ſanguine fit, cùm malè olentes ſunt, & moleſti viſu, horũ nõnullis vlcera cõtingũt, hãc affectionẽ cùm incipit, ſatyriaſmon nominãt, quoniã ſatyris ſimiles fiunt viſu. Ex his Galeni verbis inferẽdũ iudicãt morbũ gallicũ hunc eſſe affectũ, qui elephas dicitur, & qui in initio qñq; vocatur ſatyriaſmos. Et in

ſexto de Symptomatum cauſis, de cacochymia inquit, vniuerſi corporis colorẽ mutari, vt in elephãte, & ad tertias ferè eiuſdem libri partes ait: Atra bilis ſi in vniuerſo fuerit corpore, elephas, ſi in vna aliqua parte, cancer vocatur, idcirco cùm iſta in morbo gallico cõtingat, videlicet, eſſe per vniuerſum corpus humorẽ, propterea erit elephãtiaſis, & hoc planius probãt ab his, quæ neceſſariò cõſequũtur, quia in gallico morbo deformitas ſequitur, quæ etiã ad elephantẽ ſequitur. is igitur antiquus morbus, qui elephas vocatur, ille eſt, q nũc gallicus dicitur, vel morbus gallicus eſt antiquorũ Elephas.

Hanc opinionẽ abſurdam eſſe in libello de morbo gallico Leonicenus oſtẽdit. ſupponit verò elephãtiaſim apud Arabes idem eſſe, quod lepram nominant apud Græcos. Verùm elephas apud Græcos non eſt lepra, idcirco Arabes, & Græci in lepra, & elephãte diſsidentes ſunt, tu differentiam vide in Leoniceni libello, niſi in ipſis authoribus contemplari volueris, ne multa referre cogar, quæ ab aliis iam ſcripta ſunt.

Nos verò impræſentiarũ probemus gallicum morbum elephãtiaſim eſſe nõ poſſe. quod ita facilè fiet, morbus gallicus totius corporis cancer eſſe non poteſt. Igitur neq; eſt elephantiaſis. antecedens planum eſt, quia

quia multi, qui gallico morbo affecti sunt, neq; totum corpus affectum habent, neque niger adest color, qualis est in elephante, vt in omnibus ferè citatis ex Galeno locis patet, consequentia probatur: quia elephas est totius corporis cancer. hoc autem ita esse ostendit Paulus, cùm ait, elephas est cancer totum corpus occupãs, quod à Galeno accepit in sexto de Symptomatũ causis, cũ ait, atra bilis si in vniuerso fuerit corpore, elephas, si in vna aliqua parte, cancer vocatur, vt planum sit atram bilem in vna particulari corporis parte collectã, cancrum efficere. at si multa esset, vt per totũ corpus diffundi posset, & iam esset diffusa, elephantiasis esset, quæ est totius corporis cancer.

Præterea à Paulo eodem loco docetur, sicuti particularis cancer curationẽ nõ admittit, ita minùs vniuersalis cãcer curationem admittet, sed elephas vniuersalis cãcer est, igitur curationẽ nõ admittet. verũ morbus gallicus curationem admittit, vt planum est, igitur non est elephas. quòd verò cancer sanitati restitui non posit, apertissimè testatur Hippocrates.

Adde elephãta ex atra bile semp̱ fieri, ac gigni. at morbus gallicus ex vnoquoq; humore gigni potest, licet omnes qui gallico affectu cruciãtur, tẽporis tractu atrabilares

euadant. in principio autem à pituita esse potest, à sanguine, à bile, & ab illo humore, qui in huius corpore abundat, vt deinceps suo loco ostendemus, sed elephantiasis talis esse non potest, quia semper ab atra bile generatur, igitur gallicus morbus elephas esse non potest.

Ampliùs, qui elephanta patiuntur, carnẽ denigratam habent, & prædurã, vt elephantes habẽt cutim, sed qui gallico affectu deprehensi sunt, hoc minimè habent, vt experientia ostendit. Igitur gallicus morbus, elephanta esse non poterit, quòd verò elephante affecti, nigram carnem habeãt, non solùm nomen ipsum indicat, quia morbus elephanti similis esse debet, sed & Galenus ipse in sexto de Symptomatum causis, inquit, illos, qui elephante laborant, nigram habere carnem, tuberibúsque plenam, qualis est elephantum cutis. videmus autẽ non esse tales morbo gallico affectos.

Alij dixêre morbum gallicũ esse lepram, quia leprosi tales sunt, vt omnes exulcerentur, & pustulas habeant, & quandoque doleant, & cutis tota defœdetur.

At hi aberrant, quia neq; Arabum lepra est, neq; Græcorum, neq; etiam illa, de qua in sacris literis mentio fit, igitur gallicus affectus lepra esse non potest, consequentia

proba

proba eſt, quia nulli alij de lepra tractarũt, quàm iſti, & diuerſo modo illam poſuerũt. nam Arabum lepra idem eſt, quod elephantiaſis, imò elephantiaſim à Galeno deſcriptam leprã vocat Auicenna. à Galeno enim dicitur, & Paulo elephantem eſſe cancrum totum corpus occupantem, & Auicenna ait lepram eſſe cancrum toti corpori communem, vt idem ſit apud Auicennam lepra, quod apud Græcos elephas.

Prætereà Galenus dicit elephanta ex atra bile fieri, & Auicenna ex atra bile ſuam lepram fieri facit. at elephas morbus gallicus non eſt, igitur nec Arabum lepra, quæ eſt elephas morbus gallicus erit.

Probatur inſuper Arabum lepram, eſſe Græcorum elephanta, quia Paulus elephanta diuidit in vnam ſpeciem, quæ veluti à fæce ſanguinis fit, & mitior eſt: & in vnam ſpeciem, quæ à bile aduſta fit, & eſt prima deterior. Ita apud Auicẽnam duæ reperiuntur lepræ ſpecies, altera à ſanguinis fæce, quæ mitior eſt, altera à flaua bile aſſata, quæ deterior eſt, vt nulli dubium eſſe poſſit, Auicennæ lepram eſſe Græcorum elephanta. at morbus gallicus, vt ſuperiùs probatum, elephas eſſe non poteſt, igitur nec Arabum lepra eſſe poterit. Prætereo & ſuadere elephanta Græcorum, eſſe Arabum le-

pram, per curationis modũ, vel ex curationis modo, qui idẽ est in lepra apud Auicennam, vt in elephãte apud Galenũ, & Paulũ.

Præterea Auicennæ verba de lepra, quòd sit plurima in Alexãdria, & quòd sit ob aëris caliditatem, & ob cibi malitiã, & quia salsis vescãtur eduliis, à Galeno integrè referuntur, in secũdo de arte curãdi ad Glauconem, vt hæc sit summa, Arabum lepram, esse Græcorum elephanta, & cùm elephas morbus gallicus esse nõ posit, neq; etiam Arabũ lepra morbus gallicus esse poterit.

Verũtamen nec Græcorum lepram morbum gallicum esse posse ex hoc planũ est, quia Paulus libro quarto cap. 2. dicit, lepra pariter & psora cõmunis quædam summæ cutis scabredo est, cui sanè prurigo lentáq; corporis assumptio accedere consueuit, ex atra bile vtraque originem trahens, verùm gallicus morbus in summa cute nõ est, neq; semper ex atra bile fit, præsertim in principio. Igitur gallicus morbus lepra nõ est. minor plana est, quia gallicus morbus ad iunćturas vsq; & ad medullas pertingit, & cùm incipit hic gallicus affectus, cũ eo humore incipit, qui huic peculiaris est, qui afficitur.

Præterea Paulus differentiã ponens inter lepram, & psoram, inquit, sed lepra profundius circularibúsque erosionibus corporis

cuticulam depascit,& squamatorũ piscium instar squamulas ex se demitit. psora verò superficie tenus summã corporis cutẽ,varia erosione depascit,furfurosáq; magis,quàm squamosa ex se corpuscula edit. at in gallico affectu nullæ decidunt squamæ, quãuis nonnunquã crustæ decidere posſint, igitur gallicus affectus Græcorũ lepra eſſe nõ poterit, vt neq; secundum Arabes, neq; secundum Græcos morbus gallicus lepra sit.

Adde in medicis definitionibus Galeno adscriptis ita leprã definiri, Lepra est cutis mutatio in habitũ, qui præter naturã fit cũ asperitate, & pruritibus, doloribúsq;, nonnunquam & squamis decidentibus, intrinsecus, plures hæc etiã corporis partes depascitur. at morbus gallicus non est cutis mutatio, sed totius habitus, tã intrinseci, quàm extrinseci, Igitur morbus gallicus antiquorum Græcorum lepra eſſe non potest.

Adde & Hippocratẽ in tertio Aphorismorũ libro, Aphorismo 20. lepras inter Veris morbos numerare. Galenus verò eodem loco dicit, eo tempore profundum corporis expurgari vitiosis humoribus à partibus principalibus ad cutem peruenientibus, & ait, sic igitur & lepræ. at morbus gallicus non solùm in Vere fit, sed in quocunq; tempore, neq; in morbo gallico profunda

corporis expurgantur:ſed tam intrinſecus, qui extrinſecus vexantur. Morbus igitur gallicus Græcorum lepra dici non poteſt.

In calce libelli de cibis boni,& mali ſucci, ait Galenus: At quibus malus corporis humor melãcholicus fuerit,cancri,lepræq; fient.at morbus gallicus his etiam contingit (vt planum eſt) qui ſanguineæ ſunt, & optimæ temperiei. igitur morbus gallicus Græcorum lepra non erit.

In quinto de locis affectis poſt primum folium,inquit Galenus impetiginem trãſire in ſcabiem & in lepram. at impetigo in gallicum morbum nõ tranſit, ſed in alium cutaneum morbum ſolum tranſire debet. in lepram verò tranſit,igitur lepra morbus cutaneus eſt, licet vehementior ſit, quàm impetigo. Verùm morbus gallicus non eſt cutaneus morbus,imò maximè intrinſecus eſt, igitur morbus gallicus lepra eſſe non poteſt, in morbo nimirũ gallico nihil extra apparet, ſed tantum adſunt intrinſeci dolores,qui maximè vexant.

Galenus in 14.Methodi medendi libro, vbi de his loquitur,quæ toto genere præter naturam ſunt, dicit: Porrò triplex horum omnium eſt differentia, quædam nanq; ex mutatione conſiſtunt ſolidarum partium, ſicut myrmecia,& leuce,& vitiligo,& oſsis

caries

caries, quam sphacelum vocāt, & elephas, & scabies, & lepra. at hæc mutatio extrinseca est. illa verò gallici morbi est & intrinseca, igitur gallicus morbus lepra minimè est.

In libro etiā de Dynamidiis Galeno adscripto scriptū est: Ruffi hieram vtilissimā scabiosis, & leprosis, vt ferè semper faciat leprā scabiei, vel psoræ propinquā, at hiera illa morbum gallicū non sanat, nedum iuuat, igitur alia res est ipsa lepra, quàm gallicus sit affectus, & in libro de medicinis expertis Galeno adscripto, vbi de his medicamentis mentio fit, quibus Achaasos vtebatur dicitur, ex lactis vsu lepras sanasse, verùm gallicus affectus ex lactis vsu sanari nō potest, igitur lepra non est idē affectus.

Deniq; superest, vt ostendamus gallicum affectū lepram illā esse non posse, de qua in sacris literis mentio fit, lepra nanq; illa, est antiquorū leuce, seu vitiligo alba, quoniā squamę albæ illis instar furfuris decidebāt. Constat verò leuce nō esse antiquorū leprā, neq; morbus gallicus leuce dici potest, quia albæ squamæ ab eo non decidunt.

Alij fuêre Medici, qui arbitrati sunt morbum gallicum illum affectū esse, qui lychene apud antiquos vocatur, quos diligenter Nicolaus Leonicenus reprehendit: quia lychen morbus ille est, qui Latinè impetigo

dicitur

dicitur, vulgò autem volatica. at gallicus affectus impetigo non est, vel volatica, igitur affectus gallicus lychen esse non potest.

Scito autẽ si lychen pro eo accipiamus, quod impetigo Latinè dicitur, & volatica vulgò, omnino absurdum erit dicere morbum gallicum impetiginem esse, vel volaticam: veruntamẽ hi qui dixêre morbũ gallicum esse lychenẽ, de lychene locuti non sunt, vt impetiginẽ significat, quemadmodum illis imponit Leonicenus: sed de alio locuti sunt morbo, qui impræsentiarũ non extat, tamen quãdoque fuit, & illum lychenem vocauerunt, neque erat opus multum laborare probando lychenas impetigines esse, & esse morbũ lepra minus molestũ. nã sicuti probatũ est morbũ gallicũ nõ esse lepram, ita erit iam probatũ morbum gallicum non esse lychenẽ, neque impetiginem.

Veruntamen morbus quidam extitit nouus, qui Tiberij Claudij Cæsaris tẽpore ortus est, & Romę potissimùm, morbus inquam sæuus, quem Gręco nomine lychenes appellauêre, & Latinè mentagram, nõ quia esset qualis mentagra, quę volatica dicitur, sed quia à mento ferè incipiebat, imò hoc nomen mentagra fuit illi per iocum inditum, sed posteà cessit in vsum, hic est morbus lychene vocatus, quẽ hi arbitrati sunt esse

esse morbum gallicum, & non lychenẽ, de qua antiqui verba fecêre, quæ impetigo est & volatica. Cùm verò de hoc morbo Plinius amplè locutus sit statim in principio 26. libri naturalis historiæ, idcirco ipsius adductis verbis facilè intelligemus nõ esse lychenem illam, quæ impetigo est, & non esse etiam gallicum morbum. inquit verò Plinius, Sensit & facies hominum nouos, omníque æuo priore incognitos, non Italiæ modò, verùm etiã vniuersæ probè Europæ morbos: tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliásue, aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi quàm Romæ circáque, sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ: sed tanta fœditate, aut quæcunq; mors præferenda esset. Grauissimum ex his lychenas appellauêre Greco nomine: Latinè quoniã à mento ferè oriebatur, ioculari primùm lasciuia (vt est procax natura multorum in alienis miseriis) mox & vsurpato vocabulo mentagrã occupantem in multis totos vtique vultus, oculis tantùm immunibus: descendentem verò & in colla, pectúsque ac manus, fœdo cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud maiores patrésq; nostros, & primùm Tiberij Claudij Cæsaris principatu medio irrepsit in Italia, quodam Perusino Equite Romano

Quæst

Quæstorio scriba, cùm in Asia apparuisset,
inde contagionē eius importante. Nec sen-
sere id malum fœminę, aut seruitia, plébsq;
humilis, aut media, sed proceres, veluti
trāsitu osculi maximè fœdiore multorum,
qui perpeti medicinā tolerauerunt cicatri-
ce, quàm morbo. Causticis nanque curaba-
tur, nec nisi vsq; in ossa corpus exustū esset,
nō rebellāte tædio. aduenerúntq; ex Aegy-
pto genitrice taliū vitiorū Medici, hanc so-
lam operam afferentes, magna sua prędã, si
quidem certū est Manilium Cornutum ex
prætoriis legatum Aquitanicæ prouinciæ
H-S. C C. elocasse in eo morbo ad curandū
sese. Hic est morbus lychene vocatus, & nō
impetigo, licet aliquid cū illa haberet com
mune, & hic est ille, quem hi existimāt esse
morbum gallicum: nō autem lychene, quæ
est impetigo. Pliniúsque impetiginem co-
gnouit, ac antiquorū lychenas, & ad ipsam
diuersis in locis præsidia ponit. non autem
ad has lychenas, de quibus mentionem fa-
cit præadducto loco.

Quod autem impræsentiarum à Plinio
vocatæ lychene non sint morbus gallicus,
id primò suadere potest, quia inquit inua-
sisse sine dolore quidem vllo, & pernicie vi-
tæ: at gallicus affectus cū dolore est, & ve-
hementissimo & cum nōnullo vitæ discri-
mine

mine, cùm aliquos ob gallicum affectum mori constet.

Præterea à mento oriri dicit. at gallicus affectus à pudendis potiùs incipit, licet ab ore nonnunquam oriatur, & nonnunquam à mammis, vt suo ostendemus loco.

Adde lychenes per totam faciem apparere, oculis tantùm immunibus. descẽdentes verò & in colla, pectus ac manus fœdo cutis furfure. at morbus gallicus oculos etiã afficit, nec fœdi furfures ab horũ facie dimouentur, ideò gallicus affectus lychene non est. dico autem lychene, de qua mentio fit à Plinio loco præcitato.

Insuper addidit nec sensisse id malũ fœminas, aut seruitia plébsq; humilis, verùm fœminæ potissimùm gallico morbo corripiuntur, & seruitia, & plebs humilis, idcirco morbus gallicus nõ potest esse lychene.

Lychen osculo transibat in alium, & facili osculo. gallicus verò affectus breui osculo non transibat in alium, sed bene longo osculo ac frequentato in alium transit, igitur morbus gallicus lychen non est.

Denique Plinius de lychene ait, causticis nanq; curabatur, nec nisi vsq; in ossa corpus exustum esset, non rebellante tedio, at gallicus affectus causticis minimè curatur, imò quia nonnulli causticis vtebantur superio-

ribus annis, præſidium dimittere coacti ſunt, quia in peius ruebat affectus, vnde experientia oſtendit, cauſtica morbo gallico obeſſe.

Simpliciter igitur dici non poteſt morbum gallicum hunc eſſe morbum, qui Tiberij Claudij Cæſaris tempore fuit, poſteà extinctus eſt: à Græcis lychene vocabatur, à Latinis mentagra. hoc verò morbi genus in medio principatus Tiberij Cæſaris fuit, anno poſt Chriſti natiuitatem vigeſimoquinto: ab inchoante verò mundo 5224.

Alij arbitrati ſunt morbum gallicũ eſſe morbum illum, qui apud Auicenam vocatur Aſafati, verum Aſafati apud Auicennã eſt impetigo, malignior tamẽ quàm impetigo ſit. veruntamen impetigo non poteſt eſſe morbus gallicus, idcirco neque Aſafati erit gallicus affectus, Aſafati verò impetiginem eſſe, adeò pulchrè & clarè Leonicenus docet, vt ſuperfluum eſſe videatur, quid ſit, & qualiſnam ſit morbus, & quomodo idem ſit velle edocere. cùm vnuſquiſq; etiã mediocriter eruditus hoc in Leoniceni libello facilè legere poterit ac intelligere.

Nonnulli dixêre morbum gallicum eſſe prunam, vel ignem perſicũ. at Leonicenus hæc eſſe nõ poſſe oſtendit, & omnia ad vnguem pertractat: docet enim quid pruna ſit, &

fit, & ignis perficus, posteà ostendit morbum gallicum non posse esse prunam, nec ignem persicum, tu Leonicenũ legito, qui etiam suadet non posse esse ignem sacrum, hæc tam diligenter, támque exquisitè pertractat, vt nos ea repetere non sit opus.

Nonnulli recẽtes ita hunc morbum definire tentarunt: Morbus gallicus est mala epidemialis dispositio totius corporis, & humorũ eius, verùm hi aberrant, tum quia non est epidemicus hic morbus, vt in his quæ sequũtur ostendemus: tum etiam quia faciũt hunc morbũ solùm in qualitate peccare, cùm & in solutione cõtinui, & in mala formatione ac deprauata consistat.

Nos verò de huius morbi causa agamus, id est contemplemur quomodo cœperit, & quæ causæ illum primò excitarint. Leonicenus inquit esse morbum epidemicũ, quia passim vagatur per populum.

Verùm hęc non est sufficiens causa, quòd epidemicus sit, nisi ex vi vocabuli, videlicet quia vagatur per populum, sed requiritur quòd per populum indifferẽter, & ab aëris temperie proueniat: nõ autem à contagio, & à tali contagio, quod non nisi per coitum recipitur.

At Leonicenus suadere videtur, quòd sit sufficiens causa, cum aëris dispositione, &

cum temperie humida, quæ tunc viget, id-circo ait eo tempore, quo morbus gallicus cœpit, magnam fuisse aquarũ copiam per vniuersam Italiam, Romáq; testis est, quæ prima hoc malũ sensit, cùm Tybris ita intumuerit, vt tota sit facta nauigabilis, Pomponiíq; illius temporis Poëtæ egregij carmina adducit, quę de hac inundatione confecit, & marmore scripta fuêre in publica columna, quæ adhuc etiã nostris tẽporibus extat, quãuis secundam inundationẽ prima maiorem subierint Romani. 1534. sunt verò Pomponij carmina hæc quæ sequuntur:

Tempore Alexandri sexti, Noníq; Decembris
Intumuit Tybris, bis senas circiter vlnas
Insula quæq; domus facta est, mediíq; repente
Circunducta vijs æquabat cymba fenestras.

Huic tetrasticho duo carmina addidit Leonicenus, & hexastichũ fecit. Leoniceni verò carmina sunt hæc duo quæ sequuntur:

Deucalioneo vix tantum tempore tellus
Diluuium passa est, latuit cùm tota sub vndis.

Adducit & Leonicenus Blondum historicum qui pestilentiam quandam ob pluuias & fluminum inundationes ortam refert, suadétque multitudinẽ aquarũ aliquid mali semper portendere, & ad illam sequi famem ac pestilentiam, propterea Leonicenus inferendum censet ob aquarum multitud

titudinem morbum gallicum eo tempore fuiſſe excitatum.

At mirum videretur, quòd toties anteà fuerint cataclyſmata, & inundationes vehe mentiſsimæ: tamen non extiterit hic morbus, inſuper ſi ab his humiditatibus fuiſſet genitus neceſſariũ eſſet, vt aliis aduentantibus humiditatibus augeretur, aut de nouo prodiret, tamen ab eo tempore quo cœpit, quo inquam tempore fuit vehementiſſimus, paulatim declinare cœpit, núncque adeò declinauit, ac ſeſe remiſit, vt mitiſsimus dici poſsit, defluuiũ pilorum tantùm incidere videntur, nonnulliq; quos non pudet videri glabros ſponte, nulláque medicamentorum vi ſanitati reſtituũtur, tamen & fuêre particularia cataclyſmata noſtro tempore, & maximè inundationes, & ſi vnquàm moleſtare deberet ob humiditatem præſenti anno 1551. fieri oporteret. quoniã totus annus 1550. humidiſsimus fuit, & aquæ multæ Ferrariẽſe ſolum occuparunt, tamen in dies mitior euadit hic affectus.

Prætereà humiditates morbos quidẽ excitant, & multos, ſed tales vt eodem anno vel ſequẽti finire debeant. Si quiſpiam epidemicas conſtitutiones ab Hippocrate deſcriptas contempletur, percipiet quínam morbi ad humiditates ſequantur. nam hu-

miditas est prauorum morborũ, & prauarum putredinũ causa. quod verò annus ille fuerit humidissimus, quo cœpit morbus gallicus, esto, fateamur, & quòd humiditas tunc fecerit morbum. At cùm preter putredinem alia sint symptomata consideranda, idcirco dicẽdum est alia esse symptomata, quæ à putredine depẽdent, alia quæ ab ipso morbo. Putredo, & quæ à putredine dependent symptomata, ab aëris humiditate fieri possunt, augeri, & cõseruari. sed symptomata illa, quæ à putredine nõ depẽdent, sed potiùs ab ipso morbo, à putredine ortũ non habent, nec ab illa conseruantur. hæc dico, vt aëris humiditatẽ non esse propriã huius morbi causam ostendamus, quod tamen in pluuioso tempore generentur putredines, nulli dubiũ est. Si verò petas, in qua morbi specie sit affectus iste, vt causam faciliùs rimari possimus, quomodo fiat, simpliciter dicendum est gallicũ affectum in nulla esse morbi specie, ex his, quæ ab authoribus numeratę sunt, nec ex excogitatis: quia nullus à seculo præterquam impræsentiarũ de hoc morbo locutus est, tot nimirũ habet facies, quot sunt homines, qui illo afficiuntur.

Dicamus ergò morbum gallicum, esse nouũ morbum ab aliquo non descriptũ, nedum cognitũ, nisi nostris his temporibus.

posse

posse verò & nõnunquam nouos fieri morbos, planissimum est, si quis historicos legerit authores. nam morbos nouos genitos esse plerunq; testantur, qui neque priùs fuerant visi, neq; excogitati. deinceps verò iidem morbi obliterati sunt, ac delituêre, fortè huius ratione potest dici epidemicus morbus, nõ quia delituerit tam citò, vt epidemici communiter delitescere solent, sed quia nunc delitescit, & in nihilum resoluetur, cùm per aliquod temporis spatium vexauerit. fieri verò quandoq; nouos morbos Plinius præcitato loco ostẽdit, videlicet primo capite 26. libri de naturali historia, vt fuit lychene in Plinij significato. nõ autem in communi apud antiquos significatos.

Morbos autem nouos ob aliquam prauam aëris qualitatem esse ortos, nulli dubium esse debet. illa verò aëris qualitas peior est quo ad corruptionem, cùm humiditatem sequitur & caliditatẽ, quàm quando siccitatẽ, verũtamen si in siccitatibus cõtingant morbi, quo ad acutiem sunt vehementiores, & in febre caliditas ardẽrior est, idcirco cùm morbi oriuntur noui, magnas vt plurimùm humiditates sequũtur, & in præteritum secuti sunt. nã & magnę ad illas sequuntur putredines, vt in epidemiis Hippocratis planissimè patet, quoniam vt pluri-

mũ morbi ille epidemici fuêre in humiditatibus vel post humiditates. Nouorũ igitur morborũ vt plurimùm ambientis aëris humiditas causa est, & si petas vnde sit hęc humiditas, hoc est, vnde aër illã cõtraxerit: Dicẽdũ à multis pluuiis & à multis fluminum inundationibus. si verò iterum petas, vnde pluuię ortum habuerint, necessarium est ad cœlum vsq; ascẽdere, & fateri cum Aristotele superiora corpora hæc inferiora regere, in totis, scilicet qualitatibus. Hinc nõ ab re ab Astronomis scriptum est, cœlestes influxus concurrere: quoniã res hæ inferiores eodẽ modo procederent, nisi à superiori causa hoc & illo modo prosequi cogerẽtur. Epidemici ergo morbi, vt plurimùm ab humiditate generantur, dico vt plurimùm, quia & nonnunquã à siccitate fiunt, vt Anglicus sudor superioribus annis in Britãnia, qui hoc anno 1551. qui fuit siccissimus, adeò Flandros vexauit, vt multa hominum millia desiderari fecerit, núncq; dũ hæc scribo, adhuc viget, decimoquinto, scilicet Septembris die, & morbi etiã noui vt plurimùm ab humiditate ortum habẽt. humiditas verò in aẽre imbibitur, vel ob pluuias, vel ob inũdationes, vel ob vtrunq; simul, adde et ad multasniues idẽ sequi. magnę verò pluuię, & magnę niues, nõ fiũt, nisi mul

fi multę humidę materię attrahãtur, & ab aſtris, vel cœli motu agitẽtur, & aquarum abũdãtiã, vel humiditatẽ faciãt, vnde aſtra neceſſariò cõcurrunt ad ſuperfluam in aëre humiditatẽ, ex qua humiditate cũ aliis occaſionibus, morbi cõtingunt. fateor igitur in illo principio, cùm gallicus morbus inchoauit, magnas fuiſſe humiditates, magnásq; inũdationes, & quòd ad eiuſcemodi humiditates ſequutæ ſint putredines, ad quas morbus gallicus ſit cõſecutus, nõ quidẽ ſpõte, ſed adueniẽte cõfrictione per mulieris vergen, vnde in gallorũ caſtris 1485. ſcortũ aderat nobiliſsimũ ac pulcherrimũ, in vteri ore putrefactum gerẽs abſceſſum. Viri qui cũ illa coibãt, adiuuãte etiã humiditate ac putredine, dum mẽbra virilia per vteri collũ perfricabant, ob loci etiã putredinẽ in eorũ virilibus mẽbris prauã quãdã affectionẽ cõtrahebãt, qua exulcerabantur, & per penẽ (molliſsimũ mẽbrũ) praua quędã qualitas ad emũctoria aſcendebat, & ad adenoſas inguinum partes ibíq; bubones excitabãt, natura nimirũ vt prauę qualitati venenoſę obuiaret, materiã illuc trãſmittebat, quę & ipſa inficiebatur, & bubones excitabat, irrepebat deinde praua illa qualitas ad iecur, & ſanguinẽ cõmaculabat. in aliquib⁹ hic ſanguis, qui pro parte ad nutriẽ

dum caput deferrebatur,caput ipſum infi-
ciebat,& ſi natura fortis illũ ad circũferẽtiã
expelleret, cruſtæ inducebãtur, ſin minus,
dolores vehemẽtes,& quãdoq; vtrũq;, & ſi
hæc infecta materia ad iuncturas defereba-
tur,vehementes in ipſis dolores excitabat,
quãdoq; tumores duri inducebantur. in his
verò qui plethora afficiebantur, vel ſangui
ne abũdabant,ac bile,per totũ corpus puſtu
læ cruſtæ've prodibant.paucæ verò erãt pu
ſtulæ in atrabilariis hominibus,& qui ple-
thora carebãt,verùm in his præduri tumo-
res fiebãt,hæc lues vnum primò infecit ho-
minem,poſteà duos,& tres,& centũ,quia il
la erat publica meretrix & pulcherrima,&
vt procax eſt humana natura in coitũ, mul
tæ mulieres cũ his vitiatis viris coëuntes,
lue iſta infectæ ſunt,quã deinde aliis viris
ſunt impartitæ,vt deniq; lues ꝑ totã Italiã
ſparſa ſit,& per Gallias,& breuibus per vni
uerſam Europam.audiui verò & nũc eſſe in
ſummo vigore,in Aſia, & iã in Africa pul-
lulare,de India nihil loquor,cũ ſit ferè huic
regioni peculiaris eiuſcemodi affectus.

Nota verò præter humiditatis putredi-
nem,loca,in quę ingrediebãtur priapi cum
cõfrictione,tertiã quandã qualitatem cõci
taſſe,vt ita dicam venenoſam,quæ eſt gal-
lici affectus venenũ,& eſt qualitas ſecunda
à pri

à prima dependens: sicut etiam in epidemicis morbis præter morbi genus, in quo continetur, adest praua qualitas venenosa, quæ ex primis qualitatibus non est, & si quis in morbo gallico peteret, quid sit hęc venenositas, dicimus prauã esse talis generis affectionẽ, quæ nomen non habet & à nullo est definita. dico prauã huius morbi affectionẽ qui excitatus est, tum à praua aëris qualitate, tum à frictione in loco mulieris cauernoso, in quo praua adsit affectio, & morbus est inter cõtagiosos numerandus. Hæc quæ retuli, sunt de primo, qui in hunc incidit affectũ. at de aliis qui illũ recipiunt, per contagium satis est affecta mulier. aër verò nihil efficit, quoniam & in temperatissimo aëre, & in temperatissima cõstitutione hic morbus etiam per contagiũ recipitur, éstq; talis morbus, vt paulatim per totum corpus irrepat, totúmque malè afficiat.

Aliqui attribuêre huius morbi causam Saturno: tũc enim quãdo ortus est, arietem ingrediebatur cũ aliis cœli dispositionib⁹.

Nos verò nõ magis Saturno, quàm aliis planetis hoc attribuimus, quia cœlestia tripliciter agunt, motu, lumine, & influentia, Saturnus esse potuit qui pessimus iudicatur planeta, potuere esse & alij simul, vnum est quòd per influentiam, lumen, & motum

fuit

fuit malè dispositus aër, à corporibus cœlestibus, posteà particulari adueniente causa, quæ fuit confrictio militis gallici cũ Thaide, quæ pudenda habebat malè affecta, hoc morbi genus excitatum est, quod contagiosam naturam habet. Vnde verò hoc reci piat, vt cõtagiosus sit, ignoratur, nisi quod est ex propria huius morbi natura.

Aliqui huius morbi causam in Deum referunt, qui hũc miserit morbũ, quoniam vult homines luxurię peccatũ euitare: propterea eiuscemodi discrimina in coitu imposuit, vnde nonnulli hunc morbũ diuinũ appellarunt, alij saturninum, illi inquam, qui à Saturno excitatũ volunt. Dicunt igitur hoc esse diuinum iudicium quòd de luxuria vlciscitur. Veruntamen eiusmodi ratio in vnoquoque morbo esse potest, qui à luxuria depẽdet, & qui ob illã oritur, propterea hi omnes erũt diuini, & cur si Deus in luxuriam inuectus est, in fœneratores inuectus non est, in grassatores, in latrones, in blasphemas, in homicidas, qui seuiora mala perperrant, quàm qui coitu vtuntur, quàm si solutus cũ soluta iũgatur. nã Venerẽ exercere vnicuiq; naturale est. hanc verò vel illã sibi deligere, est cõsilio & præcepto factũ. hominẽ verò interficere, grassari furari, blasphemare, sunt à toto genere præter

natur

naturam: ſiq; Deo tantùm diſpliceret, vt homines Venere vterentur, poſſet ilico ab ipſis tãtiginem auferre, & nullus inueniretur, qui Venere vti vellet, dic inſuper, pueri quibus cõtingit in aluo materno affectus gallicus, quod mali perpetrati ſunt, & qua luxuria ſunt vſi? cum Hippocrate igitur in libello de ſacro morbo dicamus, nõ magis ſacrum eſſe hunc morbum, quàm alij ſint.

At ambigere poſſes, quia ſi cœleſtium corporum motus, influentia, & lumẽ fuêre huius affectus cauſa, neceſſariũ eſt, vt aliâs etiam fuerit, & aliâs futurus ſit. verũtamen ego non ibo inficias, quandoque fuiſſe, & aliâs futurum eſſe, tamẽ nullus eſt author, qui de eo pertractauerit, nullus eſt hiſtoricus, apud quẽ ſit ipſius facta mẽtio, fatẽdum prætereà eſt, quòd & aliâs in futurum excitabitur. quando autem hoc futurum ſit, ignotum eſt, ſicuti Ariſtoteles in libris de Cœlo dicit, quòd infinities ſunt mutatę & extinctę eædẽ opiniones, & ſi infinitũ ſit tempus (vt Ariſtoteles fatetur) tam à parte antè, quàm à parte pòſt, hic morbus infinities fuit, & infinities etiã excitabitur, hæc omnia cõcedẽda ſunt, quæ ad curationem nihil faciũt. ſi verò vt nos Chriſtiani putamus, mundus ortum habuerit à ſex millibus ſexcẽtis quinquagintaduobus annis ci-

trà

trà, dici posset nũquam fuisse affectũ gallicũ, sed nostro hoc tẽpore primùm prodiisse, cùm priùs nõ fuerit ampliùs visus, tamẽ & hoc noui in mulieribus sanis ac bene dispositis cõtingere, cùm illis menses profluunt, si quis cum eisdẽ Venere vtatur, pustulas supra penem incidere, & plerunque excoriari, hoc tamen in omnibus nõ cõtingit, sed in illis solùm, quæ menses habent acriores, & viri, qui cum his coëunt, virile mẽbrum valde molle habuerint, sed huius generis pustulæ ob hanc occasionem natæ, breui sanitati instituuntur, ex solo ieiuni hominis sputo, cùm mulier non est affecta morbo gallico: secus esset, si eo affecta esset.

Ex his quæ dicta sunt quispiam petere posset, per quas partes per contagium gallicus affectus recipiatur, respondẽdum est per molliores partes recipi, mulieres etenim illum recipiunt, per os, per mammas, per vterum, & per anum, vt si vir morbo gallico affectus cum muliere coëat in illa perfrictione, qua vteri collum perfricatur, incalescit hęc pars vna & rarescit, vnde venenosam illã impresſionẽ facilè recipit, ita & semẽ quòd affectũ est calidũ exiens, in locũ calidũ ob frictionẽ rarefactũ facilè imprimit prauã illã qualitatẽ in talẽ locum, itaq; mulier gallico morbo corripitur, è contra-

rio, si mulier sit morbo gallico affecta, vir cõtagium recipit, primùm in penis extrema parte, & in cole, ac præputio, quia per vteri collum fricãdo, incalescit, & rarescit, affectionémq; facilè recipit, quæ etiam ab agẽte facilè datur, quia ob frictionem iam dispositum est, & ad immittendũ rarefactũ, nonnunquã tamen haud recipi cõtingit, tũ ob humorũ integritatẽ, qui ad recipiẽdum apti minimè sunt, tum ob breuem in loco morã. nã ad actionẽ requiruntur agens, & patiẽs, disposita in debita distãtia, & tẽpus, quod satis sit ad actionem imprimendam. contingit verò quandoque, vt virile mẽbrũ nõ sit malè affectum, neq; mulieris vterus, sed in muliere ab ore cœperit, vel à mãmis, vel ab ano, tunc vir non tam citò recipiet à muliere hunc affectum, cùm veneream rem cum illa exercet, tamen deniq; contagium recipiet. mulier verò citius recepit, quàm vir, quia venenosum semẽ in sui vteri gremiũ recipit. à viro autẽ mulieris semẽ non recipitur, licet eo madescat, propterea mulier faciliùs recipit, quãdo vir nõ habuit primò penẽ affectũ, tamẽ sit affectus, quàm faciat vir quãdo mulier primò affectũ vterũ. Dominus Orobonus de Orobonis nobilis Ferrariensis, vxorem habet honestissimam, quę affectum gallicum per mãmas

recepit, vir tamen eius illam freque̅tiſsimè cognouit, tamen nunquam affectum recepit. per oſcula verò facilè recipitur hic affectus, quoniam vibratio illa, & linguarum conflictus caliditatem auget, linguæq; rareſcunt, quæ ſunt etiam molliores carnes, & quæ facilè impreſsiones recipiunt, ſaliua inſuper prauam affectionem augente, & hi qui affectum gallicum per os recipiunt, exulcerationem in faucibus, ac palato contrahunt. Et quandoq; pars illa putreſcit, & ad nares peruenit, & quod bibitur vinum, per nares exit, nonnulliſque naſus vlceratur, ac decidit, & in lingua puſtulæ fiunt, hoc eſt primum indicium, quod apparet, cùm per os contagium accipitur, puſtulæ primò in lingua apparent, quæ taroli voca̅tur, poſteà fauces malè afficiuntur, & palatum, deinde caput, denique totum corpus.

Per mammas contagium recipitur, quia puer exugendo, & attrahendo mammam calefacit, ipſiúſque os incaleſcit ac rareſcit, vt facilè ſumere poſsit ex muliere contagium, hócq; exugit lac, quod praue affectu̅ eſt, è contrario ſi infans ſit, qui affectum habeat, mammam exugendo illam rarefacit, & facilè recipit à puero contagium. Vt Domini Oroboni vxori contingit. hæc enim vtero gerebat, & ad ſeptimum vſq; me̅ſem

peruen

peruenerat, nutricem conduxerat, quæ nasciturum fœtum nutricaret, cui obierat infans, quem lactabat, ob hoc ex berophotrophio infantem accepere, qui gallico affectu erat imbutus. illũ enim ab vtero materno asportauerat, paupercula hęc nutrix ab hoc infante affectum recepit, interim vxor Domini Oroboni peperit, & nutrix remisso ad berophotrophiũ infante, filium Domini Oroboni nutrire cœpit. receperat verò in mamma contagium, inde ad octo dies nõ poterat nutrix ob affectum in mamma lac infanti præbere, Mater nutricis vices suppleuit, interim dum nutrix ipsa curabatur, sed non multò pòst, & mater à puero contagium accepit, fuitq; sæuissimus morbus, sed deniq; post multos labores sanitati restituta est, & multos peperit filios.

Per anum huius affectus cõtagium recipitur ex cõfrictione illa calefaciente, & rarefaciente, vnde ab ano peni præbetur, & à pene ano, & cùm hoc fieri nõ possit, nisi ex cõcubitu pręter naturam, idcirco hoc videtur diuinum in his, qui per hanc viam sumpsere, cõtagium, quòd affectus hic gallicus semper sæuissimus est, ob vindictam, quã sumit Deus de hoc nefando scelere, quãuis dici possit, magis imprimi ob loci arctitudinẽ, tamẽ vt ab eo nefando scelere homi-

nes deterreamus, dicēdū est esse Dei omnipotentis iudicium, quòd pro meritis illos ita tractat, & longè vehemētiorē morbum efficit, cùm per talem locum contagiū recipitur. Cùm verò in mulieribus sint quatuor viæ recipiēdi huius morbi cōtagium, vterus, os, anus, mammæ in viris, vnde sunt tres penis, os, anus. petes verò, nū per alias carnis porositates recipi posit, vt si quispiam cum affecto morbo gallico ederit, & in eodem vase bibat, ac cum eo dormiat, nunquid posit hunc affectum recipere? Dicimus impræsentiarum, quantum sit de re ipsa, huius posibilitatem non negādam. at addendum esse ad hoc vsq; tempus, nō esse visum, neq; cognitum, quòd quispiam nisi per coitum, vel osculum, vel per mammas hunc morbum receperit, quātum in me sit cum eo haud cubarem, qui scabie gallica affectus esset, neq; in eodem poculo biberē, aut in eadem ederem lance, neq; eadem vterer mappula ad extergēda labia, tamē nunquam aliquē noui, qui morbum hoc modo susceperit, per solam scilicet conuersationem, neque quempiam audiui, qui id viderit, verūtamen hoc obseruaui, si hi qui cum his versantur, & potisimùm cubant, in scabiem incidant, scabies illa curatu difficilima est, hoc vidi & obseruaui, vt ferè videatur

tur aliquid maligni ex mora, quam habet cum affecto, contraxisse. Consobrinus quidam meus puer, matrem habebat gallico affectu correptam, & cum ea cubabat, quãdoq; in scabiem incidit, quæ sanitati restitui nõ poterat, & circa crura crustas habuit, & tubercula, quæ depelli non poterant, sed diu in illis perseuerarũt, tunc eram puer & coniectatus sum illud contigisse, ob morã, quam trahebat cũ matre prauè affecta. non vidi autem gallicum affectum per hanc cõuersationem vnquam esse receptum, hoc tamen vidi, quod dixi, morbos in illis fieri vehementiores, idcirco laudarem vt euitarẽtur, vnde per porositates extrinsecas aliorum membrorum preter membra dicta recipi posse non videtur, quoniam hæc praua affectio confrictione indiget, & vehementi caloris excitatione, partium apertione, & petes si manus cũ manu fricaretur, aut venter cum ventre, num per hunc modũ recipi posset? Respondemus, non esse negãdum, quòd recipi posit, cùm suapte natura sit morbus contagiosus, sed difficilius est, & non visum anteà, neque partes enumeratæ molles sunt: quales illæ, per quas recipit.

Cùm morbi omnes peculiarem soleant habere humorem, cui primo inhærent, vt phrenitis bilem, lethargus pituitã, insania

atram bilem, & ita per alios discurrendo morbos, hinc quispiam de morbo gallico petet, quinã sit ipsius proprius humor. respondendum est, quãdo in initio recipitur affectus nullum habere propriũ humorem, sed in illo esse humore, qui in illius corpore qui affectus est, abundat, vnde si biliosus natura ægrotãs sit, affectus gallicus in initio biliosus est, si sit pituitosus, morbus est pituitosus, si atrabilaris, atrabilaris erit, si sanguineus sit, affectũ sanguineũ esse oportet. nam illi innititur humori, qui in corpore dominatur, tamẽ processu ipsis atrabilaris euadit, & pituita abundat, vel sit quia morbus qui dolorẽ incutit, multa inducit fastidia, vt mẽte quiescere nõ possit, sed ob cogitationem atra bilis generetur: vel sit quia morbi natura sit talis, vt atram bilem inducat, & vnamquanq; tẽperiem in atram bilẽ vertat, vel sit qualitas illa praua, quicquid dicatur, ad rẽ ipsam nihil facere videbitur. At id solùm dicamus in ipsis processu omnes gallico morbo affectos atrabilares euadere, in aliquo videtis in initio crustas adesse latas, coloris lutei, quæ bilem præseferunt, in processu verò nigræ euadunt, in aliquibus sunt rubræ, in aliis albæ, in aliis nigræ, in aliis diuersis coloribus mistæ, vt sunt & ipsi misti humores, pu

ſtularum etenim colores,& cruſtarum,peccantis humoris genus oſtẽdunt. Hæc igitur cõcluſio ſit,in initio eſſe ſecundum tẽperiẽ, & humorẽ genus,qui illo, qui affectus eſt, abundat, in proceſſu verò omnes atrabilares euadunt,& pituita etiã abundant,mirè ſanguineos vidi ob gallicũ morbum atrabilares eſſe affectos. initium verò curationis ab illius humoris euacuatione incipere debet, qui in hoc ægrotante peccat, vt ſuo edocebimus loco.

At dices, cùm morbus gallicus ſit quæpiam venenoſa qualitas, & vnaquæq; qualitas per contrariam curetur qualitatẽ,quæ erit qualitas qualitati morbi gallici oppoſita? Dicimus cùm in gallico affectu duo ſint,vnum eſt humor cui innititur hęc affectio, alterum qualitas ipſa venenoſa, quæ hunc morbum in ſpecie collocat. Primum quod eſt humores, ita curandum eſt, illos euacuando,& alterando,ac illa adhibendo, quæ humoris qualitati contraria ſunt.

At hæc ſecunda gallici affectus qualitas, qualitate ſibi oppoſita remoueri debet. Verùm hæc qualitas,nõ eſt calidum neq; frigidum,neq; humidum,neque ſiccum,neq; eſt albedo,neque nigredo,neq; dulcedo, neq; amaritudo,ſed eſt qualitas quædã innominata, quæ omnino oppoſitam habet inno-

minatam qualitatem. At dices, si est innominata, igitur est incognita, dicimus consequentiam non valere: cùm multa sint innominata quæ tamen incognita non sunt, nisi vt nomine carent. At verò notas esse qualitates, quæ gallici morbi qualitati aduersantur, ex sanitate, quæ inducitur planũ est, nam nõ induceretur, nisi rerũ quæ adhibentur qualitates, morbi gallici qualitatibus essent opposítę, quia omnis curatio per contrarium fit. experientia verò fuit, quæ medicamentum ostendit qualitati morbi gallici, qualitatem oppositam habẽs, vnde experientia compertum est, hunc affectum ex decocto indici ligni remoueri, hoc autẽ non facit quia calidum, cùm multa habeantur calidiora, neq; quia siccum, cùm multa adsint sicciora, quę tamẽ hoc minimè pręstant, sed fit ob quandam innominatã qualitatem, quæ per experientiam inuenta est, morbi gallici qualitati aduersari, vt pestilenti morbo etiam contingit, si cum febre sit biliosissima Theriaca sanatur, non quia frigida sit, sed quia venenosæ qualitati aduersatur, tamen ratione febris à medico frigida etiam adhibentur, ac Theriacæ commiscentur, vnde Theriaca qualitate sua pestilentiæ aduersatur, & non quia calidam, neq; quia aliquam habeat sensibus notam

qualit

qualitatem, ſed quia innominatam qualitatem habet, quæ peſtilentis morbi venenoſitati aduerſatur. Et ſi petas, quæ'nam ſit eiuſcemodi morbi gallici qualitas. Dicimus oculis oſtendi non poſſe, ſed nonnulli oſtenduntur effectus, qui illam præſentem eſſe monent, vt ſunt cruſtæ, tumores, dolores, pallores, & alia multa quæ ad gallicum morbum ſequuntur, ſicuti nec multæ aliæ ſecundæ qualitates poſſunt vel oculis videri, vel aliis ſenſibus percipi, ſed per aliquos effectus percipiuntur, vt eſt peſtilentis morbi qualitas, quæ eſt venenoſitas, ob maximas cognoſcitur inquietudines, perturbationes, & mortes.

Multi gallicum affectum hoc modo definire conati ſunt, eſſe prauam epidemialem diſpoſitionem in corporis membris, præcipuè in hepate, & venis, & eorum humoribus, ex qua veluti ſymptomata dolores ſequuntur, & per vniuerſum corpus puſtulæ. Verũtamen eiuſcemodi definitio potuit fortè in huius morbi initio fieri, cùm ſemper dolores, & puſtulæ ſimul aderant, & nihil aliud. Impræſentiarum verò, vbi adſunt præduri tumores, vbi pilorum defluuium, vbi vnguium caſus, vbi dentium atque oculorum amiſsio, eſt imperfecta definitio: non conuenit inſuper quia

vult & dolores, & puſtulas per vniuerſum corpus ſemper adeſſe, cùm poſsint eſſe puſtulæ abſque doloribus, & dolores abſque puſtulis, & plerunque puſtulæ vnam ſolam corporis partem vexant, vt caput, & non aliam: dolores nõnunquã in capite tantùm ſunt, & non in alia parte, quandoq; neq; dolores adſunt, neq; puſtulæ, cùm ſimpliciter pili decidunt, in quo caſu plerunq; neq; dolores adſunt, neq; puſtulæ, fortè verò quãdo in initio cœpit in bello Neapolitano puſtulæ ſimul aderant, & dolores, & hoc per vniuerſum corpus, nunc verò res haud ita ſe habet, ſed octo diſtincti modi reperiuntur, & compoſitæ complicationes ducentæ & trigintaquatuor, ſi quis rectè computabit.

Si verò gallicum morbum nos definire tentaremus, in genere potiùs deſcriberemus, cùm ſit valde multiplex, quàm vera aliqua definitione explicaremus, vt dicendo, eſſe affectum multiplicem, modò qualitate afficientem, modò in cõpoſitione, modò in ſolutione cõtinui, modò cũ doloribus, modò ſine doloribus, modò cum cruſtis, modò ſine cruſtis, modò cũ tumoribus duris, modò ſine his, modò cũ defluuio pilorũ, modò ſine illo, modò cum dentiũ defluuio, modò ſine illo, modò cum vnguiũ caſu, modò ſine illo, modò cum oculorũ amiſsione, modò ſine

ſine hac amiſsione, modò cum gonorrhœa, modò ſine gonorrhœa, modò cũ omnibus, modò cum aliquibus, vt ſuperiùs ducentæ trigintaquatuor diſtinctæ ſunt ſpecies, contempleris quomodo poſsit vna forma, & vna definitione muniri tam diuerſus, támque varius morbus, & tot habens diuerſitates, idcirco ſatis eſſe arbitror haberi quid nominis de gallico affectu, cùm quid rei, verè haberi non poſsit.

De his impræſentiarum agendum eſt ſignis, quæ oſtẽdunt hunc tam multiplicem affectum eſſe hunc vocatum gallicũ. Cùm quempiam videbis, qui cum meretricula muliere veneream rem exercuerit, & circa præputiũ vel penis glandem paruas habeat puſtulas corrodentes, & inguina intumeſcunt, indiciũ eſt hunc recepiſſe cõtagium, nã puſtulæ illæ in glande corrodentes, quæ taroli vocãtur, indicia ſunt receptionis contagij, irrepit deinde paulatim morbus (niſi prouideatur) & totũ inficit corpus, primò inguina petens & bubones inducẽs, poſteà in iecur irrepens, denique in cor & caput, & breuiter per totum dilatatur corpus.

Cùm aliquẽ videbis, qui poſtquam cum impudicis mulieribus cubuerit in gonorrhœam incidat, etiam ſine vlcere in pene, & ſine bubonibus (quia & cũ his eſſe poteſt)

& adhibitis præſidiis minimè curetur, iudica hũc affectum eſſe morbum gallicum. Cùm quiſpiã cum impudica muliere rem veneream habuerit, & puſtulas in ore incidat, & in faucibus ac gutture exulceratio fiat, & haud facilè curari poſsit, ſed abire videatur, poſteà reuertatur, indicium eſt hũc eſſe morbo gallico affectum.

Si quiſpiam puer à turpiſsimo in moribus homine fuerit ſubagitatus, & illi in ano & circa anum puſtulæ cõtingant, quæ facilè remoueri non poſsint, ſed potiùs vſq; ad oſchreum dilatentur, & extendantur, morbum gallicum eſſe iudicato.

Si infans lac exugens circa os puſtulas contrahat, quæ extranei coloris ſint, nec curari facilè valeant, iudica hunc morbi gallici contagium à nutrice recepiſſe.

E contrario, ſi infans à berophotrophio receptus, puſtulas per corpus habeat, ſítque prauè affectus, & nutrix in mammis, ac papillis, puſtulas incidat, quæ facilè curari nõ poſsint, iudica nutricem hãc ab infante recepiſſe cõtagium. Capitis grauitas cum dolore, qui ad humeros vſque extendatur, vt ille brachia eleuare non poſsit, neque ſibi caput detegere, neq; quandoq; bolum ſibi in os immittere, vel vini cyathum ſuis manibus apprehendere, hoc eſt gallici affectus

indi

indicium. Cùm capitis dolores, humerorum, brachiorum, & reliquarum corporis venenoſarum partium veſperi fiant vehementiores, vſque ad dimidium ferè noctis, poſteà dolores remitti incipiant, indicium eſt eſſe dolores ex gallico affectu, potiſsimùm quando multis adhibitis præſidiis, obliterari non potuerunt.

At quiſpiam petere poſſet, cur potiùs noctu, quàm interdiu vexent hi dolores. Nõnulli cauſam reddunt, quia humores noctu augentur. verùm æquè augentur interdiu: nam ſicut vna cibatio in nocte coquitur, ita vna coquitur in die, idcirco par ratio eſt cremẽti humorum tam in nocte, quàm in die. Dicẽdum potiùs eſt, noctu dolores augeri, quia hoc tempore humiditates mouentur, & nox ipſa humida præcipitat cœlo, humores verò ab humiditate extrinſeca commouentur, augentur, & agitantur: tum etiam, quia noctu naturalis calor ad intrinſecas retrahitur partes, idcirco humores cõmouet, qui commoti dolores augent. Adde materias morbum gallicum facientes, vt plurimùm eſſe frigidas, vel ſi in principio frigidæ non ſint, in proceſſu frigidæ euadunt.

Cùm in aliquo videbis cruſtas circa frontem pullulare luteas, ſiue nigras, ſiue albicantes, ſiue miſtas, quæ illum deforment, galli

gallicum affectũ habere iudicato: nam hæ crustæ humorum ratione sunt coloratæ. Si verò petas, quomodo discernantur: respondemus, si crustæ sint liuidę, & hi acuto capitis dolore deprehensi sint à bile esse, ne dubitato, tum ob crustarũ colorẽ, tum ob doloris capitis vehemẽtiã. & hæ crustæ biliosæ, vt plurimùm in pyramidis formam exacuuntur. Si verò crustæ hæ dealbescant, & latæ sint, capitisq; dolor obtusus videatur, à pituita esse fatendum est. Ab atra bile verò contingent, si nigræ appareãt, & asperæ, & dolor sit vehemens. At si dolor mitior sit, crustæ verò subrubræ sint, à sanguine esse iudicari debet. Cùm verò sunt variæ & diuersorum colorum, à diuersis gignũtur humoribus, tu verò diuersitatẽ & humorũ diuersitatem, ex colorũ diuersitate deprehendes, quia si color niger sit & luteus, à flaua bile & atrabile crustas cõfectas esse iudicabis: si albicãs & luteus, à pituita & à bile. Si subruber & luteus à sanguine & bile, & ita de aliis complicationibus dicendum est.

Si à quopiam videas capillos decidere, & barbam, & potissimùm supercilia, hunc morbo gallico affectum esse iudicato. Intelligendum verò est, modò hęc nõ sequantur ad aliquem magnum morbum, & præsertim cùm scitur hunc Venere, & cum me-

retric

retriculis esse vsum.

Idem iudicium de dentibus facito, de vngulis, & de oculis, nam impræsentiarum in his solis quandoq; est partibus hic affectus.

Ex pulsibus difficulter cognoscitur gallica lues, imò necesse est, vt variet secũdum humorum variationem, & vt dolores intensi sunt, ac remissi, in intensioribus enim magis frequens est, & velox, sed imbecillus: tamẽ cùm febre plerunque careant, neque etiam habent certam rationem ex pulsibus. Vnde simpliciter dicendum est, horum pulsus certum iudicium non præbere, quòd sit affectus gallicus.

Neque certum faciendum est ex vrinis iudicium, quia vrinæ humorũ ratione variæ sunt, & potereà dolor ac reliqua symptomata vrinarum variationem faciũt, tamen si quæ vrinæ sunt ac lue affectis propriæ, sunt vrinæ crudæ, albæ, absque hypostasi, vel cum modica hypostasi: quia materia quæ per vrinam exire deberet, & hypostasim facere, ad iuncturas tendit, ad pustulas, ad caput, & ad alias partes.

Ex sputis ac similibus tuta nõ habentur gallici affectus signa, neque propria sunt ipsius signa: nisi intelligeremus, quòd sputa de affectu in faucibus iudicare possent, quia quãdoq; ephelcides, id est, crustæ expuũtur,

quod

quod indicium est, exulcerationem adesse

Qui colorem viuidum habere cõsueuerunt,& floridum,posteà pallidus efficiatur, & luteus,& macilentus,qui aliôqui erat plenus,& ita diu perseueret,neque aliquo alio affectu laboret, in morbum gallicũ hũc incidisse arbitrandum est, solet enim eiuscemodi morbus colorẽ maximè immutare, & liuidum,pallidum,ac luteum reddere.

PROGNOSTICA.

In gallico affectu crustæ & pustulæ sunt minùs malæ, quàm dolores: nam per crustas, & pustulas prauæ materiæ corpus exeunt,quæ aliôqui illud praue efficerent.

Dolores gallici qui cum crustis sunt, ac pustulis, (nam quandoque cum his fiunt) mitiores sunt,quàm dolores absq; crustis.

Dolores cũ duris tumorib. sunt vehemẽtes,sed minùs mali,q̃ dolores absq; vllo tumore:nam tumor hic aperiri põt,at si nihil adsit tumoris, difficilius est negotiari.

Omnium morbi gallici modorum minus malus est pilorum amisꝭio, sed hominem tantum derisui reddit.

Lentæ febres,ac longæ, cum morbo gallico futuram hecticam minimè significãt. infinitos ferè vidi, qui in tales incidêre febres, & in vrinis pinguitudo innatãs videbatur,tamen hectici haud euasere,imò gal-

lico affectu curato, & etiam per existentia, febris ipsa vnà curata est, ac abiit.

Gallicus morbus raros interficit, tamen interficere potest, & nõnunquã id facit, sed tũc potissimè est, quãdo preter gallicũ affectum, ægrotantes se regere noluerint, & inordinatiore victu vtũtur, vt mors potiùs ad eorum errata sequatur, quàm ad morbum.

Gallicus affectus homines semper imbecillos reddit, & qui facilè in alia morborum genera incidant.

Morbo gallico affectus, si in sanitatem restituatur, & sibi digitũ, vel aliquam corporis partem leuiter incidat, per longum temporis spatium sanitati non restituitur. nam membra prauam quãdam qualitatem amittunt, vt cùm discontinuantur, in continuationem difficulter reduci possint.

Gallica lues recẽter inducta, facilè curari potest, idcirco cùm primùm ægrotãs se tali morbo correptũ perceperit, ilico se curari iubeat. Si verò antiquior sit, difficiliùs curatur, imò ex mora tantùm intendi posset, vt curationem nunquam admitteret.

Pustulę faciliùs curãtur, q̃ dolores, & pręduri tumores difficiliùs curãtur, q̃ pustulæ.

Qui raucam vocẽ habent ac perseuerantem cũ faciei pallore inusitato, tibi de affectu gallico suspecti sint, & per os recepisse

contag

contagium indicium eſt,quanquam poſſet & illuc per alias vias irrepiſſe.

Atrabilares ad affectũ gallicũ magis parati ſunt,quàm cætera hominũ tẽperies.nã & omnes gallico morbo affecti,deniq; atra bilares euadũt,& atrabilares per aduſtionẽ illi potiſsimùm ſunt, qui facilè hũc morbũ incidunt,hoc verò intelligẽdum eſt ratione humoris,nõ autẽ ratione ſoliditatis carnis. nã hoc ſecus eſt, caro etenim atrabilariorũ cùm ſit arida & denſa,difficiliùs recipit cõtagiũ: at atrabilares humores faciliùs recipiunt ob ſymbolũ quoddam ægritudinis. Sunt ergo humorũ ratione ad hunc affectũ magis parati atrabilares, in ſecundo loco ſunt biliosi, in tertio ſanguinei, in quarto pituitoſi, quãuis omnes in proceſſu atrabilares euadunt, & pituita inſuper abundent.

Raræ texturæ homines faciliùs incidunt in hũc affectũ,quàm nõ raræ texturæ, vnde qui ſcabiẽ facilè, & morbos cõtagioſos recipiũt,facilè etiã luẽ gallicã recipere poſſunt.

Qui prauis humoribus repleti ſunt,faciliùs, & citius in hunc affectum incidunt, quàm qui probos habent humores.

Qui inordinato victus genere vtuntur, & potiſsimùm ſi atrabilariis veſcantur cibis,in hunc affectũ faciliùs incidunt, quàm qui ſecus faciunt,& probo victu vtuntur.

Iuuenes

Iuuenes & pueri faciliùs ab hoc affectu liberantur, quàm senes, & qui in aliis ætatibus sunt.

Qui tota nocte cum meretricula cubauerit, in hunc affectũ faciliùs incidit, quàm qui interdiu rem veneream exercuerit, & subitò recesserit.

Facillimè omnium illi in morbum gallicum incidunt, qui primò eo fuêre correpti, posteà sanitati restituti, iterum contagium recipiunt, nam relicta est (etiam si sit sanus) qualitas quædam praua, quæ cum lue gallica symbolum habet.

In his edisserendis prognosticis non est opus vel Galeni vel alterius antiqui sententias quærere, quia nouus est morbus citra septuagintaquatuor annos ortus, quem antiquiores illi non cognouere autores, neque aliquem de eo priùs scribentem legêre autorem.

Qui verò solo gallici morbi modo affectus est, faciliùs curatur, quàm qui multis afficitur morbis, & ita secundum cõplicationem faciliùs & difficiliùs curatur. at verò opus est, vt omnia semper æqualiter intelligantur. nam si quispiã solis doloribus affligeretur, sed vehementioribus, alter verò crustas remissas haberet, & remissum dolorem, hic qui habet duo hæc remissa, faci-

liùs curabitur(licet duo sint) quàm ille, qui habet solos intēsos dolores. Si verò æqualia essent, semper faciliùs is curatur, qui vnū solùm modū habet, quàm qui plures, & quātò plures sunt, tantò difficiliùs curabitur.

Qui in pilorum casum incidunt, in ridiculum morbū incidunt, & illi hominibus derisui sunt, qui hoc affectu sunt deprehēsi. At quibus dentes, ac vngues decidunt, in derisum quidem veniunt, sed misericordia iunctum, at qui oculos amittunt, misericordia solùm ac pietate digni sunt.

Quispiam verò dubitare posset, cur à pudendis vt plurimùm incipiat hic affectus respōdent nōnulli, quia influxus ille pudendis aduersabatur, quādo hic morbus per influxum excitatus est, nā in pudendis cōformitas quædam adest, quæ est inter morbi qualitatē, & hæc membra ac cœlestē influxum. At hoc videtur esse reddere rationem, per illa, quæ maiori indigēt percūctatione, querendum nimirū est, cur ille influxus pudendis aduersetur, & cur deinceps influxu remoto, qui pudendis ampliùs nō aduersatur, vnde cōcipiatur per illā viā affectus, & prætereà illi, qui cum muliere nō concubabant, cur nō incidebāt in hunc affectū, si ab influxu dependebat, tamē nemo vnquā visus est, qui in hunc affectū inciderit, nisi re

venerea

venerea vſus ſit, aut lac exugerit, aut deoſculatus fuerit, nec percipitur cõformitas iſta, inter morbi qualitatem, & hæc mẽbra, imò cùm multum neruoſa ſint, corruptioni multum repugnare vidẽtur, idcirco magis affici non deberẽt, quàm alia membra, quæ ad curationem magis apta ſunt.

Alij dicunt in pudendis abundare magis humores, qui ſunt putrefactioni parati, ideò in illis mẽbris potiùs fit, vel ab illis potiùs incipit. At hoc abſurdum videtur, quia ſemper nõ incipit in illis mẽbris, ſed quandoque à mammis incipit, quandóque à lingua, palato, & faucibus. Prætereà ſi illa mẽbra plus haberent materiei ad putredinem aptæ, tunc non morbus gallicus ſolùm, ſed multi morbi in his locis orirẽtur, quãquàm negandum non ſit ad has partes tanquam ad cloacam multos deſcendere humores.

Dicendum igitur eſt ideo à pudendis incipere, quia illa ſunt quæ primò cõtagium recipiunt, nam perfricatio illa inſenſibiles meatus aperit, & contagiũ facilè recipitur, à pudendis ergo incipit: quia illa ſunt, quæ primò recipiunt, vel quæ primò præbent, & agitatio concurrit, quæ calefacit, & aperit, cõuenit etiam membri mollities, quod facilè recipit. & hæc eſt vera cauſa, cur vt plurimùm à pudendis incipiat, & non alia,

quia ſunt prima membra, quæ tanguntur, & fricantur, & incaleſcunt ac rareſcunt, ſúntque mollia membra, neq; illud etiam parui eſt momenti, quòd ad illa tanquam ad cloacam multi praui à natura illuc delegati decurrunt humores.

At quia nonnulli dixêre, ab illis etiã incipere membris, quando primùm oritur, & abſq; contagio, propterea quærendum eſt, nunquid hic affectus de nouo abſq; contagio excitari poſsit. dicimus rei poſsibilitatem eſſe quoddam aptum, & hic morbus alias fuiſſe potuit, licet de ipſo nulla ſit facta mentio, & futurũ eſſe aliàs, tamen ſemper crediderim præter influxum, particularia etiã requiri circa ſubiectũ, quod recipit, vt quod rem habeat cum aliqua muliere, quæ vteri partes malè affectas habeat, & quandoq; exulceratas, licet non ex morbo gallico: tamẽ hic rem venereã cum illa habeat, & ex illa confrictione cum cœleſti influxu fiat hic morbus. Quòd autẽ abſq; his oriatur, nunquàm crediderim. Audiui Medicos quoſdam de religioſa muliere fatentes, quòd morbũ gallicũ ex ſe cõtraxerat, & non ex cõcubitu, & ego certè ſcio matronã illã religioſam virginẽ eſſe, & probiſsimã, imò in tali eſſe loco, vt ſi prauè etiã perpetrari vellet, minimè poſſet, at ego medicos
iſtos

istos rationibus cõuinci, cũ hãc mulierẽ visitassem, & illis ostendi huius mulieris affectus esse vterinos, nõ gallicos, & illam deinceps curaui ex vterinis affectibus, & sanitati deniq; restituta est, absq; medicamentis, quæ morbum gallicũ sanare consueuerunt. Vnde arbitror morbum hunc nõ posse, vel de nouo excitari, vel per contagium recipi, nisi per coitum, vel per lactis exuctionem.

Vt autem ad superiora redeamus, Hippocrates in tertio Aphorismorum libro, in æstate dicit pudendorum putredines oriri, Galenus hoc intelligit in humida æstate, aut in ea, in qua non abundauerit ventus, aut spirauerit auster, vnde temporis humiditas in ipsis putredines excitat, quamuis Galenus intelligat hoc nõ solùm in pudendis fieri, sed in alia etiam parte, est 21. Aphorismus, ex hoc tamen non habet, quòd hæc putredo causa sit, cur in pudendis incipiat gallica affectio.

Nec dubium istud prętereundum est, cur nonnunquam cõtingat, vt aliqui atrabilares sint, & victu tali vtantur, qui tẽperiem adiuuet, tamen cum gallico morbo affectis mulieribus coëunt, & cõtagium non recipiunt, nonnulli respondent ex proprietatis indiuiduæ diuersitate hoc contingere, quæ est alia in alio, vt prima primi ex Auicenna

colligitur. Vnde aliqui temperiei sanguineæ in hunc morbũ incident, alij atrabilares, nõ incident. superioribus diebus tres vidi, qui cum quadam meretricula venere vsi sunt, & duo vehemẽtissimè affecti sunt gallico morbo & potissimùm pilorum defluuio, hiq; duo optima tẽperie præditi sunt, & optimo habitu, tertius verò, qui est prauæ temperiei contagium minimè recepit, tamen non semel tantùm, sed pluries cum eadem meretricula Venere vsus est: primi verò illi duo consocij, qui erãt bona temperie præditi, ab hoc affectu malè tractati fuerunt, & adhuc in ipsis vestigia supersunt, quãuis diu sit, quòd laborent: tamen præter hanc proprietatẽ dici posset, illum nõ incidisse in hunc affectũ propter aliquam indiuidualem proprietatẽ, sed quia obstructos meatus habebat, nam hi atrabilares (vt ille est qui praua temperie præditus est) corpora habent densiora, quæ sunt ad recipiendum inepta. Vnde ille contagium minimè recepit, quod fuit ratione intensioris carnis, & pororum occlusionis, non autem ratione humoris, qui facilè recipit.

Cùm verò gallicus affectus sub pustularum specie appareat, & sub specie dolorũ, petendũ est, quãdo cũ pustulis erit, sub quo pustularum genere contineatur, & ad quod

genus

genus reduci debeat? Nonnulli recẽtes di-
cũt esse Auicennæ Asafati. at superiùs dixi
mus Nicolaum Leonicenum illos optimè
reprehendisse, qui censuere morbum galli
cum esse Auicennæ Asafati, fortè dices illi
saltem assimilari. nam Asafati inter exul-
ceratas pustulas numerari. Dicẽdũ verò est
duplex esse pustularum genus in hoc affe-
ctu, prædurum vnum, quòd vulgò gummi
vocatur, alterũ quod crustam inducit, præ-
durum sub sclirorum genere continetur, &
quãdoq; sub prædurorũ œdematũ genere,
& plerunq; nodi dici possunt: quia ita sunt
aliquibus membris infixi, vt natiui nodi
tabulis infixi sunt, licet nõnũquam & tales
viderim duricies, quæ natæ vocari poterãt,
cùm per membra commouerẽtur, & veluti
natarent. pustulæ verò, quæ crustas habent
secundũ colorem, ad pustulas illius humo-
ris reduci possunt, vt si sint luteæ pustulæ,
biliosæ vocẽtur: si nigræ, atrabilares, si albi
cãtes, pituitosæ, & si rubræ, sanguineæ: &
licet sanguis inflãmationẽ faciat, bilis ery-
sipelas, pituita œdemata, atrabilis scyrrhũ,
tamẽ hæc fiũt quãdo hi soli humores sunt.
in crustis verò in hoc morbo non sunt pu-
ri humores, sed à superabũdati denomina-
tio fit. nã biliosæ crustę si à bile fuissent pu
ra, crustã non induxissent, sed erysipelas, &

ita de aliis, vt conuenit, dicendum est.

In doloribus etiam dubitatio cõtingit in quo sint genere reponẽdi gallici isti dolores, nõnulli dicũt inter extẽsiuos dolores reponendos esse, qui iuxta Auicennam à flatu fiant, aut à materia, quę in neruis, aut in musculis impacta sit. veruntamen si hîc dicere intendant, quandoq; extensiuos esse dolores gallicos, hoc fatebimur. simpliciter verò nõ fatebimur, dolores omnes gallicos semper esse extẽsiuos. nã quãdoq; sunt pulsatiui, quandoque acuti & pungitiui, vt ferreus stylus in membra infigi videatur, quandoque sunt obtusi, quãdoq; grauatiui. Nõnulli arbitrati sunt, hos dolores esse (vt Auicennæ verbo vtar) frangitiuos, sed hoc simpliciter dicere, simpliciter etiã falsum est. Nã fieri quidẽ potest, vt aliqui sint frangitiui, sed omnes ita esse cẽsendũ nõ est. nã cùm frãgitiuus dolor iuxta Auicẽnã à materia fiat inter os & pelliculã tegẽtẽ os cõtenta, nõ poterit semper gallicus morbus vocari frãgitiuꝰ: quia & in aliis à prędictis locis materia cõtinetur, quę hos dolores excitat.

Nos ergo in genere dicamus gallicos dolores in omni ferè esse dolorum genere, quòd inueniri posſit, neque ad vnã certam dolorum speciẽ reduci possunt, quia aliqui erunt in vna specie, in qua alij deinde non erunt

erunt,hæcq; dicenda ſunt de morbi gallici puſtulis & doloribus.

Cùm in affectu gallico dolores contingant, & vt plurimùm ſint circa iuncturas, idcirco dubitare contingit,propter quid in iuncturis potiſsimùm excitentur,nonnulli dicũt in illis excitari locis,quia & materiæ in eiſdem colliguntur.at eiuſcemodi ſolutio abſurda videtur, quoniam per motum, qui in iuncturis fit, reſolui deberet.nam in omni corporis motu arctus & iuncturę mouentur,& ideò humores ob motum potius reſolui deberẽt,quàm colligi.at eiuſcemodi ratio hoc modo ſoluenda eſt,quòd iũcturæ cauitatem habẽt, quæ materia implentur, & quæ per motũ tam facilè reſolui nõ poteſt,imò in motu plerũq; dolores augentur,tamen ſi vehemẽtiſsimus ac diuturnus fieret motus,materię reſoluerẽtur,& dolores ceſſarent,deniq; ſunt nõnulli qui ex vehementiſsimo motu quotidie frequẽtato à gallicis doloribus euaſêre, vt cõtingit Dono Batano Campanario,qui ſæuiſsimis doloribus cruciabatur,ſed cordas trahẽdo magnæ campanæ Epiſcopij Ferrariẽſis,ab eiſdem doloribus euaſit. Ad rem igitur, motus quilibet non eſt aptus,omnes reſoluere materias,quæ in iuncturis continentur,ſed tantùm vehementiſsimus motus. plerunq;

verò ex motu dolor augetur, quando materias quidẽ flatuabit, sed resoluere nequibit.

Nota insuper eos, qui crustas habent, vt plurimùm mitiores habere dolores, vel nullos, quia materia ad circunferentiã exit, & nõ ad iuncturas. qui verò doloribus absque crustis affliguntur, vehementiores semper habent dolores, hi etiam sunt vehementes dolores, qui ex prȩduris excitantur tumoribus circa iuncturas.

Priusquàm verò ad gallici affectus curationem cõuertamur, scire oportet aliquem esse gallicum morbum incipientem, alium confirmatum, & nõ inueteratum, alium et inueteratum, & confirmatum. Primò de curatione gallici morbi, qui incipit, verba faciamus, id est, de eo, qui nondum mensem excessit, vel mensem cum dimidio.

DE CVRATIONE GALLICI AFFECTVS INCIPIENTIS.

SI tibi quispiam occurrat ex gallico affectu curandus, qui in initio sit, id est, non diu sit, quòd cõtagium receperit (id verò cognoscitur, quia pravæ pustulæ in præputio vel cole pullulare incipiũt, & panus, vel bubo excitatur, vel pustulæ in ore incipiunt) hic potest in sanitatem restitui ex sola purgatione prætermittendo maiora, vt sunt maiores inunctiones, & ligni Indici potiones

tiones. primò igitur contemplator, an hic macilentus ſit, vt ſanguine non abundet, an plethoram habeat. nam ſi ſanguine non abundabit, ſed eo potiùs indigebit, venæ ſectio exercenda nõ eſt. ſi verò abũdabit, iecoraria dexteri brachij vena ſecetur, priùs tamen hoc clyſteri ventre lenito.

℞. Maluæ
Violarum
Althææ
Mercurialis
Singulorum Man. j.

Miſce, & bulliant in aqua ſecũdum artem, poſteà

℞. Huius decocti ℔ j.
Olei violacei ℥ iiij.
Caſsiæ nuper extractæ ℥ j.
Salis communis ʒ ij.
Miſce & imponatur

Clyſteri ſecreto, venæ ſectio fiat ad ſanguinis libram plus minus vt vires exigũt, poſteà huius generis ſyrupi præbeantur, ſi ſanguineæ ſit temperiei hic, qui ſequitur adhibeatur.

℞. Syrupi de cap. ven.
Syrupi de endiuia
Singulorum ℥ j.
Inf. ſenæ ℥ iiij.
Miſce.

At ſi

At si biliosæ sit temperiei, & præcedenti syrupo vti poterit, & hoc qui sequitur:

℞. Syrupi violacei
Syrupi de endiuia
Singulorum ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Si verò pituitosæ fuerit temperiei, hoc qui sequitur, syrupus adhibeatur.

℞. Syrupi de hyssopo
Syrupi de cap. ven.
Singulorum ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

At si sit temperiei atrabilaris, tunc qui sequitur syrupus, præbendus erit.

℞. Syrupi de epythimo
Syrupi de fumoterræ
Singulorum ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

In hoc casu nũquam deserenda est senæ infusio. Vnum enim ex his est, quæ supra alia omnia affectu gallico aduersari videntur, quòd per nullã ex manifestis qualitatibus agit, vt necessariũ sit in sena ipsa dicere ratione huius affectus adesse: qualitates occultas, nobisq; ignotas, nisi quispiã arbitraretur senã huic morbo aduersari, quia educit,

& præſertim atrabilares humores. veruntamen euacuare, non eſt affectus qualitatem remouere, niſi dixerimus affectus qualitatem humoribus inhærere, idcirco cùm humores euacuãtur, praua etiã affectus qualitas remouetur. At hoc abſurdũ eſt, quia humoribus etiã euacuatis, praua adhuc morbi qualitas derelinquitur, quæ ſolidis innititur membris. nã omnes corporis partes affectæ ſunt, præſertim quãdo eſt cõfirmatus. Dum verò in initio eſt, in ſolis cõtinetur humoribus, iecore, ac viis, idcirco euacuatione curari poteſt, vnde principium hoc gallici affectus, euacuando tantùm curamus.

Cum nouem vel decẽ ex illis ſyrupis accepti ſunt, medicamentũ præbere oportet. at prius notandum eſt, ſyrupos præſcriptos hoc modo ſumendos eſſe, ſi quiſpiam quinquies aut ſexties pro ſingulo ſyrupo deiiciat, alternis diebus inſumãtur. Si verò bis, aut ter ſingulis diebus accipi poterunt, deinde vno vel duobus interiectis diebus, qui ſanguinea præditus eſt tẽperie, hoc ſumat medicamentum, non quidem ſanguinem educens, ſed alios corporis humores.

℞. Pulpæ colocynthidis
Scamonij
Singulorum ℈ j.
Turbith

Helleb

Hellebori nigri
Singulorum ℈ ß.
Gingiberis Cinnamomi
Camphoræ
Aniſorum
Singulorum ℥ x.

Miſce & infundantur in quatuor vncias infuſionis ſenæ per decem horas, poſteà exprimantur, & expreſſum zuccaro dulcoretur, vel ſequentes deuoret pilulas.

℞. Pilularum aurearum
Pilularum cochiarum
Pilularum de lapide lazuli
Singulorum ℈ j.

Miſce, & tot fiant pilulæ, quot ægrotanti placuerit. at ſi natura ſit bilioſus, medicamentum iſtud recipiatur.

℞. Scammonij ʒ j.
Rhabarbari electi
Myrobalanorum luteorum
Singulorum ʒ ß.

Miſce & infundantur in quatuor vncias infuſionis ſenæ per decem horas, poſteà exprimantur, & expreſſum hora cõuenienti præbeatur, zuccaróque dulcoretur. Si quis verò pilulas magis diligat, aureas pilulas inſumat. At ſi natura ſit pituitoſus, medicamentum quod ſequitur, adhibeatur.

℞. Turbith ʒ j.

Myrobalanorum chebulorum ʒ j.ß.
Agarici ʒ ß.
Gingiberis
Cinnamomi
Aniſorum
Camphoræ
Salis gemmæ
Singulorum G̃ x.

Miſce & infundantur in quatuor vncias inf.ſenæ per decem horas, poſteà exprimantur, & expreſſum hoc zuccaro dulcoretur, vel cochiæ pilulæ præbeantur. Si verò eſſet natura atrabilaris ſequẽs medicamentum præbendum eſt.

℞. Polypodij,
Epithymi
Singulorum ʒ iiij.
Senæ ℥ j.
Hellebori nigri ℈ j.
Florum boraginis
Florum bugloſſæ
Florum violarum
Florum roſarum
Singulorum ʒ ij.
Gingiberis
Cinnamomi
Aniſorum
Amomi
Singulorum ʒ ß.

Miſce

Misce & infundantur in aquam fumi terrę secundũ artem, posteà exprimantur, & zuc caro dulcorentur, ac præbeãtur, vel pilulæ sumantur de lapide lazuli, vel de lapide armeno. Si verò sit mistæ temperiei, misce quæ dicta sunt, secundũ humorum temperiem, ac miscellam.

Si hic videatur sanitati restitutus, bene illi erit. hoc autẽ videbitur, per vnius mẽsis, vel duorũ spatium. nam per octo vel decem dies non est tempus valde aptum. In toto autem hoc spatio, & horum, scilicet dierũ, in quibus fit purgatio, & post purgationẽ, ægrotus in sex rebus non naturalibus conuenienter regatur.

Pullorum iura edat, & carnẽ, & vitulorum, hœdorum, paruorum auium, phasianorũ, perdicum, iurulẽta euitet, salsa, acria, & aromatibus valde plena, album vinum bibat, tenue, odoratum, vel rubellum.

Corpus vehemẽter moueat. nam inuẽti sunt, qui ex solo motu vehementiore & continuo in sanitatem restituti sunt, vnde quantum naturæ satis sit, quiescant.

Euacuatus semper potiùs sit, quàm repletus, neque impleatur, sed perenniter quantum fieri potest, euacuetur.

Vigilet etiam plusquam dormiat. nam vigiliæ exsiccant, tamen opus est tantum dorm

dormire, quantum naturæ satis sit, ne imbecilliteтur..

Animi passiones summopere euitare oportet, & illas præsertim quæ atram bilem inducunt, ac augent, cùm hic affectus per se homines reddat atrabilares: aër ambiens ad temperiem vergat.

Si post mensem vel duos menses integrè sanum esse deprehendas, nihil aliud agas, quàm iubere, vt frequēter expurgetur Alexandri pilulis, de quibus mentionem faciemus, & descriptionem suo loco referemus. Si verò hūc nō esse perfectè sanū percipies, tunc id, quod sequitur decoctū, fieri iubeto..

℞. Polypodij
Epythimi
Singulorum ℥ iiij.
Turbith ℈ ij.
Scamonij
Hellebori nigri
Singulorum ℈ j.
Rhabarbari electi
Agarici
Singulorum ʒ ß.
Senæ ℥ j.
Gingiberis
Garyophyllorum
Cinnamomi Anisorum
Fœniculorum Amomi

Camphoræ
Singulorum ℈ x.
Florum boraginis
Florum buglossi
Florum rosarum
Florum violarum
Singulorum ʒ ij.
Passularum ℥ j.
Sebesten numero xv.
Prunorum Ibericorum numero x.

Misce,& bulliant in sufficienti quantitate aquæ fumi terræ secundum artem, vt quæ maiorem patiuntur decoctionem, primò insumantur, quæ minorem deinde, & quæ minimam, in vltima ebullitione. quæ verò nullam expetunt, infundantur, posteà singulo mane sex vnciæ insumãtur per viginti dies. si verò sit sanitati restitutus, & pustulæ resolutæ sint, ac bubones (si adhuc perseuerent) nihil aliud agendum superest. Verũ si nõ videatur sanitati exquisitè restitutus, vt integrè sanitati restituatur, ligni Indici decoctum eo modo exhibeatur, quo posteà dicemus, sítq; decoctũ in aqua. Tunc verò integrè sanitati restituetur, victúsq; ratio erit ita seruãda, vt posteriùs ostẽdemus.

Nonnulla verò sunt hoc loco pertractanda, quæ virile membrum, inguina, os, vteri collum, & mammas plerũq; vexare solent.

Vt plu

Vt plurimùm primum quod contingit in hoc affectu, pustulæ sunt in præputio vel in glande, vel in vtroq; , quæ ex humorũ acredine in perfrictione venerea excitatorũ, & ex praua qualitate gallica in vteri collo mulieris, vel è cõtrario excitãtur. dico autem è cõtrario, quia ex eisdẽ causis in vteri collo eædem pustulæ excitãtur, quãdo mulier nõ est affecta, & cum viro affecto cõcubitũ habet. eadẽ verò erit tam in mulieribus, quàm in viris harũ pustularũ curatio. sciẽdũ verò est, vt plurimùm priùs oriri pustulas in pene, vel in vteri ore, quæ taroli vocãtur, quã oriãtur bubones, tamẽ nõnunq̃ prius oriuntur bubones, quã pustulæ istæ: licet rarò sit, & loci propinquitas, ac virilis mẽbri perfrictio in illa parte supra vteri mulieris prauę affectæ collũ ostẽdũt primò fieri debere in præputio, & glãde prauũ affectũ, q̃ in inguinibus, imò & hoc pro maiori parte contingit: licet dici posset illas esse adenosas partes, in quibus bubones gignũtur, q̃ facilè recipiũt, ꝙ verũ esse fatemur, sed & præputij ac colis partes adeò molles sunt, vt faciliùs etiã recipiãt, q̃ adenosæ partes & glãdosæ, quæ aliquã habẽt duritiem. Et si dicas, naturam eiuscemodi officiũ adenosis partibus præbuisse, vt recipiãt: dicimus & præbuisse hoc officium, & naturã mollioribus parti-

bus, vt facilè recipiant, & ad omnia sint aptæ, cùm adenosæ partes sint magis duræ quàm molles.

Si hæ pustulæ contingant, quæ taroli vocantur, & quę pro maiori parte rubræ sunt, & in medio albicãtes, ita curari debẽt, si hic venæ sectiõe indigeat, iecoraria vena secãda est, posteà expurgandus est, vt superiùs diximus in incipiente morbo, interim supra pustulas primò hic puluis imponatur.

℞. Rosſ. rub.
Balaustiarum Boli armeni.
Singulorum ʒ j.

Misce & fiat puluis subtilissimus, qui supra hæc vlcuscula ponatur, vt exiccentur, si hoc efficiatur, bene est: sin minus prædictis pulueribus aloën addito, si sanitati non restituatur, hoc alio vtaris puluere.

℞. Aluminis rochæ ʒ j.
Aloës. ʒ. ß.

Misce & fiat puluis subtilissimus, si nõ exiccentur, vnguento vocato Apostolorum vtaris, quòd si finem nõ assequeris Aegyptiaco vnguento vtaris, si adhuc sanitati non restituatur, lotionem hanc fieri iubeto.

℞. Tuciæ præparatæ
Aluminis rochæ
Viridis æris combusti.
Singulorum ʒ j.

Misce

Miſcę & bulliant in vino albo, vel ſi ſentiret caliditatem in aqua plantaginis, poſteà locus bene abluatur, poſt ablutionem ex hoc vnguento inungito.

℞. Vnguenti Aegyptiaci ℥ j.
Pinguedinis anſeris ℥ iij.
Mercurij ℥ ij.

Miſce, & mercuriũ priùs pinguedine mortificato, ſi finẽ nõ aſſequeris, Mercurij quantitatem augeto. interim verò cõtinuis euacuationibus, & pręparationibus homo pręparandus eſt, & vt vnguentum, quod ſupraponis ſeruetur, linteolum ſuper adde cocta ceruſſa delinitum, his effectis arbitror in ſanitatem iam eſſe reſtitutum, & nulla re alia indigere. At ſi alia creuerint, vt dolores, vel puſtulæ per corpus, aut ſupra caput, & hæ, quæ ſunt ſupra colem & præputium ſanitati reſtitutæ ſint, tunc curationem eo modo proſequaris, quo dictum eſt, Indici ligni decoctum præbendo, vel inunctiones adhibendo, vt de illis verba facturi ſumus.

Notãdum verò eſt in aliquibus magnas fieri per totum virile membrum puſtulas, & vſque ad profundum, quandoq; tendere potiſsimùm, quando per aliquod temporis ſpatiũ ægrotans noluerit affectum ſuũ medico propalare, ſed ſeſe curauerit, vt contingit, tunc ſolet magna priapi pars, vel totus

vlcerari, in hoc casu lotione ista vtaris.
℞. Aloës
Aluminis rochæ
Viridis æris combusti
Aristolochiæ rotundæ
Antimonij
Singulorum ℥ ß.
Misce, & bulliant in vino, si non adsit in loco calor. si calor adsit, bulliant in aqua plantaginis, quãtum sufficit, posteà totus penis abluatur & præsertim vbi vlcera adsunt, quæ plerunq; maligna sunt, & cacoëthica, & veluti chironia, videntúrq; in superficie benigna: in fundo verò sunt mali moris, facta ablutione, & loco absterso adhibeatur vnguẽtum Apostolorum cum Mercurio, & pinguedine anseris, vel vrsi. Quidam sunt quibus displicent in his affectibus pinguia & oleaginea, verùm vnguẽta absq; his fieri nõ possunt. Et propterea eorũ ratio absurda est, qua illa nõ probant. est verò quia penetrare nõ sinit id quod oleagineum est, ob suam glutinositatem medicamenta. at isti adeò absurda ratione vtuntur, vt nulla reprehensione indigeãt, imò oleũ ob tenuem suam substantiã præ cæteris penetrare potest, & nihil est, vel raro sunt oleo magis penetratiua, & cùm Galenus in methodo medendi obstructiones aperire tentat, id facit vniuer

vniuerſum corpus oleo aliquo iuungendo: inungit enimvel abſinthite, vel chamæmelino, vel rutaceo, vel alio ſimili, propterea non ſunt recipiendi, qui dicunt olea ſimpliciter obſtruere, tamen ſi ſupra penis vlcera poſt ablutionem ſequenti puluere vti volueris, nihil impediet.

℞. Lithargirij auri
Antimonij
Plumbi vſti
Aluminis rochæ Ceruſæ
Tutiæ præparatæ
Aeris viridis vſti
Singulorum ʒ j.

Miſce, & puluerizentur, poſteà madeſcant in vino nigro ſtyptico, deinde exiccentur, poſteà iterum madeſcant & exiccentur & hoc ſexties fiat, denique redigatur in puluerem, & adde

Aloës
Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Singulorum ʒ ß.
Mercurij vſti ℈ j.

Miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus, qui ſupra maligna vlcera inſpergatur. nã omnia huius generis etiam antiquiſsima ſanitati reſtituit, quando vlcera ſunt propè ſanitatem, & tu volueris cicatricem inducere, hoc

cerato vtaris.

℞. Lythargirij auri
Cerussæ
Singulorum ℨ iiij.
Ceræ nouæ ℥ j.
Olei veteris ℥ iiij.

Misce, & bulliant quo ad cōtrahat colorem pellis leonis, hoc cerato facilè cicatrix inducetur, non tantùm in affectu gallico, sed & in omni alio vlcere sanescente.

Nota autem plerunque in initio gallici affectus præputium, & glandem valde intumescere, & præputium adeò intumescere, vt necesse sit glādem tectam permanere, neq; posse exui præputio, & vrinarij tubi foramen clausum videtur, & plerūq; adeò sunt dura, vt doleant, iubeo vt in lacte per aliquod tempus seruentur, vt dolor sedetur, & parumper mitescāt, posteà iubeo, vt in hoc decocto lauentur, ac bene tractentur.

℞. Maluæ
Violarum Althææ
Seminum lini
Singulorum Man. j.
Pinguedinis anseris
Pinguedinis gallinæ
Singulorum ℥ ß.

Misce, & bulliant in aqua, in qua sint lotæ lanæ, posteà tumefacta pars tota lauetur, & in hoc

in hoc decocto calido per horam ſeruetur, ſupraponendo herbas, & tractando herbis loca iſta tumefacta ac duriora, veruntamen quia ſub pręputio, quòd cõuerti non poteſt, adeſt plerũq; dolor, & praua qualitas inducta, propterea opus erit inter glandẽ & pręputiũ ſyringa iniicere aliquod decoctum. decoctum verò ſit hoc, quia & adſunt puſtulæ in illa parte, licet non videantur.

℞. Maluæ
Violarum
Foliorum plantaginis
Foliorum quinqueneruiæ
Taſsi barbaſsi
Balauſtiarum
Singulorum Man. j.

Miſce, & bulliant in aqua fumi terræ, & ſyringa per tres aut quatuor dies in locum iniiciatur, poſteà acceptis ſex vnciis eiuſdẽ decocti, & ad hanc menſuram addito melle roſaceo, & viride æris iterũ hoc iniiciatur.

℞. Huius decocti ℥ vj.
Mellis roſati colati ℥ j.
Viridis æris vſti ʒ j.
Miſce.

Cùm in hoc caſu perſentiũt ex medicamentis in pręputio & glande teredinem, ſtatim debet medicus iuberi, vt penem in lac vaccinum imponat, quandoq; diſſolui iubeo in

prædictum decoctum vnguentum Apostolorum, quãdoq; vnguentum Aegyptiacũ & syringa iniici, extrinsecus post lotionem in hoc tumore præputij hoc linimẽto vtaris.

℞. Olei antiqui ℥ ij.
Butyri bene loti ℥ j.
Litargirij auri
Antimonij Plumbi vsti
Singulorum ʒ iiij.
Viridis æris vsti ʒ j.
Misce, & fiat linimentum.

Quãdoq; etiam in pene post pustulas quæ vocantur caroli, præsertim in his qui diu voluere morbum occultare, contingunt duritiess, quæ vulgò gummi vocantur, tũc alio modo procedendum est. nam opus est & emollire, & resoluere, propterea fomẽtum huius generis supra locum efficiẽdum est.

℞. Maluæ
Violarum
Radicum althææ
Florum brassicæ
Singulorum Man. j.
Seminum lini
Seminum fœnugræci
Singulorum ℥ ß.
Medullæ ceruinæ
Pinguedinis anseris
Singulorum ℥ vj.

Misce

Misce & bulliant in sufficienti quantitate aquæ, in quibus lanæ ablutæ sunt, in fine cocturæ addantur

Aceti ℥ ij.

Vt vis prædictorum faciliùs ad profunda penetret, postquàm fuerit factum fomentum, & penis fuerit bene pertractatus in illa parte, in qua sunt præduri illi tumores, tunc hoc linimento vtaris ad emolliendas ac resoluendas durities.

℞. Pinguedinis Tassi
Pinguedinis vrsi
Singulorum ℥ j.
Olei antiqui ℥ iiij.
Radicum liliorum alborum
Radicum iridis recentis
Singulorum ℥ ß.
Mucilaginis althææ
Mucilaginis fœnugræci
Mucilaginis seminum lini
Mucilaginis psilij
Singulorum ℥ vj.
Diaquilonis nigri ℥ j.
Amoniaci præparati ʒ iij.
Misce & fiat linimentum.

Contingit verò & in illo initio simul habere bubones in inguinibus, tunc cauendum est, ne repercutientia apponãtur, quoniam ad iecur repercutiunt, & totũ corpus inficiunt,

inficiunt, vnde reprobādi sunt, qui ceratum de Marchasita apponunt, ac similia, sed attrahentia potiùs apponenda sunt, & maturantia, vnde cataplasma istud conficiatur.

℞. Maluæ
Violarum
Florum chamæmeli
Meliloti
Singulorum M. j.
Farinæ hordei ℥ vj.

Misce, & cum oleo amygd. dulcium & rosaceo ob inflammationem fiat cataplasma, quod per tres vel quatuor dies loco supraponatur, si extra trahatur, & emollescat, bene est, sin minus, hoc aliud parari iubeto.

℞. Maluæ
Florum chamæmeli
Stœcadis
Meliloti
Rutæ
Hyssopi
Singulorum M. j.
Althææ
Fœnogræci
Seminum lini
Singulorum M. ß.

Misce, & simul bene bulliāt, posteà in mortario pinsantur, & adde
Farinæ orobi ℥ vj.

Olei

Olei liliorum alborum quantũ sufficit.
Misce, & fiat cataplasma.

Si extra ducatur, & emollescat, bene est: sin minùs, hoc parari iubeto.

℞. Althææ
Radi. liliorum alborum.
Radi. iridis.
Florum vrticæ Maluæ
Singulorum M. j.

Misce, & bulliant secundum artem, posteà pinsentur, & addatur.

Galbani
Bdelij
Myrrhæ
Singulorum ʒ ij.
Fermenti ℥ j.
Stercoris columbini ℥ ß.

Misce, & cum oleo irino fiat cataplasma, quod supra bubonẽ ponatur. Scito columbinum stercus ac similia adhiberi, vt pellis attenuetur ac fatiscat, si hoc non effecerit, quod petitur, quid agendum est? ego non nunquàm emplastrũ de sinapi apponi iussi, quod locum mirè rubrum reddidit, & materiam ad circunferentiam traxit, deinde iussi apparari Galeni maturãs emplastrum ex triticea farina, oleo, & aqua, & breui ac facili caput fecit, & ad exituram venit.

Ambiguum verò est, nunquid immaturum

rum aperiri debeat eiuſcemodi abſceſſus, an vltima cõcoctio ſit expectanda? ego ſemper immaturũ potiùs incidi voluerim, non tamẽ penitus immaturum, ne ob dolorem inflammatio exoriretur. imò ſi inciſio etiã fieret antequàm pus adeſſet cõueniret, nam malum non eſt vt aliquis adſit dolor, ob quem materia ad locum trahatur ac decurrat, poſteà apertum ſeruetur quantum fieri poterit vlcus, curatio verò fieri debet, vt in eiuſdem generis vlceribus fit, tamen aliqua miſcenda ſunt vnguentis, quæ hunc affectũ reſpiciant, vt aliquid vocati præcipitati, vel pulueris ligni Indici ad abſtergendum, ac mundificandum: ſemper verò aliqua commiſcenda ſunt ad locum atrahentia, nihílque repulſiuũ accipiatur, præterquàm prima vice, quando inciſio facta eſt, pro hoc die albuminis oui vſus conuenit: laudóque vt ſimul cum vitello fit. Cùm verò inciditur, tanta ſanguinis quãtitas exire ſinatur, quanta exire poterit, ſeruetúrque quandiu fieri poterit apertũ vlcus, & vnguentis variis ſuperiùs enarratis in vlceribus penis maligni, cum bubo apertus ampliùs ſeruari non poterit, claudi ſinatur. Sed hic ægrotus bene expurgetur, & per aliquas hebdomadas ac menſes Alexandri pilulis vtatur, in victúſq; ratione optimè ſe regat, vt in contracta

tracta iam, sanitate confirmetur, si affectus ad iecur non irrepsit, neque per totum corpus disseminatum est, bene huic erit. si verò per totum corpus irrepsisset, hoc cognoscitur, vel quia pili decidũt, vel pustulæ, aut duricies per totam sparguntur, aut dolores excitantur, tunc eo modo curationẽ moliaris, quo superius dictum est: in posterũ verò de pilorũ defluuio dicemus, quòd cum adest affectus, iam bubonẽ prætergressus est.

Quandoque affectus hic gallicus absque bubone, & absq; vlceribus in præputio, vel cole incipit. At gonorrhœa quædam incipit, quæ contingit ob prauam affectionem vim retentricem lædentem, & expultricem ad expellendum lacessentem, quæ materias per vias proprias transmittit, & in inguinibus non colliguntur, neq; in pene, hoc verò profluuium difficulter sanatur, neq; etiam adstringi debet, sed purgãdo potiùs curandum est, vt de purgatione superiùs verba habuimus, hęc tamen nõ est vera gonorrhœa, id est, veri sanguinis defluxus: sed sunt pituitosæ materię, quãdoq; aliis mistæ acrioribus, quæ praua qualitate gallica affectæ sunt. Et si quispiã, hac gonorrhœa detẽtus, cum sana muliere rem veneream habuerit, & ipsa in hunc materiæ defluxum incidat, vt videatur ferè esse alter contagij modus,

quon

quoniam in hac specie per contagium recipitur, vt gonorrhœa gonorrhœam pariat, non autem panos vel bubones, neque in pene vel præputio pustulas, curatio fiat per purgationes superiùs enarratas, & si intentum minimè assequeris, ad decoctum, & ad inunctiones deueniendum est. De vera autem gonorrhœa seorsum agemus, & de huius generis profluuiis tam in mulieribus, quàm in viris, nam multa sunt per penem profluuia, quæ gonorrhœa vocãtur, tamen verè gonorrhœa nõ sunt, imò sunt pituitosæ materiæ, quæ exeunt. Tamen cùm plerunque cõtingat, vt in huius materiæ exitu hi vrantur, propterea cõsiderare oportet an sit bilis quæ exeat, an pituita falsa, necessarium nimirum est esse materiam aliquam acrem, quæ vstionem illam parit, si sit bilis, ex colore percipitur: si autem pituita, & ex colore indicabitur. At quicquid sit semper est acris materia, tunc syringa per vrinariam fistulam in penem iniice hoc decoctum.

℞. Maluæ
Althææ
Corigiolæ, id est, polygonarii
Rosarum rubrarum
Balaustiarum
Singulorum M. j.

Bulliant

Bulliant hæc omnia in aqua plantaginis secundum artem. Quandoq; cogimur huic decocto miscere lac siue vaccinum siue alterius animãtis, & quandoq; solùm lac iniicere, facta expurgatione, vt superiùs dictum est, penis & partes penis, & perineum hoc linimento inungantur.

℞. Infrigidantis Galeni succo semperuiuæ ter abluti ℥ iij.
Boli armeni
Corallorum alborum
Acatiæ
Misce
Singulorum ℈ j.
Misce.

Ante prandium & ante cœnam sumant ad castaneæ quantitatem ex hoc electuario.

℞. Zuccari rosati
Zuccari nenupharini
Singulorum ℥ j.ß.
Boli armeni
Terræ sigillatæ
Corallorum alborum
Singulorum ℈ j.
Sandalorum rubrorũ
Sandalorum luteorum
Singulorum ʒ ß.
Misce, & cum succo cotoneorũ fiat eclegma prædicto modo sumendum, si ex his

ſanitati reſtituatur, bene erit, ſin minus, ad guaiaci decoctum deueniendum eſt, & ad inunctiones, de quibus poſteà mentionem faciemus: ſcitóque ad hāc gonorrhœā plerunq; ſequi defluuiū pilorū, & alias omnes gallici affectus ſpecies, licet quādoque diu perſeueret, abſq; aliis gallicę luis ſpeciebus.

Veruntamen & in lingua, faucibus, ac gutture in huius affectus initio puſtulæ oriuntur, quæ nonnunquàm adeò dilatantur, ac creſcunt, vt palatū, fauces, vt gutturis initium corrodant, vt quandoq; cùm bibere tentant vinum, ſiue aqua, ſiue liquor is qui bibitur per nares exeat: nam cùm tranſglutire volunt, ſupra rem liquidam linguæ compreſsio fit, & palatū verſus comprimitur, quod cùm exeſum ſit, & apertū, liquor ille aſcendit, & per nares exit. At qui animaduertunt neq; verſus palatum liquorem cōprimunt, ſed abſq; tranſglutionis motu deſcendere ſinunt, his liquor deſcendit, & per nares minimè aſcendit, quandoq; & labia & gingiuæ præter linguam ſunt exanthematibus plena, quæ vulgò caroli vocantur, in medio albicātia, & circūcirca rubentia, quanquàm & alios quandoque habeant diuerſos colores, vt humores ſunt affecti, qui in hoc ægrotante ſuperabundant, cùm quempiam incideris ita affectum, qui à te

curandi

curandus fit, purgationibus illis perfectis, quæ ſuperius enarratæ ſunt, primò hoc leui gargariſmate gargarizandum eſt.

℞. Diamori ℥ ij.
Aceti roſati ℥ j.
Aquæ plantaginis ℔ j.
Miſce.

Poſt hoc gargariſma iſtud aliud præparandum erit, atque exercendum.

℞. Roſ. rub.
Balauſtiarum
Boli armeni Acaciæ
Hypocyſthidis
Singulorum ʒ ij.
Aquæ plātaginis ℔ j.
Aceti ℥ ij.

Miſce, & bulliant ad cōſumptionē duarum librarū, poſteà gargarizetur, & frequenter. Tertiò exerceto, & hoc aliud gargariſma.

℞. Aluminis liquidi
Aluminis ſciſsilis
Singulorum ℥ ß.
Boli armeni ʒ ij.
Aqua plantaginis ℔ j.

Miſce, & bulliant ad conſumptionem duarum librarum; poſteà adde
Aceti fortiſsimi ℥ ij.
Oxym. compoſiti ℥ j.
Miſce & gargarizetur.

Nonnunquàm in his gargarismatibus vnguentum apostolorum vocatum dissoluitur, nõnunquàm Aegyptiacum, quãdo affectus sunt sordidi, tamen cùm eiuscemodi gargarismata in illis exulceratis partibus vredinem quandam inducere soleant, propterea post huius generis gargarismata, aliquo lactis genere gargarizari iubemus, & quandoq; seminum peponum expresso, vt vredo dimoueatur. imò fuit plerunque opus in hac vredine amygdalarũ dulcium olei cochlear adhibere, quod esset recenter expressum, vt paulatim deglutiretur. Nam hoc oleum vredinem leuat, neq; vlceribus obest, quandoque iussi fieri hoc decoctum.

℞. Sem. lactucæ

Endiuiæ Portulacæ

Singulorum ℥ iiij.

Misce, & bulliant in aqua plantaginis. hoc decocto gargarizato, vredo visa est abisse: interim verò aliqua semper, per os præbenda sunt, quæ si non profecerint, ad Indici ligni decoctum deueniendum est, & ad alia magna præsidia, quæ ab hoc liberant affectu, nõnulli pituitosi sanitati restituti sunt, quibus eiuscemodi vlcera fuêre ardẽte aqua frequenter contracta. nam vlcera hac aqua vehementer exiccantur, & sanitati restituti sunt, aliquibus oleo ex calchanto confecto vitrioli

vitrioli oleũ vocato, contracta ſunt, & profecere. aliis adhibita eſt aqua fortis vocata, vel da partire, quà aurifices vtuntur, cùm aurum ab argento (cùm ſimul miſta ſunt) ſecernere tentant, hæc præſidia vlceribus cruſtas induxêre, poſteà exiccatæ ſunt, & ſunt ſanitati reſtituti, eiuſcemodi aqua ſola non adhibetur, ſed alicui roſaceæ aquæ portioni miſcetur, nonnullis talium generum vlcera palatum corroſêre, ac nares, & hominem deformem reddidêre, vt quibuſdam neceſſarium fuerit actualem ignem adhibere, & inurere, & corroſio ampliùs procederet, & ne magis deformarentur, quàm iam eſſent deformati, hæc his vlceribus adhibentur pręſidia, quæ quandoque ſunt huius affectus initium, quando videlicet per os contagium recipitur.

Cùm & hic affectus plerunq; per mammas recipiatur, & mammæ ipſæ exulcerentur, proptereà purgationibus ſuperiùs enar ratis præmiſsis, eo modo tractanda erunt, quæ in his partibus prodibũt, vt illa quæ in pene oriebatur, de quibus ſuperiùs locuti ſumus. Vnum tantùm animaduertendum, ne ſint in mãmis adeò aſpera medicamenta, ſed ſemper gummi generibus & maſtiche mitigentur, hæc de his, quæ in initio huius affectus contingere ſolent.

At si quispiam hunc gallicum affectum iam contraxerit, tamen nõ sit inueteratus, neque sit nouus, sed affectio iecur iam attigerit, & sanguinem affecerit, & per totum corpus diducta sit, pustulásque excitauerit, & crustas, & durities, vel dolores, vel vtrunque simul, tunc vehementiori indigemus curatione, nam homo cuius vis temperiei necessariò atrabilaris efficitur, & pituita abũdat, idcirco syrupi semper prębẽdi sunt, qui hos humores respiciant, aliis haud neglectis. Si igitur sanguineę temperiei naturaliter fuerit, syrupus hîc præbeatur.

℞. Syrupi de fumo terræ
Syrupi de hyssopo
Syrupi de endiuia
Singulorum ℥ vj.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Si verò sit biliosæ tẽperiei, vel præscriptus præbeatur syrupus, vel hic, qui sequitur,

℞. Syrupi violati
Sirupi de endiuia
Singulorum ℥ j.
Syrupi de fumo terræ ℥ ß.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

At si sit tẽperiei pituitosæ hic adhibeatur.

℞. Syrupi de hyssopo

Mellis

Mellis rosati colati
Singulorum ℥ j.
Syrupi de epitymo ℥ ß.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce

Et si sit atrabilaris tēperieri, hunc insumat, qui sequitur syrupum,
℞. Syrupi de epithymo
Syrupi de fumo terræ
Singulorum ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Si quis verò sit mistæ temperiei, secundum mistionis genus syrupi commisceri debēt, sumptis ex his syrupis ad quindecim vsq; Alexandri pilulas præberi poteris, quas in capite de Epilepsia describit, & à Mesue referuntur, cùm de Epilepsia verba facit. Ego etenim in gallico affectu his vtor pilulis, quæ maximè proficere videntur, quarū descriptio hæc est, ne illam desideres.
℞. Aloës
Colocyntidis
Scamonij
Bdellij
Hellebori nigri
Gummi
Singulorum partem vnam.
Euphorbij Nitri

Singulorum partem ſemis.
Miſce, & cum ſucco caulium conficiatur maſſa, ex qua poſteà pilulæ adhibeantur, quando opus erit, quantitas ſumenda eſt ſcrupulis duobus vſque ad quatuor. Si quis verò ſit, qui catapotia inſumere recuſet, aut nequeat, omnia prædicta ſimplicia, quæ in compoſitione iam dicta ſunt, in puluerem redigantur, & additis

Gingibere
Garyophyllis Cinnamomo
Galanga
Calamo aromatico.
Ad quartam partem ſingulorum

Miſce, & cum zuccaro fiāt rotulæ, quarum ſumēda quantitas eſt à drachmis quatuor, vſque ad ſex, puluis prædictus in iure ſumatur. Tamen poteſt & inſumi ex electuario quod ſequitur,

℞. Pulpæ colocyntidis ʒ j.
Tubith ʒ ß.
Scamonij ʒ j.ß.
Hellebori nigri ℈ iij.
Salis gemmæ
Cinnamomi
Calami aromatici
Maſtiches
Gummi arabici Camphoræ
Singulorum ℈ ß.

Miſce

Misce & cum syrupo de fumo terræ, quãtũ sufficit fiat electuarium, cuius sumenda quantitas est à drachma vna vsque ad tres, cùm probè euacuatus fuerit (si vires constent) ligni Indici decoctum adhibeatur, cum illa ratione victus, de qua sermonem habebimus. Ex his etenim sperandum est, quòd in sanitatem ægrotans restituendus sit. At si imbecillis esset, & minimè rubustus, hoc decoctum ligni Indici in vino præbendum est, in qua sumptione tanta victus tenuitate non indigemus, quanta in aquæ sumptione indigemus: quanquàm & in aquæ sumptione tanta non indigemus victus tenuitate, quantã requiri scripsit Vtennus Nobilis Germanus.

At si morbus inueteratus sit, ac antiquatus, sic necessariò effectus est melancholicus, & multa pituita abundat, & totum habet habitũ iam immutatum, doctoréſque habere potest, crustas, ac duricies simul, nũc de simplici curatione loquemur, illa deinde adducemus, quæ à crustis liberant, à duris tumoribus, & à doloribus, simplex verò curatio est ita hunc purgare, vt simul & euacues ac cõcoquas, idcirco huius generis syrupus exhibeatur.

℞. Inf. senæ ℥ iiij.

Syrupi de epithymo

Syrupi de fumo terræ
Syrupi de pomis ſabor
Singulorum ℥ j.

Miſce, ſi hi ſyrupi multùm educant, alternis ſumantur diebus, & hoc per multos dies continuetur, poſteà Alexã. pilulæ exhibeantur, vel hæ, quæ ſequuntur pilulæ.

℞. Hellebori nigri
Turbith
Scamonij
Singulorum ʒ j.
Agarici Rhabarbari
Epithymi
Singulorum ʒ ß.
Salis gemmæ
Maſtiches Aniſorum
Cinnamomi
Gingiberis
Singulorum ℈ ß.

Miſce, & cum ſyrupo roſaceo ſolutiuo fiat maſſa, ex qua deinde pilulæ conficiantur, cuius ſumenda quãtitas eſt à ſcrupulis duobus vſque ad quatuor, vel hæc eademmet ſimplicia cum ſyrupo de fumo terræ in electuarij formam ſecundum artem reducantur, quod poſteà vel in bolos ſumatur, vel in fumi terræ aquam diſſoluatur, aut in aliam ſimilem, idem medicamentum ex zuccaro in rotulas reduci poteſt, ac in placẽ

tulas

tulas, electuarij quantitas ſumenda eſt à drachmis duabus vſq; ad quatuor, in rotulis à drachmis tribus vſque ad ſex.

Purgatio bis térue reiterari debet, & in ſex rebus non naturalibus probè regendus eſt, hi in tam longo affectu in inedia ſinẽdi non ſunt, & pręſertim ſi febre careant, vel ſi illa correpti ſint, ſit remiſſa, in his verò modus ſeruetur ſuperiùs ſcriptus in incipiente morbo, quãuis in cõfirmato aliqua in vino adhiberi debeant, quę atram bilem reſpiciant, & pituitam. Poſſunt enim varij pro his humoribus fieri intinctus, & ad appetentiã excitandam, quæ quandoq; adeſt. Purgationibus perfectis, quia per ipſas ab effectu non liberatur ægrotus, nam purgationes humores quidem euacuant, ſed à praua qualitate nõ liberãt, idcirco opus eſt per aliquod ingenium illũ remouere. Tria inuenta ſunt ad hanc prauam qualitatem remouendam præſidia. Vnum eſt ſuffumigium: ſecundum inunctio: tertium ligni Indici decoctum: quartum nuper additum eſt, quod eſt radicis chinæ vocatæ decoctũ, de vnoquoq; horum quatuor plenè tractandum eſt. Primò igitur de ſuffumigiis verba faciamus, commune ſuffumigium hoc modo ſit, poſt expurgationẽ denudetur ægrotus, & ſub conopeum exerto capite ponatur

tur

tur, mundúsque harum rerum per totum corpus fumum recipiat.

℞. Cinnabaris ℥ ij.ß.
Thuris
Styracis liquidæ
Singulorum ℥ j.
Misce, & fiat puluis.

Huius pulueris portio sub conopeum ponatur supra ignem, & fumus recipiatur, si verò petas, quomodo locandus sit ad hunc fumum recipiendum: dicimus posse erectũ manere, & supra scamnum sedere posse perforatum, vt fumus totum corpus attingere posit, tantúmque in hoc fumo permanendum, quantum sudor exire inceperit, ac inualescere, cùm verò inualescere incipit, ægrotus in calidum lectum ponendus est, probéque tegendus, ac per vnius horæ spatium sudare sinendus: posteà stragulæ sensim remouendæ, & calidis linteis abstergendus, cúmque à sudore quieuerit, prandium adhibendum est, prandium dico, quoniã eiuscemodi suffumigium manè potius, quàm vesperi exercẽdum est, quãuis & vesperi fieri nihil impediat, in prandio pullos edat, capos, vitulinã carnẽ, hœdinã, veruecinã, oua, phasianos, perdices, & huius generis alia, vina bibat mediocria, quoniã suffumigium hoc vires resoluit. Et si petas,

per quot dies debeat eiuſcemodi ſuffumigiũ exerceri: dicimus per octo, vel ad ſummũ per decẽ dies, aliqui normam præbent, cùm dẽtes dolere incœperint, veruntamen nos ne doleant, vel ne tam citò fiat, ſingulo mane ſcrupulum vnum pilularũ Alexandri ſuperiùs deſcriptarũ præbemus. Et ſi dicas excernere non poſſe, quando ſudabit: dicimus pilulam eſſe prębendam quando ſuffumigandus eſt. nam hac hora præbendo, antequàm ad actionem actuetur, extra ſudorem eſt, his plerunque gingiuæ vlcerantur, lingua & fauces, tunc gargariſmatibus vti oportebit, vt in inunctionibus dicemus.

Scitóque nonnullos medicos iſtos ſuffumigaſſe capite etiam à conopeo non exerto, quod periculoſiſsimum eſt. nam quempiam vidi, qui ex hoc fumo caput petẽte in apoplexiam incidit, & ſtatim mortuus in terram corruit, idcirco laudo ac iubeo, vt exerto capite ſuffumigentur, imò papilio circa collũ ſtringatur, tum ne fumus exeat, tum ne nares feriat.

Id fuit ſuffumigium commune, quod hominem in ſanitatem reſtituere videtur, ſed omnes in ea nõ perſeuerãt, aliqui tamẽ ſanitati reſtituti ſunt, ſed longè rariores, quã ex aliis medicamẽtis, quæ in hoc caſu exercẽtur. nõnũquàm ex aperiẽtibus herbis

& ro

& roborantibus suffumigia tentaui, quæ sudorem quidem induxere, sed exulcerationes in ore minimè fecere, & affectũ prorsus diminuere, sed penitus non leuarunt, vt compositionem aliquam habeas suffumigiorum ex herbis odoratis, ac roborãtibus factorum. Hoc quod sequitur audito.

℞. Hyssopi
Saluiæ Iuæ
Roris marini
Foliorum lauri
Rof. rub. Pulegij
Calamenti
Carthami
Cardi benedicti
Amaraci
Arthemisiæ
Rutæ
Polij montani
Millefolij
Chalendulæ
Singulorum M. j.
Anisorum
Amidis
Fœniculorum
Gingiberis
Seselidis Amomi
Carui Cumini
Singulorum ℥ ij.

Misce,& fiat puluis qui supra prunas ponatur,eodem modo,vt dictum est fiat suffumigium,quod quidem blandum erit, sudorem prouocat,& resoluit,affectúmq; mitigat,sed penitus non liberat. nam materiæ quidem pars resoluitur,sed non tota,& praua affectus qualitas non remouetur .nunc suffumigium addam,quo quandoque vsus sum,cùm essem iuuenis,quinquies,inquam aut sexties. at posteà neglexi suffumigia, cùm certè ab affectu non liberent,nisi raro, videbantur in principio liberasse, posteà ad duos vel tres mēses redibat affectus.

℞. Cinabaris ℥ iij.
Mastiches
Gummi arabici
Colophoniæ
Styracis calamitæ
Singulorum ʒ iij.
Antimonij ʒ ij.
Misce,& fiat puluis subtilissimus.

Alij sunt,qui aliis vtūtur suffumigiis. at omnia in similia incidūt,quippe alij cyparissi gallas adiiciūt,alij gallas omphácitidas, & alij alia simplicia,nonnulli sunt qui addunt etiā aromata,vt nucem moschatā,gingiberem,ac similia.omnes verò cinabarim accipiunt,tamen & nonnulli vocatū præcipitatum adhibent, in quo, & in cinabari

tota

tota vis reducendi in sanitatem fixa est.

Ego nonnunquam ligni Indici suffumigium tentaui, quod prorsus contulit. at affectum pœnitus nõ exhausit, tamẽ cum cinabari mistum, duo agit, prauam cinabaris vim mitigat, & affectui valde cõfert. Eligẽdum autem est lignum, quod pinguissimũ sit. quid verò cinabaris sit, & quomodo ab hydragyrio distet, in nostro simpliciũ examine discussum habetur.

Illos non probo, qui bis in die suffumigium faciunt, mane, scilicet & vesperi: sed illos probo, qui semel tantùm hoc efficiũt, & mane: licet alicui non negarim, qui magis commodum vesper haberet, vt vesperi id efficeret, & non mane, quia vires imbecillitantur, si bis in die fiat.

Neq; mihi etiam illi placent, qui volũt hos sudare per integram horã antequam à suffumigio remoueantur. at ne imbecillitẽtur, vt in magno sint sudore satis est, post eà in calidum lectum ponantur, & probè tegantur, & vnius horæ spatio sudare sinãtur, denique abstergantur, imò bis vel ter interim abstergi possunt. nam hac abstersione magis sudabunt.

Illi insuper mihi displicent, qui statim cibum præbent, vel potum, sed per trium horarum spatium à suffumigio & à sudore dimit

dimitti debent, vel ſaltem per duas horas.

Denique rariſsimos vidi, qui fuerint per ſuffumigiũ ab affectu gallico penitus abſoluti, licet aliqui plus temporis intermiſerint, alij minùs à recidiuatione, ſed pro maiori parte illos vidi in recidiuam incidere, de inunctionibus ac ligni Indici decocto ſecus eſt, hæcq́; ſint ſatis de ſuffumigiis in hoc affectu.

De inunctionibus impræſentiarum loquendum eſt, verùm ſub inunctionibus cerata cõtineri videntur. nam illis propinqua ſunt, idcirco priuſquã de inunctionibus verba faciamus, de ceratis agendum duximus. fit verò communiter hoc modo ceratum.

℞. Pinguedinis ſuis ℥ xij.
Argenti viui ℥ viij.
Styracis
Theriacæ
Singulorum ℥ j.

Miſce, & cum cera & reſina pini fiat ceratum, aliqui ceratum hoc ſupra linteum extendebant, & à genibus infrà applicabant, & per octo vel nouem dies applicatum dimittebant, hócque in vtroque crure faciebant. Magnæ verò fiebant in ore exulcerationes, & in gingiuis ac palato. alij cum minori hydrargirij copia conficiunt, & cum aliis ſimplicibus. Verùm quia nõ ſum alio-

rum modos relaturus, sed proprios, idcirco id tantùm referã quòd effeci, cùm vsus sum ceratis in hoc affectu. Primò ceratum, quòd sequitur confici iubebam. id verò secũdum ætates alterabam, secũdum anni tempora, & secundum temperies, in sanguineis natura huius generis ceratum parari iubebã, vel (vt vno ac simplici verbo vtar) in calidis ita confici monebam.

℞. Hydrargirij ℥ iiij.
Pinguedinis anseris ℥ vj.
Misce, & hydrargirium probè mortificetur, posteà adde
Gummi arabici
Masticbes
Colophoniæ
Singulorum ʒ ij.
Camphoræ ʒ j.
Mucilaginis psilij ℥ j.
Olei rosati omphacini
Ceræ
Resinæ pini
Singulorum quantum sufficit.

Misce, & fiat ceratum, hoc ceratũ medium est. Quando vehemẽs confici volebam, hydrargyrij ℥ vj. sumi iubebam. In frigidis verò naturis eadem compositione vtebar, camphora, mucilagine psilij & oleo rosato omphacino prætermissis, & quæ sequuntur

tur additis,

Styracis liquidæ
Styracis calamitæ
Singulorum ℥ ij.
Olei laurini quantum sufficit.

Et in hoc genere vehemẽs quandoq; faciebam, quãdoq; mediocre, quãdoq; imbecillum, hydrargirij quãtitatem mutãdo. nam ipsum est, quod vehemẽs, mediocre, & imbecillũ reddit medicamẽtum, vehemẽs sex recipit hydrargyrij vncias, mediocre quatuor, imbecillum duas, posteà supra nouum linteum, vel supra corium extẽdi iubebam, quod esset latitudinis quatuor digitorũ, & tãtæ longitudinis, vt membra ambire posset, itaq; supra vtrũq; talum ceratũ apponi iubebã, quod totũ ambiret talum, & supra vtrũq; genu, & supra vtrasq; coxendices, & etiã supra vtrũq; carpum imponebam, & supra cubitum, & supra humerum, & per tres dies hoc modo seruabam, posteà noua alia cerata imponebam, quæ per alios tres dies adhuc seruabam, iterúmq; mutabã, & per alios tres dies in illis locis dimittebam, interim singulo mane Alexãdri pilularũ scrupulum præbebã, ne gingiuæ, palatũ, & fauces exulcerarẽtur, scitóq; tot debere esse cerata, quot sunt membra, quibus applicãtur, aliqui per nouẽ integros dies cerata prima

 dimit

dimittunt,& nunquam mutant.verũtamen neque multum probo eiuſcemodi cerata, quoniam fallacia ſunt.nam & ſi vnũ quandoque in ſanitatem reſtituãt, decem erunt qui ſanitati minimè reſtituentur, idcirco horum ceratorum vſum prætermiſi.

Inunctiones impræſentiarum cõſiderari debent,quæ ad hunc affectum valent,& homines ab eo proculdubio liberant. hæ verò inunctiones ſecũdum temperaturas variari debẽt,& anni tempora,ac ætates,idcirco neceſſarium eſt multas adducere compoſitiones, quæ ſecundum harum cõditionum diuerſitatem, variæ eſſe debent. hæc quæ ſequitur communis inunctio eſt,qua multi in omnibus vtuntur abſque delectu.

℞. Axungiæ ſuillæ neque recentis,neque antiquæ ℔ j.
Butyri recentis ℥ iij.
Theriacæ quæ ſit in decimo anno ℥ j.ß.
Mitridati ℥ j.
Argenti viui ℥ ij.ß.
Cinabaris ℥ ß.
Lythargirij auri
Salis communis
Singulorum ℥ j.
Maſtiches
Colophoniæ
Singulorum ℥ v.

Olei

Olei laurini quantum ſufficit.
Miſce,& fiat vnguentum, aliqui non accipiunt oleum laurinum,ſed aquam fumi terræ & ſcabioſæ ad tantam quātitatem,quòd omnia ſimul commiſceri poſsint,mihi tamen potiùs arridet,vt oleum recipiatur. aliqui ſunt,qui ita conficiunt vnguentum,ſed eſt vehementiſsimum.

℞. Pinguedinis ſuis liquefacti ℥ iij.
Argenti viui ℥ iiij.
Styracis liquidæ
Theriacæ
Singulorum ℥ ß.

Miſce,& fiat linimētum ſecundum artem. Nos verò aliis vtimur vnguentis, quorum compoſitiones ne quiſpiam illas deſideret, impræſentiarum adducemus,ſi ſit medium tempus, vt Ver vel Autumnus, hoc vtor vnguento.

℞. Vnguenti Aragon ℥ vj.
Butyri recentis bene loti ℥ iiij.
Axungiæ ſuillæ ℥ ij.
Argenti viui ℥ iiij.
Maſtiches
Colophoniæ
Camphoræ
Gummi arabici
Singulorum ʒ iiij.
Olei laurini ℥ iij.

Myrrhæ Styracis
Bdellij
Singulorum ʒ vj.
Misce,& fiat linimentum molle.

Hoc vtor in mediis temporibus,& in temperaturis neque calidis,neque frigidis, tamen ex perſeuerante affectu frigidi efficiũtur huius morbi ægrotantes,& hæc eſt mediocris compoſitio, inter vehementem,& imbecillem media.compoſitio enim vehemens ſex recipit hydrargyrij vncias:imbecilla verò duas,vel tres.in ęſtate verò ſequẽti vtor linimento,& in calida temperie.

℞. Vnguenti Aragon ℥ vj.
Axungiæ ſuillæ aqua roſacea lotæ
Butyri eadem aqua loti
Singulorum ℥ iiij.
Hydrargyrij ℥ iij.
Olei roſati omphacini ℥ iiij.
Camphoræ ℥ ß. Bdelij
Styracis Myrrhæ
Singulorum ʒ iij.
Maſtiches
Gummi arabici
Colophoniæ
Singulorum ʒ ij.
Olei nenupharini ℥ iij.
Miſce,& fiat linimentum.

Si verò ſit hyemale tempus, & temperies frigida

frigida, hac vtor inunctione.

℞. Vnguenti Aragon ℥ viij.
Butyri loti cum aqua saluiæ
Pinguedinis equinæ
Singulorum ℥ iiij.
Olei laurini ℥ v.
Myrrhæ Aloës
Croci Styracis
Bdelij
Singulorum ℥ j.
Mastiches ℥ j. ß.
Mitridati
Theriacæ
Singulorum ℥ ß.
Hydrargyrij ℥ iiij.
Petrolei ℥ iij.
Sulphuris ℥ ij.

Misce, & fiat linimentum: quod fieri potest vehementius, si sex vncias hydrargyrij recipiat, & minus vehemẽs imò imbecillum, si duæ vnciæ tantùm sumantur, vel tres. Nota verò in æstatis linimẽto nunquã esse faciendum vehementius linimẽtum, quàm quod quatuor vncias recipiat hydrargyrij, quia ob æstatis calorem vires vehementer resoluuntur. Si verò sit temperies frigida, & tempus æstiuum, simplicia contempero, & si sit temperies calida, & hyemale tempus. nam necessarium est medicum

ex præſcriptis hiſce formulis ſecũdum varias,& temporum,& temperierum cõplicationes,cõpoſitiones,quæ cõueniunt ſibi parare,& magis ac minus addere,vt opus eſt.

De inungendi autem modo diuerſi inter ſe videntur authores. Nam aliqui à genu infrà inungũt,& à cubito infrà, ídq; faciũt bis in die. mihi verò potiùs placet,vt ſemel tantùm in die inũgatur,& hoc modo ſummo mane brachia inungantur,ac crura,brachia inquam ab humeris ad extremas manus,apud ignem fricando, & penetrare faciendo,& à coxis ad extremas pedis partes, apud ignem etiam fricãdo,poſteà quatuor faſciis & crura vinciantur, & brachia,& in calidum lectum ponatur,calidíſq; pelliceis veſtibus contegatur,vt ſudare valeat,& per integram horam probè tectus remaneat,vt prorſus ſudet, poſteà bene abſtergatur, & per aliam horam cum minori ſtragularum copia ſinatur, vt à ſudore quieſcat, poſteà per aliam horam adhuc quieſcat abſq; ſtragulis, quæ ſudorem excitare poſsint. poſt has tres horas è lecto ſurgat, ſi voluerit,& prãdeat,in hoc caſu quia vires ab hac inunctione reſoluuntur,faſciæ auferantur,& induat ſe interula alba, quam deinceps non mutabit, niſi poſteaquam fuerit lotus, cibóſque probi nutrimenti ſumat,vt phaſianos

nos, perdices, auiculas, capos, pullos gallinaceos, & columbaceos, oua, hędos, vitulos, optimáq; vina bibat, & si è lecto surgere voluerit, surgat: síque hyems sit, in calido cubiculo maneat. si verò æstas, in frigido minimè præstet, sed in tẽperato. Et ita in mediis temporibus, in his tamen temporibus mediis, ad calidum potiùs inclinet. ante inunctionẽ debuit insumpsisse pilularum Alexandri scrupulum vnum, hócq; singulo mane fiat, vsque in inunctionis finem, quæ per dies nouem perdurabit, nisi tantum excerneret, quòd nõnunquam pilulas prætermittere cogeremur, quia octies vel decies & copiosæ, per tres aut quatuor dies successiuè excreuisset, vesperi hora conuenienti cœnet, & cibis iam dictis vescatur.

Secunda die summo mane eodem modo inungatur, eodémq; in omnibus tractetur modo, & tertio die, & quarto, vsque in nonum diẽ. Nota verò, quòd secunda & tertia die ægrotus peiùs habere videbitur, posteà quarto die dolorum remissionem vel crustarum manifestè sentire incipiet. & hoc in his, qui de recenti contagium recepere. in his verò, qui morbo antiquo laborant, ad sextum vsque diem peiùs habere videntur, posteà in sanitatem restituuntur, imò medicus animaduertere debet, cùm in nona

ſunt inunctione, nunquid ſanitati reſtitutus eſſe videatur, ſi adhuc hæſitet, decima vice inungi faciat,& vſq; ad duodecimam, ſi opus eſt. Notādum verò eſt in forti inunctione non eſſe pertranſeundum nonum diem,in mediocri decimum, in imbecilla duodecimum.

Solent quarto die dentes,& gingiuæ dolere,atq; exulcerari,tunc hordeũ ſumatur, cùm aliquibus plantaginis foliis ac myrtillis,bulliántque ſimul, & ex hoc decocto os frequēter abluatur, posteà ſi aliquæ paruæ fiant exulcerationes, mel roſaceum addatur,deinde alumen,& frequētiſsimè abluatur,cùm probè expuit decoctum iſtud fiat.

℞. Caricarum
Paſſularum
Sebeſten
Singulorum ℥ ß.

Miſce,& bulliant in aqua, posteà melle roſaceo addito,os abluatur, ac gargarizetur. hoc vtor decocto,quandoque ex vlcuſculis pus excitandum eſt,quādoq; æſtiuo tēpore coactus fui ſinere, vt hi in ore cucurbitæ ſuccum ſeruarent,vel cucumeris,vel portulacæ,& quandoq; oleum amygdalarũ dulcium in ore ſeruandum iuſsi, quod recenter expreſſum eſſet. Nota verò inter illa, quæ in hoc caſu magnum faciũt ardorem,
potiſs

potiſsimum eſſe vinum, quandoque lacte ablui iuſsi, quandoq; iure pingui, vt magis commodum videbatur ægrotãti, in nouem inunctionum fine ſequenti die iubeo, vt vino albo potenti, in quo roſæ ebullierint, crura ac brachia linteo madefacto probè lauentur, & alba interula induantur, ſequẽti die iubeo, vt aquæ dulcis balneum ingrediantur, in qua ſequẽtes herbæ ebullierint, neque opus eſt, vt tot ſint, vel pauciores, vel plures, ſed illæ ex his ſumantur, quæ haberi poſſunt.

℞. Saluiæ
Menthæ
Roris marini
Roſarum rubrarum
Florum chamæmeli
Stœcadis Meliloti
Foliorum lauri
Rutæ Pulegij
Calamenti
Hyſſopi
Arthemiſiæ
Abſinthij Iuæ
Singulorum M. iij.

Miſce, & bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, & ægrotãs hyeme, ac in mediis temporibus lauacrum huius decocti ingrediatur, & optimè lauetur, vt nihil inunctionis

ſupra carnem relinquatur. Si verò ſit æſtas, ex ſequentibus herbis balneum cõficiatur.

℞. Roſarum rubearum
Violarum
Cap.ven.
Florum nenupharis
Florum chamæmeli
Singulorum Man.iij.
Myrtillorum
Nucum cypariſsi
Balauſtiarum
Singulorum Man.ij.
Meliloti
Baccaræ
Singulorum Man.j.

Miſce, & bulliant in aqua ſecũdum artẽ. Poſtquã fuerit bene lotus, inungatur oleo de roſetis vocato totus, ac in lectum ponatur, vel oleo de floribus citranguli. lectus verò ſit albis linteis odoratis ſtratus, & alba induatur interula, nitida, & odorata, & hoc nitido lecto parumper fruatur, poſteà cibũ ſumat, quia ſanitati reſtitutus eſt, tamen ab re nõ erit, ſingulis hebdomadibus per mẽſem ſcrupulos duos pilularũ Alexandri exhibere, in hoc etiam caſu dum inunctio fit principalia mẽbra roboranda ſunt: cor igitur hac inunctione perungatur,

℞. Olei de citrangulis ℥ iij.

Boli

Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Singulorum ʒ j.
Theriacæ ℥ ß.

Miſce, & cum cera fiat linimentum molle, quo in hyeme vtaris, & in temporibus mediis. in æſtate verò non miſceatur Theriaca, ſed theriacæ loco apponantur,

Sandalorum rubrorum
Sandalorum luteorum
Singulorum ʒ ij.

Poſt inunctionem epithema cordi ſupraponatur, ſi hyems ſit, ita confici debet,

℞. Aquarum roſarum
Aquarum citrangulorum
Aquarum meliſſæ
Singulorum ℥ iiij.
Galliæ moſchatæ
Corticum citrorum
Singulorum ℥ ß.
Garyophyllorum
Cinnamomi
Singulorum ʒ ij.
Aceti ℥ j.
Vini cretici ℥ ij.
Muſci
Ambracani
Singulorum G̃ ij.
Croci G̃ vj.

Hæc

Hæc omnia ſimul miſceantur, deinde linteum madeſcat, & ſupra cordis regionem extendatur. ſi verò ſit æſtas hoc fiat, quod ſequitur epithema,

℞. Aquarum roſarum
Aquarum citrangulorum
Aquarum boraginis
Singulorum ℥ iiij.
Specierum triaſandalorum
Succi limonis
Singulorum ʒ iiij.
Succi nenupharis ʒ ij.
Aceti ℥ ij.
Muſci
Ambracani
Singulorum G̃ j.
Croci G̃ iij.
Miſce.

Iecur inſuper infrigidante Galeni inungendum eſt, cui nonnihil vnguenti ſandalini hoc modo addatur,

℞. Infrigidantis Galeni ℥ ij.
Vnguenti ſandalini ℥ j.
Miſce.

Ante prandium atq; cœnam ſequētis eclegmatis ad auellanæ quantitatem inſumendum eſt, ſi hyems ſit, aut medium tempus.

℞. Zuccari roſati
Zuccari boraginati

Sing

Singulorum ℥ ij.
Lœtificantis Almanſoris
Diamuſci dulcis
Singulorum ʒ j. ß.
Theriacæ magnæ ʒ j.
Boli armeni
Terræ ſigillatæ
Singulorum ℈ j.
Miſce, & cum ſyrupo de corticibus citri fiat electuarium. Si verò ſit æſtas, ex his eclegma conficiatur.
℞. Zuccari roſati
Zuccari boraginati
Singulorum ℥ iij.
Lætificantis Almanſoris
Diamuſci dulcis
Singulorum ʒ j.
Camphoræ ʒ ß.
Sandalorum rubrorum
Sandalorum luteorum
Singulorum ℈ j.
Miſce, & cum ſyrupo de acetoſitate citri fiat eclegma. Si verò ægrotum reficere tibi placuerit, quia ipſius vires haud robuſtæ ſint, tunc ſequentes morſellos (vt communi vtar nomine) fieri iubeto.
℞. Pulpæ caponũ, vel phaſianorum ℥ vj.
Nucleorum pineorum
Piſtachiorum

Amygdalarum dulcium
Singulorum ℥ iij.
Cinnamomi ℥ ß.
Gingiberis Garyophyllorum
Singulorum ʒ j.
Musci G̈ ij.
Ambracani G̈ iij.

Misce,& cum zuccaro quantũ sufficit, fiant vocati morselli,quorũ vnusquisq; sit quãtitatis semiunciæ,& vnus singulo mane ante prandium accipiatur, ac vnus ante cœnam.

His omnibus ex ordine peractis arbitrãdum est hũc ægrotum esse in sanitatem restitutum, tamen post inunctiones ad abundantiorem cautelam, iubeo, vt per viginti saltem dies, ligni Indici decoctum sumatur, hoc etenim est id extremum, quod sanitatem exquisitè confirmat.

Contingit nõnunquam dum aliqui inunguntur, vt duros habeãt in capite tumores, aut in aliis corporis partibus,sed presertim supra tibia spiculum,in eo,in quo sunt loco predicto linimento inungendi sunt, aut cerotum hoc parandum, ac loco intumescenti supraponendum, cùm illud prius supra corium extenderis.

℞. Mercurij ℥ ß.
Diaquilonis maioris ℥ j.
Ammoniaci præparati ʒ vj.

Misce

Misce,& fiat keratũ. Si verò in eisdem locis adessent crustæ,eodẽ modo essent inungendæ,& prædictũ ceratũ apponendum,tamen ex sola inunctione ad brachia & ad crura crustæ in quocunq; sint loco,decidunt.

Dum inunguntur ægroti, euitandum est, ne testium bursa inungatur. nam pelle exuitur cum maximo pruritu, id tamen nihil est:præter incommodum pruritus ea noua pelle induitur bursa.

Denique, ne aliquid prætermittamus ex his,quæ fieri possunt in hoc affectu,vel quæ fieri consueta sunt, nonnulli hac inunctione vtuntur.

℞. Olei chamæmelini
Anethini Laurini
Iridis Rosacei
Singulorum ʒ ij.
Terebenthinæ ℥ j.
Axungiæ suillæ recentis ℔ ß.
Lythargyrij auri Cerussæ
Sublimati puluerizati
Singulorum ʒ ij.

Bulliant simul vna ebullitione, & cum ab igne remouentur,adde simul,

Cineris vitis Thuris
Masticheſ
Singulorum ℥ ß.

Omnia simul misceãtur, & conficiantur ad

formam vnguenti, posteà accipe,

Argenti viui extincti ℥ iij.

Styracis liquidæ ℥ j.

Misce omnia simul, & in mortario bene pinsantur, quoad fuerint probè simul mista, & in vnguenti formam redacta, hæc est aliquorum inunctio, qua in omnibus differenter vtuntur tam in calidis, quàm frigidis, tam in æstate, quàm hyeme, & mediis temporibus, & est nõ valde efficax vnguentum, sed illud addere volui, ne quicquã prætermitteretur, quod desiderare posses.

Dubium verò contingit, cur in hac vnctione, morbus per os ferè expurgari videatur, & quantò magis expuũt, tantò magis in sanitatem restituuntur, nonnulli hoc referunt in proprietatẽ quandam, ad quam habet argentũ viuum, vt ipsius natura sit ad os transmittere materias, quæ in corpore cõtinentur. at mihi insulsum videtur ad has proprietates, quarũ rationes reddi non possunt, confugere velle. Alii dicunt esse calidissimæ naturæ, nam ad quartũ ferè ordinẽ attingit, idcirco materias crassas liquefacit, & ad os trãsmittit. At dices, cur ad alias partes non transmittit, & cur ad os potiùs, quàm ad illas? Alij dicunt ad os illas solùm materias transmitti, quæ in capite sunt: & experientia oppositum ostendit, quoniã & reliquæ

reliquæ materiæ,quæ in corpore sunt,ad os transmittuntur. nam tanta materiæ copia quandoq; exit,vt ad illam recipiendam sex capita nō essent satis. Calidum verò esse argentum viuũ ex Paulo colligere volunt,sed de hac posteà,nos potiùs arbitramur frigidæ esse,& tenuiũ partiũ naturæ,cùm & ipsa intensissimi hyemis frigiditas, dum subiit nostra corpora, illa penetrat, & necessariò est tenuiũ partium, aëri nimium innititur, qui per cutaneos meatus ad ossa vsq; penetrat, ita argentũ viuum, & si frigidũ sit, tamen tenuiũ est partiũ, cùm sit aqueæ naturæ. hoc verò ita ostenditur, si in crassissimi corij marsupium argẽtum viuum imponatur, & bene comprimatur per solidas corij partes,exit hydrargyriũ:nam sua tenuitate nouit insensibiles illius corij meatus inuenire,quos fortè aqua ipsa nō inueniret, vel non tam citò: quia aliquid habet sulphuris admisti in sua substantia. Vnde dicendum est argentum viuum sua frigiditate membra omnia comprimere, & ad locum illum comprimere,per quem natum est,naturam humores trãsmittere. Cùm verò os vnus sit locus ex illis, non mirum si ad os materiæ repercutiantur, tamen & in aliquibus ad anum tendunt, & per anum exeunt,qui est alter locus, per quem natura solet trans-

mittere humores,& ideò ad expulſionis loca repercutit. hic verò locus, qui os vocatur, materias facilè recipit, quæ à capite, thorace, & aliis partibus ab aliquo violento medicamento repercutiuntur. itaq; hanc arbitror eſſe cauſam, cur materias ad os trãſmittat, ſua inſuper tenui natura craſſas materias attenuat, vt illas ad os facilè repercutere poſsit. Quempiã vidi, cui ex hac inũctione anus ita erat exulceratus, vt ſunt gingiuæ, ob harũ ſcilicet materierũ trãſmiſsionẽ ad anũ, vt cauſa cur ad os trãſmittit, ſit quia repercutit, & cũ vehemẽtia, ad vnã expulſionis viã materias trãſmittit. Vna autẽ via eſt os, quæ facilior eſt, quàm anus, cùm plures partes ſint ori magis propinquæ, quàm ano, ex his inquam partibus, quæ in corpore ſunt humorũ capacibus, hæcq; vehemẽs expulſio per venas fit, quæ ad os expreſſè retranſmittunt, fortè ita dicendum eſt de repercuſsione per hydrargyrium, facta ad os.

Aliâs ſentire ſolebam eſſe calidæ temperiei hydrargyriũ, & tũc facilius erat rationem reddere, cur materiæ ad os decurrant. mouebátq; ad ſentiendũ, quòd eſſet calidũ ex quodam Galeni loco, in quarto de Simpliciũ medicamentorũ facultatibus, cap. 19. vbi incidenter de hydrargyrio tractat, & inquit, eſſe craſſarum partium, & poteſtate calid

calidum, ſicut ferrum. nam illud ferro comparat: & dicit ventrẽ exulcerare, non aliter quàm ferrum ignitũ ac lapidem. Sequitur verò, tum exurunt, cùm ſcilicet in corpus diſtribui præ grauitate haud poſsint, ſed Galenus in hoc mihi parcat. Nam experientia oſtẽdit per corpus mirè diſtribui argentum viuum, & maximè penetrare. nam ſolis inũctis manibus vnguẽto, in quo argentum viuum receptũ ſit, per totũ corpus penetrat, egomet cùm nonnunquam ſcabie affectus eſſem, & inungi renuerem, argentum viuũ ſuillæ axũgiæ miſcui, poſteà manuum carpum tantum deliniui, & vniuerſi corporis ſcabies trium dierũ ſpatio tota exhauſta eſt, hinc colligi poteſt: an penetret, & per corpus diſtribuatur, an nõ. Præterea, quæ ſuperiùs dicta ſunt de argento viuo in defunctorũ capitibus in ſepulchris repertũ, tamẽ brachia tantùm & crura inuncta ſunt, dici inſuper Galenũ illud facere calidũ potentia ſicuti ferrum, quoniã igniri poſsit & incaleſcere, ſed in actuali ſua natura frigidum eſt. veruntamen de argento viuo hoc dici nõ poteſt, quoniã vt igniatur minimè expectat. nam totus euaporat, cùm ignẽ ſentit, niſi ſit alicui rei miſtum, & mortificatũ, vt cùm aduritur. antiquitus verò vtebatur etiã, & per os prębebatur ad nonnullos alui

dolores, Paulo teste lib. 7. At dices Galenum dicere igniri in humano corpore, & in animante accipere mutationem, non aliter, quàm lapis ferrúmque ignitum, tum exulcerant, tum exurunt, verùm hoc non videtur, quòd exulceret viuum argentum exurátue. Aliàs arbitratus sum Galenum modicam habuisse hydrargyrij cognitionem. nam in 9. de simplicium medicamentorum facultatibus apertè dicit hydrargyriũ non esse ex sponte nascentibus medicamentis, sed ex iis quæ præparantur, veluti psimithium, ærugo, psoricum, lythargyros. at hydrargyros quandoque est vomica terrenis, quæ à minera exit, fortè Galenus intelligit quòd postquam collectum est expurgatur, sed hoc non aufert quin sit sponte nascens medicamentum. id verò confirmat meam sententiam, quòd Galenus haud probè cognouerit argenti viui naturam, quia statim sequitur: nullum autem eius feci periculum, neque quòd interimat si deuoretur, neque vbi foris admota sit, vt planè videas Galenum haud probè hydrargyrij naturam nouisse. Sed aliud etiam me commouebat, vt putarem esse calidæ temperiei, argentum viuum, Pauli videlicet sententia à Rasis adducta, qui expresè fatetur (iuxta Rasim) cali-

dum

dum esse hydrargyrium, veruntamen Paulum diligenter considerans, nullum inueni locum in quo hoc fateretur Paulus. tamen bis de hydrargyrio verba facit, & libro quinto capite lxiiij. & libro vij. in litera *v*, & tamen neque in vno neque, in alio loco mentionem facit quod calidum sit, nedum quòd tali qualitate, vel tali, ex primis sit præditum. Et Aristoteles calidum esse suadere videbatur in iiij. Meteor. lib. cùm de his quæ coagulari nõ possunt, agit, & inquit, Incoagulabilia autẽ sunt, quæcũque aut humiditate aquosa carent, aut non aqueæ sunt, sed plus calidi & terræ, puta mel, & mustum, aut plus aëris, sicut oleum, & argentum viuum, hîc supple, iterum aut plus calidi & aëris, vt notetur in argento viuo adesse plus calidi & aëris, propterea nõ posse coagulari, hũc addiscant chymistę quomodo fixum reddere posint suum mercurium, quod tantopere quærunt, & quæsiuere, nunquam tamen inuenerunt, neq; (vt arbitror) inuenturi sunt. At hæc esset via remanere ab ipso aëream naturam, & calidam, tunc enim fixum redderetur, sed ampliùs non esset viuum argentum, neque etiã argentũ. Ad rem verò redeuntes, Aristoteles argentum viuum calidum facere videtur, & aëræ substantiæ, ob quam naturã

perenni motu agitatur, at liber hic quartus Meteororũ Ariſtotelis tali autore dignus non videtur, multæq́; in eo imperfectiones ſunt, neque ad tres meteologicos præſcriptos libros aliquid commune habet, imò ad ipſos nihil penitus ſperare videtur, idcirco ſi non recipiatur vt Ariſtotelis liber, non erit magni mométi erratum, tamẽ argentũ viuũ áqueum facit, & monet eſſe vti aquã, quæ cũ terra valde tenui miſcetur ſulphurea, & eſt horum miſtio vehementiſsima, hinc perenniter mouetur, album eſſe dicit, ex aquæ albedine, & tenuiſsima terra miſta, cùm verò partes aqueæ magis appareãt in ipſo quàm ſulphureæ, frigidum potiùs cenſendum eſt, quàm calidum. At Haliabbas ac Raſis in vltimo cõtinẽtis illud faciũt non tãtũ calidum, ſed & adurentis naturæ, quanquam alij calidum tantum in ſecundo eſſe fateantur, tamen ſimpliciter nos potiùs frigidum eſſe dicendum iubemus, at argumentantur recentes quomodo illud poteſt eſſe frigidũ, quod corrodit ac mordicat? id profectò quod huius generis eſt, frigidum eſſe non poterit. at argentum viuũ corrodere ac mordicare Dioſcorides teſtatur, igitur calidum eſſe oportet, at eiuſcemodi argumentatio non vno errore ſcatet, ſed pluribus, cùm prima propoſitio,
cui

cui tota ratio innititur, abſurda ſit, non enim omne, quod corrodit, & mordicat, calidum eſt, nam hyemis tẽpore frigidus aër corrodit, ac mordicat: tamen nulla caliditate pręditũ eſt, ſed ſimpliciter frigidum, neque etiam Dioſcorides aliud dicit, quàm inteſtina erodere ſuo pondere, illa inquam non qualitate aliqua calida, ſed ſuo põdere lædit, ac perforat. At hoc non facit in parua copia ſumptum, quoniam pondus tale non eſt, vt inteſtina perforare, ac penetrare poſſit. At iterum argumẽtantur, cùm in rebus ſymbolum ſit, ſi argentum viuum ſtatim in aërem conuertatur, quis negabit illud eſſe aereæ naturæ? in aërem verò ſtatim conuerti id oſtendit, quòd ſi igni applicetur, in fumum conuertitur, qui ſtatim aër euadit, ad quantum ratio hæc conueniat, tibi oſtendere poteſt aquæ in aërem cõuerſio per ignis applicationem, nã cùm ignis aquæ applicatur, ſtatim in vapores conuertitur, qui aër mox efficiuntur. tamen non ſequitur, ergo aqua calida eſt. ita neq; ſequi debet in fumos conuertitur, qui ſtatim aër efficiũtur, igitur argẽtum viuum eſt calidũ quoniam & id ſymbolum quod dicunt, nõ facit, vt habeat qualitates illius in quod habet ſymbolũ, nã aqua habet ad aërẽ ſymbolũ, tamẽ nõ ſequitur, quòd aqua aëris quali-

tates habeat, vt in genere ego potiùs arbitrer eſſe frigidæ temperiei, tamē ob pōdus maximum, quod habet, tū quia cū eo aliqui delinuntur naturalis calor retrahitur, ac ad interiora retruditur: tum quia iuxta Auicēnam ægritudines frigidas inducit, vt paralyſim, ſtuporem. epilepſiam, apoplexiam, & ſimiles ægritudines. Prætereo impræſentiarū argumētū à nominis ratione, quoniā hydrargyros vocatur, ac ſi dicatur aqueum argentum, vt notetur eius naturam eſſe de aquæ natura, quanquam hoc attribui poſſet ſuæ mobilitati, vt aqueum dicatur, non quia ſit de aquæ natura, ſed quia motū habeat, albedinem ac luciditatem, vt aqua, imò nonnulli ex mobilitate ſumere volūt, quòd calidum ſit, quoniam res calidę motu magis præſtāt quàm frigidæ, ſed friuolum eſt argumētū, cū aqua ipſa quæ frigida eſt, ſi in plano ponatur, diſcurrat, nec ſiſtere poſsit, ita argentū viuum in plano poſitum diſcurrit, cùm verò terminum habet, ibi ſiſtit, neque ampliùs mouetur, vt in ſumma inferre voluerim argētū viuum eſſe potiùs frigidum, quàm calidum, tamen & aliquas partes habere calidas, nō enim eſt ſimplex corpus elementare, ſed ex elemētis compoſitum, aqueo elemēto ſuperante, cùm aërei miſcella terra potiſsima ac tenuiſsima, quę

ſulphurea eſt cũ ignis portione vehemẽter cõmiſta, planũ verò eſt ſulphuream ſubeſſe naturã, ſi quis illud tractet, nam manus ſulphur olẽt. Cõciliator in ſuis differẽtiis duobus modis conatus eſt 151. differentia autores in tãto diſsidio conciliare. Vnus eſt modus, quia ex duabus cõficitur partibus viuũ argẽtũ, ex aquea inquã parte, et ſulphurea, ratione aqueę frigidum dici poteſt: ratione verò ſulphureæ calidũ. Alter cõciliãdi modus eſt, quòd triplex reperitur argenti viui ſpecies. Vna, quæ (iuxta Dioſcoridem) ex minio fit, & cinnabari, nam hæc in teſteum cacabũ ponũtur, & ferreo cooperculo exquiſitè tegitur, & igni exponitur, poſt tres aut quatuor horas ab igne remouetur, & quod operculo inhæret, colligendum, aliud eſt huius argenti genus, quod deccurrit per montes, & eſt (Plinio teſte) veluti vomica, quæ perenniter illud emittit. Extat & tertium genus, quod ex montis lapidibus extruditur, ſicut & alia extruduntur metalla, hócque vi ignis efficitur, tunc monet hoc tertium genus eſſe calidum, reliqua duo frigida: vt ex harum ſpecierum diſtinctione inter autores differentia ſtatuat, & cõueniẽtiã, & illos haud diſſidẽtes reddat.

Sed vt huic negotio finem imponamus, dicendum eſt argentum viuum eſſe diuerſarum

ſarum partium. calidarum inquam & frigidarum, at frigidæ calidas ſuperant, itaq; diuerſitatem partium ponẽdo, faciliùs ratio redditur, cur ad os materias trãſmittat, nam pars calida penetrat, & frigida illã ſequitur, calida attenuat, frigida repercutit, & ad propinquiora loca repellit. Vnde cùm materiæ quæ in capite, thorace, ac ſimilibus partibus ſunt, ori potiùs, quàm ano propinqua exiſtant, idcirco ad os faciliùs trãſmittuntur, & per illud exeunt. Cùm verò experientia oſtendat eos, qui inunguntur, in oris fœtorem incidere, cùm inunctiones hydrargyros ingreditur, ſecus verò eſt, ſi aliis inungantur inunctionibus, in quibus abſit hydrargyros. idcirco petendũ videtur cur oris fœtorem inducat viuum argentũ, nonnulli reſpondent hanc eſſe argenti viui naturam, nam ſua proprietate oris fœtorẽ inducit, arbitror eſſe materias iſtas, os petẽtes, quæ oris fœtorem pariunt, tamen cùm experiẽtia oſtẽdat, nõ paucas mulieres hydrargyro vti ſputo extincto, ad mactandos in puerulis pediculos, & compoſitio huiuſmodi ex ſputo, ſcilicet & hydrargyro fœteat, arbitrãdũ eſt & nõnihil etiã ad fœtorẽ addere viuũ argẽtũ: in inunctione verò corpora penetrat, & ſputo miſcetur, per inſenſibiles verò meatus corpora penetrare, planũ
fiet

fiet, ſi quis inunctorum capita, cùm mortui ſunt, inſpicere tẽtet, ego nõ ſemel in ſepulchris argẽtũ viuum in mortuorũ capitibus reperi, vidi & quẽpiã, qui ter fuerat in brachiis ſolũ de more, & cruribus inunctus, tamen cùm nõnũquã latrinæ inſideret, argẽti viui paterã ferè euomuit, rei quã euomuerat pondus perſenſit, vxorẽ acciuit, quæ lumẽ (nã nox erat) afferret. nimirũ quid euomuiſſet, inſpecturus erat, arbitrabatur ipſe craſſam pituitam ſe inuẽturum, in terram aſpiciens nihil prorſus inuenit, at prope loci parietes argẽti viui, quod euomuerat, magnam quantitatem reperit, vt planum ſit à brachiis & cruribus in ventriculũ per occultos meatus penetraſſe, referebat verò quòd antequàm euomuiſſet, multi erant dies, quòd in ventriculo pondus quoddam & miram anguſtiam ſentiebat. Mirum tamen videtur quomodo in ventriculo permanere potuerit, & ad inteſtina nõ deſcenderit: fortè quia erat in ventriculi cauitate, & ob pondus ad pyloron aſcendere non poterat, at magno naturæ nixu facto illud euomuit.

Petes iterum, cùm venenum ſit, cur hunc non interfecit, qui tanta Mercurij copia plenus erat? Dicimus naturam fuiſſe paulatim illi veneno aſſuetam, vel dicamus Dioſcoridem

ridem & alios autores dicere esse venenũ suo pondere. At inquies in tanta copia cur ventriculum non perforauit? fortè dicendũ naturã suę qualitati suóq; põderi paulatim fuisse assuetam, secus esset, si statim biberetur, & per os ventriculum ingrederetur. Nota insuper multa esse, quæ homini venena sunt, cùm verò homo aliud veneni genus receperit, cui illud sit aduersissimum, hoc non esse amplius venenum, sed magis antidotũ aduersus primum venenum. hoc elegantissimè ostendit Ausonius Gallus in epigrammate, in quo refert vxorẽ quãdam veneno virum suũ necare voluisse, & cùm venenũ temperasset, visum est illi non esse decentem copiam, & huic primo veneno addidit argentum viuum, quod fuit viro suo aduersus primum venenum antidotũ, ita verò cæcinit poëta:

Toxica Zelotypo dedit vxor Mœcha marito
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc siquis, faciunt discreta venenum
Antidotum sumet qui sociata bibet.
Ergo inter se se dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutifera.
Protinus & vacuos alui petiêre recessus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.

Quæ

Quàm pia cura deum prodest crudelior vxor:
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

Eodẽ pacto gallicus affectus venenũ quoddam est humano corpori, cui argentũ viuũ aduersatur. Vnde homini gallica lue affecto nõ est venenum, sed potiùs antidotum, tamẽ nec homini venenum esse argentum viuum dici potest. nam per os nõnunquam pueris pro vermibus adhibui, & sanitati statim restituti sunt.

At hîc dubium non mediocre occurrit diluendum, quia in lue gallica nerui, vt plurimùm afficiuntur, at argentum viuum neruis obesse communis omniũ consensus asserit, & paralysim inducere testatur Auicẽna. Conueniens igitur non erit ad luẽ gallicam medicamentum hydrargyros, cùm & neruis, ac iuncturis obsit, quæ partes à morbo gallico maximè infestantur, dicendum est esse communem sententiam, & veram, quòd neruis obsit, ac iuncturis, imò & dentibus etiam obest, sed quod medicamentum est, quod alicui nõ obsit parti? tamẽ multò minus argenti viui nocumẽtum est, quàm id sit, quod prestat vtilitatis, nã ex tã seuo affectu in sanitatem restituit, quanquam læsio quædam neruis illata sit, atque iuncturis, sed tãtum excellit sanitatis præstantia, vt hæc minima nocumenta digna

non

non ſint, vt conſiderentur. imò & læſio iſta palam non ſentitur.

Nota etiam, cùm quiſpiam ex hac lue inungitur ſecunda ac tertia die, & vſque ad quartam, dolores ac affectũ ſupercreſcere, poſteà remitti incipere, nam cùm primis illis diebus homo inungitur, magna fit materierum commotio, ob quã dolores augẽtur, at in inũctionis perſeuerantia reſoluũtur humores, & iam omnia miteſcere incipiunt, per óſque expuuntur, imò vidimus hos nonnunquam febre correptos eſſe, & dum inunguntur à febre immunes euadũt, vt quandoque quarto vel quinto die febres ac dolores penitus ceſſent.

Cùm verò in gallico affectu dolores potiſsimùm circa iũcturas homines exerceãt, ac perturbent, quærendum fortè erit, cur aliæ partes æquè non moleſtantur, dicendum eſt in iuncturis adeſſe cauitates, quæ materia implentur, & ideò partes illæ potiùs, ac magis quàm aliæ, quæ nihil recipiunt dolitãt. ſi verò dicas, & ſi in iuncturis materiæ coadunentur, tamen & in eiſdem iuncturis fieri motus, qui materias in ipſis contentas reſoluere poſſunt, dicendum eſt motum non eſſe tantum, vt materias omnes quæ in iuncturis cõtinẽtur, reſoluere poſsit, imò nouæ ſemper in ipſis aggregã-

tur

tur, nunc de communi motu, quo vtimur loquor, non de violento, & cõtinuo, ac vehemente, quoniam nonnullos vidi à lue gallica absolutos, per solum vehementem motum, ac continuum.

Petes insuper, cur inungi hoc modo ab omnibus ferè euitetur. Respondemus hanc solam esse causam, quia omnes exulcerationem illam oris verẽtur, tamen inunctio ipsa salutaris est à diis potiùs, quàm ab hominibus inuenta.

At petes etiam, quæ causa sit, cur argentum viuũ ita prosit & nihil aliud sit, quod æquè prodesse posit? in hoc casu necessariũ est ad occultas recurrere proprietates, quia nulla alia videtur posse asignari causa, quàm ista, quòd argenti viui proprium sit hoc efficere, & quòd aliorũ medicamentorum nõ sit hoc proprium, Vnde proprietas manifesta est hoc efficere argentũ viuũ, occultum verò est propter quòd, & per quã qualitatem hoc efficiat, nisi si persistamus in illa repercusione ex frigido cum parte calida, quæ ingreditur, & attenuat, per quas qualitates humores ad os repelluntur, & oris partes exulcerant, & per illud exeunt.

Fortè petes, nũquid per eiuscemodi inunctionem omnes sanitati restituant: respondemus nos rarisimos vidisse, qui per hanc

inunctionem non sint sanitati restituti, vel pro parte saltem ab ægritudine absoluti, quãuis nõnulli sint, qui inunctiones reprehendant, & dicãt argẽtum viuum epilepsiã, paralysim, & apoplexiam inducere. At ego neminem vidi, qui ob inunctionem, in aliquod horum inciderit: tamẽ aurifices vidi, & nonnullos qui aurum purificant, & qui alia metalla auro deliniunt, qui ob argenti viui fumum, in epilepsiam incidêre, paralysim, & apoplexiã, & breui, quos etiam curaui, & aliquos vidi ab eodem fumo resolutos, ac curaui, imò qui ferè stupidi euasêre, & iuxta Auicennam, tremorem inducit, & recta membra flectit, auditum obtundit, ac visum, & oris fœtorem parit, & omnibus animalibus eius obest fumus, iuxta Dioscoridem: prauum colorem efficit, & oris putredinem, cerebrúmque offendit, & Plinius lib. xxxiij. cap. tertio, & sexto, dicit esse vomicam liquoris æterni argẽtum viuum, & esse omnium rerum venenum, aurum insuper corrumpit. Nam si aurum in viuum argentum imposueris, liquescit ac destruitur, Auicenna iubet à stomacho & à membris nobilibus esse illa remouenda, in quibus recipitur argentum viuũ extinctum, tamen nihil horum efficit in vnguento ad hunc morbum receptũ, ipsius verò fumus omnia,

quæ

quæ prædicta sunt, efficere potest, quando igne exagitatur.

Petes præterea, nunquid sit aliqua præparatione muniẽdum, ne tantopere lædat, Dicimus nõnullos ita illud præparasse, acetum recepisse, & in eo viuum argentum imposuisse in testea olla, posteà lẽto igne ebullire fecisse, quoad acetum fuerit cõsumptũ, semperq; baculo miscebant, vt ad minimas partes diuelleretur, posteà toties aceto lauabãt, quòd cærulei esset coloris, ita magnus Chymista Geber præparari docuit, híq; fatentur huius ita diluti vnciã plus valere, quã duas nõ diluti, alij verò sunt, qui hoc modo præparãt, argentũ viuum absq; alio liquore in vitreo vase ponũt, posteà vas aliud vitreũ obtortum supraponũt, & luto occludunt, & igni lento supraponũt, tenues ipsius partes vti fumus eleuãtur, & vasis vitrei lateribus inhærent, posteà vasa aperiuntur, & quæ lateribus vasis inhærent, sunt argentum viuum præparatum, quod in vsu esse debet.

Fortè petes, quid per hanc præparationẽ efficiãt? respondent ab argento viuo omnẽ sulphuris partem auferri, & omnem plumbeam partem, ac terream, at hoc absurdum esse arbitror, quia amplius non esset viuum argentum, Nos verò ita præparamus, vt cùm eo nihil sit pulueris, nihil crassi

 mistum

miſtum, iubemus vt in denſum coriũ imponatur, ac probè exprimatur, ſtatim è corio exilit purificatum, hoc vtimur abſque alia præparatione, hæcq́ue ſunt illa, quæ de his inunctionibus in gallico affectu fieri conſueuerunt. Duo modi gallicum morbum expellẽdi iam pertractati ſunt, ſuffumigia, ſcilicet & inunctiones, & ſub inũctionibus tertiũ quendam ſubintelleximus modum, qui erat per ceratatia illud abigere, nunc modum alium, & ſaluberrimum adducemus, quo hic affectus non ininſtrenuè repelletur. Fit verò per decoctum Indici ligni in aqua, vel in vino, primò decocto in aqua, poſteà de confecto in vino verba faciemus. ego primus Ferrariæ ligni Indici decoctũ in aqua illuſtri Aeneæ Pio 1525. exhibui, qui affectu gallico vehementiſsimè afficiebatur, videbatur tunc Ferrariæ inſomnium eſſe eiuſcemodi lignum, imò nonnulli ex nobilioribus illius temporis medicis hoc decoctum deridebant, & ego etiam primus decoctum in vino Ferrariæ adhibere cœpi 1534. peruenerat ad me libellus quidam ab Hiſpania allatus, in quo modus præſtabatur præbendi huius ligni decoctum in aqua, eodem modo præbui illuſtri Aeneæ Pio, & egregiè ſucceſsit, deinde verò multa iam inuentis addere cœpi, vt nunc commodiùs

diùs,ac faciliùs,quàm anteà præbeatur.

Triplex huius ligni Indici genus noui, quod indica lingua Guaiacũ vocant. Vnum eſt cõmune hoc,quod paſsim vẽditur,quod in extremis buxeum ferè colorem habet, ſubalbidum etenim eſt, meditulium verò nigricat,& ſplendidam quandam duritiem habet,vocatur & lignum ſanctũ, & palum ſanctum, nõnulli crucis lignum nominare cœperunt. Aliud genus noui,quod peculiariter nõnulli pharmacopolæ palum ſanctũ vocare cẽſuerũt,ac ſi primùm nõ ſit eodem nomine inſignitum,hoc lignũ magis albicat,quàm primũ,& ad luteum quẽdam colorem vergit,paruũ habet meditulіũ ac pellucidum. Nõ pauci decepti ſunt rati, lignũ hoc eſſe primi ligni Ramos. Verũ & ſi hoc genus non ſit nimis craſſum, tamen diuerſum colorem habet, Luſitanóſq; allocutus ſum,qui Indiam perluſtrarũt, mihi retulerunt hoc eſſe diuerſum arboris genus à primo,in genere inter hebani ſpecies numerari poſſunt,color inſuper oſtẽdit eſſe diuerſa,& odor,Imò huius ſecundi ligni Indici decoctum longè acrius eſt,quã primi decoctum. At ſi primũ lignũ eſſet trũcus,& hoc ſecũdũ rami, opus eſſet trunci decoctũ,eſſe longè acrius,quã ramorũ decoctũ. oppoſitũ verò experientia oſtendit,imò cùm Genuæ

nonnunquã essem 1528. lignũ hoc vidi longè amplius quã primũ relatum Indicum lignum, hoc indiciũ est, si secũdum hoc lignũ sint rami, quòd suæ propriæ arboris rami sint. Vidimus & tertium genus ab aliis diuersum Venetiis, in pharmacopolio egregij viri Caroli, qui pro insigni campanam suspensam habet. Rubebat hoc lignum, & videbatur vti cornu rubrum in meditulio, imò lignum hoc est ferè totũ meditulium, tantũ margine quodam minùs rubro cingitur, deniq; extrinsecus adest cortex, eodem cum aliis corticibus colore insignitus, de hoc nullum habui exprimẽtum, nullámq; notitiã, imò neq; bonus Carolus, qui ostendebat hoc lignũ, aliud referre sciebat, quã esse aliud Indici ligni genus, quod breuius in sanitatem restituit quã alia faciant. Primum & secũdum ligni genus in vsu habui: primo autem frequentissimè sum vsus, bis verò aut ter secundo. idcirco de his duobus verba agemus, tertio posthabito. A` secũdo verò incipiemus, veluti ab eo, in quo modicũ permansuri sumus, ac immoraturi, quoniam diu est, quòd illud in Italia non vidimus, ipsius verò vsus hic est, in primis is, qui affectus est expurgatur, posteà sequenti die vel altero victum remittere incipit, & minus edi, quàm esset assuetus, secundo die

adhuc

adhuc minus edat,& tertio minus,quartóque adhuc minus,ſemper quotidie minuendo,quouſq; nonum attingat diem,tũc verò tribus panis vnciis in prandio ſit contẽtus, & duabus in cœna,cum coriãdrorum cõditorum vncia,vel paſſularum mane,veſperi autem ſemiuncia ſit,& in hoc victus genere per nouem dies perſeueret, & ſingulo mane poſt ſeptẽ horas à cœna ſex decocti huius ligni vncias inſumat,poſt quinq; horas ab huius ſyrupi ſumptu prandeat, poſt ſeptem à prãdio horas,iterum ſex alias huius decocti vncias ebibat, poſt quinque ab hoc decocto horas cœnet,in potu verò dum pradet ac cœnat,ſecũdum bibat decoctum, tertium,quartum,& quintũ, quibus etiam vtatur,ſi interdiu vel noctu ſitierit,cùm decoctũ ſumit,in lecto ſit,& iubeat ſe tegi,vt ſudet,vel ſi à lecto ſurrexerit,calidum lectũ ingrediatur, in quo per horã cum dimidia, vel per duas horas iaceat, poſteà ſurgat,& ſi ſudauerit,abſtergatur,ſi hyems ſit,vel frigus adhuc vigeat,in cubiculo maneat calido,ſi æſtas ſit,& vehemẽtiſsimus calor, feneſtras aperire poteſt, & domũ etiã exire, vento autem inualeſcẽte occluſus maneat.

Decoctum verò iſtud eo modo conficietur,vt explanabimus,quando modum conficiendi decoctum ex cõmuni ligno edocebimus

bimus,& eodem modo de ſecundo decocto intelligito,tertio , quarto, & quinto , quoniam fieri poſſunt quinque decocta,quādo opus eſt,& non plura.

Poſt nouem hos dies quibus decoctum ebibit,opus eſt paulatim cibum augere,vt primo die nōnihil plus ſumatur,tertio die augere,quarto,quinto,vſq; ad nonum,quo die in naturalem cibi quantitatē peruenire debet,& conſuetudinem ſibi propriam,interim verò dum cibus augetur , paucifero vino vtatur , dum verò decoctum ſumit , ſi non excreuerit , alternis ſaltem diebus huius generis clyſma imponendum erit.

℞. Braſsicarum Man.j.
Senæ Polypodij
Epithymi
Singulorum ℥ ß.
Saluiæ Maioranæ
Roris marini Iuæ
Foliorum lauri
Singulorum Man. ß.
Aniſorum Fœniculorum
Amidis
Singulorum ʒ ij.
Pulpæ colocynthidis ʒ j.
Agarici ʒ j. ß.

Miſce,& bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ſecundum artem, poſteà

℞. Hu

℞. Huius decocti ℔ j.
Olei anethini Olei rutacei
Singulorum ℥ ij.
Hieræ picræ ℥ j.
Hieræ logadij ʒ ij.
Mellis rosati colati ℥ j.
Salis communis ʒ ij.
Misce,& imponatur.

Deinceps lignum hoc luteum non vidi amplius in Italia, cuius adhibitio vigintiseptem dierũ spatio perficitur. nam diebus nouem victus minuitur, diebus nouem decoctum sumitur, cũ victus ratione tenuissima & diebus nouem cibus augetur, quoad ægrotus in suã naturalem victus rationem deuenerit, post hos vigintiseptem dies hoc ordine peractos ægrotũ sanitati restitutum esse censendum est, nõnulli verò hunc ordinem per triginta dies seruarunt, vt diebus decẽ victus rationem diminuerẽt,& diebus decem decoctum præberent,& vltimis decem diebus victus rationem augerent, cùm verò diu sit, quòd lignũ hoc in Italia nõ viderimus, de illo iã satis dictũ esse putemus.

Nũc ad exhibitionẽ decocti Indici ligni cõmunis in aqua sermonẽ cõuertamus, superioribus annis huius decocti sumptio, nimis arcta esse videbatur, ac difficilis, nunc adeò plana, adeóq; facilis relicta est, vt qui ęstiuo

tẽpore id ſumũt, domum etiã exire poſsit.

Scito autẽ huius ligni decoctum,& ſimplex fieri poſſe,& cõpoſitũ, ſi ſimplex fiat, hoc modo cõficiẽdum eſt, duodecim aquæ libræ ſumantur, & vni libræ ſcobis Indici ligni miſceãtur, & per vigintiquatuor horas in infuſione dimittãtur,poſteà pẽdenda eſt aqua,quę nõ eſt in ligni ſcobe imbibita, ſi ſex libras ęquet,ſatis eſt:ſi nõ æquet,quia ſcobi illa multũ aquæ in bibendo cõſumit, tantũ aquæ ſuppleatur,quod ad ſex librarũ pondus attingat,& ſupra ligni ſcobem huius aquæ tres libras iniice. Si verò in olla, quæ duplæ ſit capacitatis harum rerũ,quas receptura eſt,ſcobis ſcilicet & aquæ,ſitque noua olla vitro delinita, poſteà cùm tres aquæ libras inieceris,paruum quendam baculum accipito,& in ollæ fundum immergito, poſteà baculum in illa parte ſignato, qua vltimò ab aqua madeſcit, deinde alias tres libras aquæ iniicito, quas à primis tribus diuiſeras,quæ ſi tres nõ eſſent, tantum aquæ adiicito,quòd tres efficiantur,& bulliri facito,quoad tres libræ fuerint cõſumptæ,Id verò erit,quãdo tantum aquæ fuerit conſumptum,quòd aqua ad ſignum vſq; in baculo factum cõſumpta ſit,tunc tres aquæ libras quę in vaſe ſunt,per denſum linteum percolato,& pro ſumendis ſyrupis reſeruetur

tur,si quispiam voluerit simplex decoctum accipere,& nihil aliud,hoc insumat ita simpliciter cõfectum, verũtamen primò ægrotans purgandus est,vt suæ cõpetit tẽperiei, & humorũ abundantiæ,quã habet, purgatione perfecta statim sequẽti die per quinq; horas ante prandium quatuor,quinque vel sex vncias sumat huius decocti,vt diligenti videbitur medico,qui illum curat,De quãtitate verò sumẽdi decoctum posteà verba faciemus,mox bene tectus dormiat, quantum illi lubuerit, vt si fieri possit, sudet, post quinq; horas prãdeat,in prãdióq; quatuor panis vncias sumat,& pugillũ coriandrorũ,siue passularũ,siue seminũ peponum conditorum,siue nucleorũ pineorũ,siue pistachiorum,siue amygdalarũ, siue vuarum exiccatarũ ex Illyrio Ferrariã allatarũ,siue lactucæ cõditæ,siue cucurbitæ cõditę.Secũdum verò decoctũ,tertium,quartũ,& quintum vini loco bibat, ita verò conficitur secundum decoctum,supra prædictam ligni scobem,sex aquę libras iniicito,& bulliant ad consumptionem trium librarum, posteà percolentur, & seruentur, & secundo & tertio & quarto & quinto eodem fiat modo, non est autem opus quintam cocturam excedere, quoniam nihil virium haberet aqua. Rari etiam sunt,qui secundum

coctur

coćturam attingant, quoniã rari inueniuntur huius aquæ potatores, post septẽ à prandio horas primi etiã decocti sex vncias insumat, & probè tegatur, & si fieri posśit, sudet, post quinque horas à sumpto decocto cœnet, tréſque panis vncias edat, & ex prædictis rebus quæ in prandio sumpsit, pugillum edat, posteà dormiat, & per septem horas à cœna iterum decoctum insumat, & ita pro cõmuni more vsq; ad quadraginta dies perseueret. Nota primũ decoctum esse libras tres, cuius si sex vnciæ sumãtur per tres dies supplebit, vnde secundo die opus erit noui ligni scobem in infusionem imponere, eodem modo quo dictum est prius, & ita in finem vsque semper prosequi.

Nota verò, si vires defecerint, vt hic videatur inediam ferre non posse, pullorum iure vescatur, & loco secundi & tertij decocti vinum bibat, hanc ob causam medicus quotidie huius pulsum tangere debet, qui in hac tenui victus ratione seruatur, vt noscat an imbecillior euadat, quanquam & decoctum hoc nutriat, cùm pingue sit.

Quia plerunque aluus adstricta efficitur, propterea præscriptus clyster bis in hebdomada imponi debet, & frequentiùs, etiam si necesśitas exegerit: neque ab re erit singula hebdomada casśiã adhibere, aut man-

nam

nam, quæ cùm exhibeatur, non est opus illi mane decoctum præbere, potio hæc conuenientissima est in hoc casu.

℞. Inf. senæ ℥ iiij.
Syrupi de pomis sabor
Syrupi de epythimo
Singulorum ℥ j.
Misce.

Vel hoc insumatur

℞. Diacatholiconis ℥ j.
Syrupi de pomis sabor ℥ ß.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Decipiuntur illi, qui arbitrantur medicamenta debere esse decoctioni propria, & nihil ab ea euariare: at potiùs debent esse humoribus qui euacuantur propria.

Nonnulli arbitrantur decoctũ istud hyeme bibi non posse, neque debere, imò quòd post Septembris mensem nõ sit bibendum, sed tantùm sumatur Vere aduentãte. at nos dicimus hyeme etiã præberi posse, quando opus est, etiã si profunda esset hyems, & frigidissima, quoniã cùm maximè affligit affectus, sit quæcũq; anni pars, ægroto prouidendum est, neq; per menses expectandum. hyeme verò opus est cubiculi aërem tepidũ reddere, vel parumper supra tepiditatẽ calidum, idcirco rimæ omnes quę in fenestris

sunt

ſunt & quæ in oſtiis, ac parietibus, occludendæ ſunt, ne ventus ingredi poſsit,& caliditas exire. vnde Ver aptiſsimum eſt tempus ad huius ligni decoctũ ſumendum, ſecundò autumnus, quia hæc tẽpora ad temperiem magis vergunt, poſteà æſtas, deniq; hyems, & niſi eſſet reſolutio caloris æſtiui, præ omnibus temporibus æſtatẽ eligerem, quoniã domũ exire poſſent ęgroti, & publicè ſpatiari, quod aliis tẽporibus fieri nõ poteſt, neq; opus eſt calidariũ parare, quia totus aër ſpõte calidus eſt, & totus noſter orbis calidariũ eſt, imò & quandoq; æſtuariũ.

Idq; animaduertito decoctum in eodem fieri cubiculo, in quo ægrotãs degit, ac moratur, præſertim primum decoctum, & debet ſini frigeſieri in eodem cubiculo, vt vapores per aërem ſpargantur, qui ab ebullient decocto eleuantur, & cubiculi aërem impleant. nam aër ipſe hoc modo fit ægrotanti opportunus. ollæ verò operculum in qua decoctum cõficitur, in ſummitate præparatũ eſſe debet, dum feruet, vt fumi paulatim per aërem ſpargi poſsint.

Hinc, qui decoctum ſumpturus eſt, quando expurgatur paulatim, minus ac minus comedere debet, vt victui tenui (quando incœperit) ſit ferè aſſuetus.

Dum decoctum iſtud paratur, expumandum

dum eſt, & ſpuma illa ſeruanda. nam vbi adſunt puſtulæ, ſiue dolores, ſiue duricies, hac ſpuma locus inungẽdus eſt, quæ in hoc caſu mirificè prodeſt, & ſi ſpuma colligi nõ poſsit, vt plerunque in hac ebullitione contingit decoctum ipſum ſpumæ officio fungetur.

Nota inſuper primis duobus diebus, quando decoctũ bibi incipitur, non eſſe penitus à carnibus abſtinẽdum, ſed pullorum carnes comedendę, ſemper paulatim diminuendo, vt tertio die ſolo pane & rebus pręſcriptis pro obſonio veſcatur ægrotans.

Et ſi quatuor panis vnciæ mane ſumi dictum ſit, & tres veſperi, hoc pro certa regula ac determinata accipiendũ non eſt, quoniam nõnullis minùs præberi cõuenit, aliis plus. At hoc de quatuor ac tribus vnciis pro exemplo tantum poſitum eſt, in quo tamen exemplo multi conueniunt. pro panis verò quãtitate exhibenda ætas cõſideranda eſt, vis, cõſuetudo, ac eiuſdem generis reliqua. an verò panis biſcoctus eſſe debeat, an ſemel tantùm coctus haud magnifacio: tamẽ exiccat magis biſcoctus panis, quàm nõ biſcoctus, & ſua ſiccitate decoctũ hoc magis retineri in ſtomacho creditur, quàm ſi eſſet panis nõ biſcoctus: quia natura ſicci eſt detinere humidum, ne defluat. veruntamen

ſi panis

ſi panis ſemel coctus ederetur, faciliùs ligni decoctum ad iecur tranſiret, & in ſtomacho nõ coqueretur. At eniti debemus, vt hoc decoctum perfectè cõcoquatur, priuſquàm ad iecur tranſeat, ſed nos præbemus, & panem non biſcoctum: nec veremur, quòd in ventriculo nõ retineatur decoctum, quia naturæ opus eſt non emittere à ventriculo quicquam, niſi poſteaquam eſt coctum, vt etiã in potatoribus planũ eſt, modò ſupra vires naturæ non potauerint, natura id, quod in eorum ventriculo eſt, non tranſmittit, licet fluidum ſit, priuſquàm coctum fuerit. Adde biſcoctũ panẽ ſemel cocto pane difficiliùs concoqui, ego ſino ægrotantes id panis genus ſibi ipſis eligere, quod magis placuerit.

Nonnulli ſunt Medici, qui iubent, vt ad nonum vſque diem, panem abſq; obſoniis edat. A` nono autem vſque ad decimumoctauum diem volunt præbenda eſſe obſonia ſuperiùs enumerata, verũ medicus frequenter ægroti vires luſtrare debet, & cibum iuxta illas augere ac minuere.

Hoc eſt animaduerſione dignum neminem vnquàm in hac ligni ſumptione obiiſſe, quod indicium eſt decoctum ipſum nutrire. nam niſi nutriret, impoſsibile eſſet nonnullos in tanta victus tenuitate perdurare poſſe, & qui decoctum bibit, videtur

ferè

ferè ex decocto ſumpto fieri ſatur, ac impleri, temporéque indiget, vt coquatur, & pinguedo, quam habet nutrire poſſe oſtendit.

Illi etiam audiendi non ſunt, qui dicunt ægrotos ex victu tenui in ſanitatem reſtitui. non autem ob ligni vim. at hoc abſurdum eſſe conſtat, quoniã plures ægroti per multos dies in tenuiſsimo victu perſtiterunt, tamen in ſanitatem reſtituti nõ ſunt, in quam ex hoc decocto reſtituũtur. miráq; videtur huius ligni natura, ex his, quas habet qualitatibus. nam pingue eſt, odoratũ, denſum, ponderoſum, oleagineum, multáque alia habet dona, vt lenitatem, & ad Solem relucere, quæ omnia vim aliquam eſſe in hoc ligno medicamẽtariam oſtendunt, ac excellentem, ſi ardeat aromatum odorem reddit, & non ingratum.

In huius decocti ſumptione vinũ bibendum non eſt, ſed ſecundum, tertiũ, & quartum decoctum. nam hi melius euadunt, qui hæc decocta bibunt, quàm qui ceruicoſi vinum bibere volunt: tamẽ ſi ſint aliqui delicatuli, qui huiuſmodi decocta bibere nequeant, cogantur ſaltem per nouem aut decem dies illa bibere, vel per quot fieri poteſt, poſteà vinum bibere.

Nonnulli decocta iſta vino miſcẽt. nam vinum ipſis diluũt, ſed hoc valde moleſtum

ægrotis videtur, & fortè perniciosum, nec minus hi errant, quàm Staphyllus ille primus vini iugulator fecerit, neque illos probo, qui syrupos & medicamenta hoc decocto perfundunt, intelligo iam facta medicamenta, Secus est de medicamentosis simplicibus, quæ in hoc decoctũ infunduntur.

Post prãdiũ dormiẽdũ nõ est, nisi illa hora qua secũda vice decoctũ insumitur, tũc si dormire posit, optimũ est. nam sudor fortè prodibit, qui in hac actione optimus est.

Totum diem in delitiis trãsigat, ac gratis confabulationibus, musicis instrumentis, & reliquis similibus, quibus tempus sine perceptione consumitur.

Nonnullos insuper in initio sanitati restitui, qui primis tribus diebus panis vnciã insumebant, & semiunciam passularũ, post tertium diem Solis passulis ægrotum nutriui. at rari hanc vltimam inediam ferre possunt, propterea vt superius dictum est cibare opus est.

Sex diebus ab initio elapsis, ab re non est, imò maximè cõuenit huius ligni pulueris scrupulũ singulis syrupis esse iniiciẽdũ.

Post statutum tempus, cùm ægrotus amplius nõ bibit, primis diebus cibi sunt paulatim augendi, vt hoc modo procedendo in propriam consuetudinem deducatur.

Præ

Præterea, à calidario in tepidariũ transeundum est, & à tepidario in locum minùs calidum, quousq; in aërem deueniat omnibus hominibus communem ac consuetum. nam locus calidus eligẽdus est, qui ad meatus aperiendos decoctũ adiuuet, & eosdem meatus apertos seruet. hoc autem frigore minimè efficitur, notandúmque hunc locum debere esse magis & minùs calidum, ratione temperierum ægrotantium, & vt morbi sunt magis antiqui, vel recentes.

Hic est simplex modus sumendi decoctum ligni Indici ex aqua.

Si cui verò placeret nõnihil medicamentosi aquæ miscere, id illi concedatur: semilibra huius ligni in aquã infundatur, posteà aqua bulliat (cùm lignum in infusione fuerit per vigintiquatuor horas) & dimidium ebulliẽdo resoluatur, deniq; hæc quæ sequuntur, in hoc decocto infundantur.

℞. Senæ ℥ iiij.
Polypodij ℥ j. ß.
Florum boraginis Florum buglossi
Florum rosarum Florum violarum
Singulorum ℥ j.
Gingiberis Cinnamomi
Singulorum ʒ j.

Misce, & infundantur in prædictum decoctum secũdum artem, posteà eodem modo

ſumantur quatuor aut ſex vnciæ, vt dictum eſt bis in die, eodémq; edatur modo. Nota, quòd primis ſex diebus hoc infuſum ſumi poteſt, & ægrotus erit à purgatione excuſatus, poſteà per ſex alios dies ſimplicis ligni decoctū ſumat, abſq; rebus prædictis infuſis, poſt hos ſex dies per tres dies infuſionē ſupradictā ſumat, & deinde per ſex dies decoctum, & ſecundū hunc ordinē, quouſq; in ſanitatē peruentū ſit, perſeuerato, nonnunquàm per tres dies infuſum accipitur, & per tres decoctum, quouſque ad ſtatutū tempus perueniatur, nonnulli contenti ſunt diutius in hoc potu perſeuerare, & ſolùm vna vice in die infuſionem prædictam bibere.

Mihi etiā illi ſummè diſplicēt, qui ligni cortice potiùs vti volunt, quàm ipſo ligno, quia & ſi cortex magis ſiccus ſit, quia etiam magis terreus eſt, tamē odore caret, pingui tudinem nō habet, neq; aliquā qualitatem ex his, quę oſtendunt ſimplicia aliqua vires habere, quæ medicamentariæ ſunt. neque etiā illos probo, qui corticē cum ligno miſcent. nam cortex lignum potiùs impedit, quàm adiuuare poſsit, quia eſt res arida, nō pinguis, abſque odore, terrea, à natura facta, vt ſolùm arborem ſuam ab imminentibus extrinſecis periculis tueatur. In genere igitur illos non probo, qui huius ligni cortice

cortice vtũtur, licet ſiccior ſit, quàm arbor.
Si verò petas per quot dierũ ſpatiũ ſumi debeat eiuſmodi decoctũ: dicimus præfixũ tẽpus minimè adeſſe, ſed tãtũ tẽporis ſumi debere, & nõnihil etiã plus, quoad ægrotãtes ſanitati reſtituti ſint. Vnde ſi quiſpiam decimooctauo die ſanus euaſerit, per viginti dies vel vigintiduos decoctũ bibat. Si verò ſanitatẽ trigeſimo tantùm die enãciſcatur, per duos aut tres dies adhuc inſumat, deinde quieſcat. At ſi quadrageſimum diẽ excedat, & nondũ ſit ſanitati reſtitutus, ad quinquageſimum pertingat, vel ad ſexageſimũ: tamen cõmunis terminus eſt quadraginta dies, & rariſsimi inueniuntur, qui in quadraginta dierum ſpatio nõ ſint ſanitati reſtituti, idcirco hunc diem pro ſanitatis termino accepere, imò & multa medicamẽta apud antiquos per quadraginta dies exercebantur, & in hoc ſpatio opus ſuum perficiebãt, hoc planiſsimum eſt apud Pli. lib. 2. c. 9. qui braſsicæ ſuccũ præbet in vino albo per dies quadraginta ſpleneticis, & li. 26. c. 8. inquit: Ciſſanthemus drachma bis die ſumpta in vini albi cyathis duobus per dies quadraginta lienem dicitur paulatim emittere per vrinam, & decimo eiuſdem libri capite inquit, ventrem in totum adimit Nymphæa Heraclia eadem ſemel po-

ta in 40.dies,& lib.27.cap.5.de Aſplenio loquens ait, huius foliorũ iure in aceto decocto per dies 40. poto lienem abſumi aiunt, & octauo eiuſdem libri capite inquit:Sunt qui florem cratægoni bibẽtes mulieres intra quadrageſimũ diem concipere tradunt, & lib. 28. cap. 12.ait talum candidi iuuenci quadraginta diebus noctibúſq; donec reſoluatur in liquorẽ decoctum, & illitũ linteolo,candorem , cutíſq; erugationẽ præſtare, & 15. eiuſdem libri capite inquit , Calculos expellũt lichenes equini ex vino aut mulſo poti diebus quadraginta,& cap.16.de aſinis agens inquit, Sunt , qui è mare nigróq; cor edendũ cum pane ſub dio prima,aut ſecunda Luna præcipiãt, alij carnem, aliqui ſanguinem aceto dilutũ per quadraginta dies bibendũ ob morbũ comitialem , & 19.cap. Scriptũ eſt , iecur aſini admiſta modico panace inſtillatum in os à comitialibus morbis,& aliis,infantes tuetur,hoc quadraginta diebus fieri præcipiũt , & Dioſcorides de altera ciclamino,quæ ciſſanthemos dicitur ait, acini huius drachma ſumpta in vini albi cyathis duobus per quadraginta dies lienem paulatim emittũt per vrinã & aluũ, & cappare dicit,ſemẽ ipſum duabusdrachmis in vino hauſtis per quadraginta dies lienẽ obliterat , & de ſylueſtri ruta ſcripſit pro-
pter

pter coxendicum morbos diebus quatuordenis bibenda præbetur, & de Aſpleno ait, huius foliorum iure in aceto decoctæ per quadraginta dies poto, lienẽ abſumi cõtingit, & de hyperico inquit ſemine diebus continuis quadraginta poto coxendidum dolores diſſoluit, & de periſtereo ſupino ait, morbũ regiũ folio drachma, cũ thuris polline obolis tribus ex vini veteris hemina quadraginta diebus continuis ieiunis dato, de chamæciſſo inſuper ſcripſit, cuius bibãt Iſchiadici folia tribus obolis in aqua cyathis tribus quadragenis, aut quinquagenis diebus. Cùm igitur tot reperiãtur apud antiquos medicamenta, quæ quadraginta dierũ ſpatio opus ſuũ perficiũt, nõ mirum, ſi & noſtro tempore recentiores medici in hoc ligni Indici decocto quadrageſimũ diẽ perfectionis ſuæ actionis inuenêre, qui eſt terminus acutorũ morborũ, & initiũ diuturnorũ. At re vera prefixus dierũ numerus eſſe non debet, ſed dies tũc erunt ſatis, cùm ægrotus in ſanitatem reſtitutus erit. nam haud raró quadrageſimus dies nõ eſt ſatis, ſed diutius perſeuerare opus eſt.

Cùm etiam hoc decoctum prebetur per aliquos dies ex ſena, obſeruãdum eſt, quod vltimæ potiones ex illis ſint, quæ ſenam recipiunt atq; euacuant. At nonnulli ſunt,

qui à principio in finem potiones euacuantes semper insumunt.

Cùm è Roma Ferrariam rediissem. 1535. his qui gallico affectu laborabant, huius ligni decoctum in vino præbere cœpi, & in primis solo vino potẽti vtebar, posteà expertus sum magis proficere, si nõnihil aquę adderetur, pręsertim, cùm hi sumũt qui natura sunt calidiores. in vino autem simplex decoctum fieri potest, quod nullũ recipiat simplex medicamentum, & fieri potest ex simplicibus, si ex solo fiat indico ligni decoctũ, huius ligni in scobẽ redacti libra insumatur, & in decẽ libras vini albi potẽtis, & in duas aquæ per vigintiquatuor horas infundatur, posteà põderãdũ, an liquor qui in ligni scobe imbutus non est, sex sit libræ. si hoc liquoris pondus reperiatur cũ scobe simul ebulliat, semper spumando, quoad tres libræ euadant, spumáq; reseruetur, ad corporis partes delinendas, si liquor ad sex libras non accesserit, tantundẽ vini adiicito, quod sex libræ efficiãtur. (nã scobs illa multum imbibit) posteà bulliant ad dimidias. At si vinũ plus sit, quàm sex libræ id, quod superexcedit auferatur, & sex illæ, quæ supersunt libræ ad dimidias bulliẽdo resoluãtur, & tres hæ vini libræ, quę supersunt percolentur, ac reseruẽtur pro syrupis mane &

vesp

vesperi ad quatuor, vel sex vncias insumendis, secundúmq; fiat & tertiũ & quartũ decoctum, vt de aqua dictum est, & vsque ad quintum, si is, qui sumit vehementer biberet. eodem verò modo accipiatur hoc in vino decoctum, & eisdem horis, vt superiùs de decocto in aqua dictum est.

Scito autem alternis diebus, nisi ex creuerit, clysma imponendum esse superius enarratum, singuláq; hebdomada lene præbendum est medicamentum, quale cassia, manna, vel hoc quod sequitur,

℞. Inf. senæ ℥ iiij.
Syrupi de epithymo
Syrupi de pomis sabor
Singulorum ℥ j.
Misce. Vel hoc sit,

℞. Diacatholiconis ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Id prætereà notandum est, in vini sumptione, consuetum esse plenius nutrire, quàm in aquæ sumptione, cùm tamen aqua minùs nutriat, quàm vinum, idcirco nos dicimus & in vini decocto ita simpliciter sumpto victus rationem debere esse tenuiorem, & fortè tenuiorem, quàm cùm præbetur aquæ decoctum, secus est, cùm vehementia simplicia vino commiscentur.

Nonnulli prohibent hoc vini decoctum simpliciter in febre. at nos dicimus, si febris esset intensa, à vino prorsus abstinendum esse. si verò remissa sit præberi posse. nam vinum hoc & si potens sit, ebulliendo tamen imbecillius efficitur, quia tenues & calidæ vini partes exeunt, & duæ aquæ libræ commistæ vinum mitigant, neque potens esse sinunt.

Quando vini decoctum simpliciter confectum sumitur, corpus prius expurgare necesse est, posteà vinum præscripto modo præbere, quod necessarium non est, cùm aliis simplicibus inungitur.

Si quispiam in cœna & prandio, decocta illa secunda & tertia ferre non possit, vinum bibat mediocre, album, lympidum, ac odoratũ, quòd etiam decocta aqua diluat.

Decocto sumpto tegi se iubeat, vt dictũ est de decocto in aqua & sudare tentet.

Si verò ligni decoctum cum aliis simplicibus præbere voluerimus, & quod euacuet, hoc duobus modis fieri potest. Vno modo per medicamenta ac simplicia vehementia, alio modo per imbecilla, si per vehementia fiat, hic egregiè comedere debet, capones, phasianos, perdices, vitulos, hœdos, modò coquere possit, & secunda bibat tertia & quarta decocta, vel si hæc ferre nequeat

queat, vinum bibat potens, quod optimè nutriat, & modicè dilutum ſit, oua abſorbeat. Si verò ſimplicia ſint non vehementia, ſed imbecilla, tam vehementer edendum non eſt, ſed mediocriter.

Hæc quæ ſequuntur ſint vehementia ſimplicia, quæ in vinum ebulliri debent.

℞. Senæ ℥ iiij.
Polypodij ℥ ij.
Roſ. rub. Florum violarum
Florum boraginis Florum bugloſsi
Singulorum ℥ ß.
Gingiberis Cinnamomi
Singulorum ʒ j.
Turbith Hermodactylorum
Singulorum ℥ j.

Miſce, & infundantur, vt dictum eſt de infuſione in aquæ decocto facta, hæc verò ſunt imbecilla ſimplicia, quæ in hac infuſione ponuntur.

℞. Senæ ℥ iij.
Polypodij ℥ j.
Epithymi Thymi
Singulorum ℥ ß.
Florum violarum Florum roſarum
Florum boraginis Florum bugloſsi
Singulorum ʒ ij.
Gingiberis Cinnamomi
Singulorum ℈ j.

Aniſorum Fœniculorum
Maſtiches Gummi arabici
Singulorum ʒ j.

Miſce,& eodem modo infundantur, vt de aqua dictum eſt. Nonnullos vidi circumforaneos,qui hæc quæ ſequuntur ſumebant ſimplicia,quæ vehementiſsima ſunt,

℞. Hellebori nigri
Turbith Hermodactylorum
Scamonij Colocynthidis
Singulorum ℥ j.

Deinceps hæc omnia in vinum infundebãt, alij ebullire faciebant, itaque abſque vlla præparatione hoc decoctum præbebant,tamen & hic eſt facilis huius vini modus, ſi ex his quæ ſequuntur fiat.

℞. Senæ ℥ ij.
Polypodij Epithymi
Singulorum ℥ j.
Mirabolanorum Indorum
Mirabolanorum luteorum
Mirabolanorum chebulorum
Singulorum ʒ iiij.
Agarici Rhabarbari electi
Singulorum ʒ vj.
Florum boraginis Florum bugloſsi
Florum roſarum Florum violarum
Singulorum ʒ iij.
Gingiberis Cinnamomi

Garyophyllorum
Singulorum ʒ j.
Paſſularum ℥ j.

Miſce,& eodem modo infundantur. hæcq́; de Indici ligni decocto, & in vino, & in aqua,& ſimpliciter, & cum aliis ſimplicibus miſtis.

Quiſpiam verò ambigere poſſet, quódnam potiùs ſit decoctũ,an illud,quod ex vino fit,an quod ex aqua,reſpondemus vtrũq; ad diuerſa conuenire, in morbis nouis, calidíſq; naturis aqua potior videtur,quàm vinum, in antiquis verò morbis, & in quibus magna ac profunda indigemus penetratione,vinum potiùs quàm aqua eligendum eſt.Nam vinum eſt vti vehiculum, quod medicamẽta ad illa ducit loca,ad quæ profectura ſunt, & antiquiores etiam in medicamentis præſtandis vino vſi ſunt,& multa vinorum genera medicata à Dioſcoride ſcripta ſunt.Nã vinũ vires roborat, ſimúlque eſt medicina ac nutrimentum, & naturalem calorem, ac ſpiritus auget, & per omnes artus facilè recipitur.In frigidis igitur & humidis, in longis morbis,in imbecillibus ventriculo, & vi concoctrice, vino potiùs vtamur, quàm aqua, in calidioribus natura, in incipiente morbo, in robuſtis, aqua potiùs vtamur,quàm vino.

Fortè

Fortè etiam petes de vini sumendi ad decoctionem natura, dicimus, vinũ (apud nos) debere esse antiquum, flauum, potens, odoratũ, subdulce, tenuium partiũ, & quod facillimè penetret, dixi verò de vino apud nos antiquo: quia Ferrariensia vina diutius nõ seruarẽtur, antiquũ nos vinum dicimus, quod secundum expleuit annum, cauẽdum à vocatis albanis, quæ potiùs frigidæ sunt, quàm calidæ, acerbæ sunt, & adstringentis naturæ, optima habentur ad hoc negotium vina Mutinę & Regij Lepidi, & apud sancti Felicis castrum hoc vinum ad huius ligni decoctum sumendum est.

Dices verò, si in vini sumptione alicuius ægrotantis iecur supercalesceret, quid agẽdum esset? respõdemus hoc minimè contingere, quãdo aqua additur, imò si etiã absq; aqua sumeretur non contingeret, quoniam tantum frigidis præbetur absq; aqua decoctum, & ebullitio reddit vinum imbecillius & minùs calidũ: tamẽ si cõtingeret, iecur Galeni infrigidãte inũgatur, & in decocto, endiuia ebulliat, portulaca, atq; lactuca, quãquam hoc minimè cõtingere soleat.

At dices, nónne sunt ratione mẽbrorum patientium hærbe ac simplicia addenda decocto? Scito vniuersam actionẽ in ligni vi reperiri, qua vnumquodque membrũ in affect

affectũ lapsum corrigi debet, idcirco cùm simpliciter insumitur decoctũ, vel ex aqua fit, vel vino nihil addendũ, sed ligni Indici solius actio expectanda. Ita enim & indi obseruãt, neq; aliquod vel minimũ addũt: cùm tamẽ frequentissimè ac ferè spõte hũc morbũ incidãt, huius nimirũ ligni natura est omnibus affectis membris accommodata, & ex vino per totum corpus defertur, & etiam si ex aqua confectũ fit, ex sui natura totum permeat corpus, & in illas agit potissimùm partes, quæ sua indigẽt actione: si in aquæ decocto calido indigeamus, vinũ aquæ addatur, potiùs quàm aliquod aliud simplex, tamẽ si cupiã placeret saluiã adiicere, mentham, libanotim, hyssopum, ac similia non prohibeamus, sed nobis magis placent hæc decocta simplicia, quàm composita, quando non sunt euacuatiua.

Multi conati sunt ex aliis lignis decocta conficere, vt experirentur nunquid ex illis finem assequerẽtur, sed res minimè successit, ego primùm pinguem accepi, & in vino atq; in aqua decoctum prebui, nõ profecere in ægrotis, quamuis visi sint pro parte leuati, & meliusculè habere, sed in exquisitam sanitatem minimè redacti sunt.

Nonnunquam vsus sum iunipero, neque exquisitè profecit, sicuti nec pinus: tamen

meliuſ

meliuſculè habuêre.

Expertus ſum & præbere ex ligno cornu decocta, neq; etiã exquiſitè profecere ægrotantes, licet omnes qui accepere, meliùs habere viderentur, in idem tamen redibãt, & iterum vexari cœperunt. Alij inſuper medici alij ſunt vſi lignis, nullus tamẽ lignum inuenire potuit, quod (nõ dico æquè) propè huic morbo obſiſteret, vt Indicum lignum facit, licet in aliorum vinorum decoctis victus ratio fuerit tenuiſsima. hócq; argumentum eſt non eſſe victus tenuitatẽ, quæ in ſanitatem redigat, ſed eſſe vim medicamenti, hoc eſt Guaiaci, quod eſt pingue, ponderoſum, odoratũ, tenuium partium, & talium, quæ huic gallico veneno ſuapte natura obſiſtunt, tamen & tenuis victus ratio ad opus perficiendum nõ modicè adiuuat.

Fertur lignum hoc Indicum Guaiacum ab accolis nuncupatum fructum quendam ferre, inter prunum, & ficum, nam prunũ non eſt, neq; ficus: vtriq; tamẽ aſsimilatur. inſularũ nuper repertarũ incolæ hoc fructu veſcũtur, & in ſanitatem reſtituũtur, à morbo tali, qualis eſt gallicus affectus, nam in illis locis gallica vocata lues eſt morbus ferè patrius, quamuis & per contagium etiã recipiatur, faciũt inſuper ex ligno decocta, fertur autem & præter contagium hunc affectum

fectum apud ipsos oriri, sicuti apud nos oriuntur morbi absq; cõtagio, sed ex intrinsecis humoribus, Lusitani qui illuc nauigarunt, genus morbi videntes affectioni gallicæ simile, & quomodo in sanitatem restitueretur, lignũ hoc in Hispaniã attulerunt, deinde per totã Italiã sparsum est, & ab hoc affectu optimè liberare nemo non nouit.

Ex fructus esu incolæ sanitati restituuntur, illos verò solùm absq; pane edunt, quo plenè nutriuntur. Vnde fructus octo in prãdio præbent, & octo in cœna, posteà nihil aliud edere sinũt, & ita in triginta vel quadraginta dierum spatio, à doloribus, à pustulis, à crustis, & à duris tumoribus liberãtur, vtinã hos fructus in Italia haberemus, qui sapidì esse dicuntur. Nam ægrotantes haud magno labore à tam sæua ægritudine vindicaremus.

Crustæ verò, quæ habentur, & vlcera, vel vlcuscula, vel pustulæ, & præduri tumores, cocturæ primæ spuma delinantur, siue in vino sit, siue in aqua decoctum, si eiuscemodi spuma non profecerit, ex ligno oleum fieri iubeo, quod per alambicum educitur, vel per nostrum vsitatum modum, si etiam oleum istud non profecerit (quod tamen proficit) hoc linimẽto supra crustas vti soleo, vel supra pustulas, vel supra vlcuscula,

& etiam ſupra duros tumores.

℞. Butyri recentis ℥ ij.
Pinguedinis anſeris
Pinguedinis gallinæ
Singulorum ℥ j.
Gummi Arabici Colophoniæ
Myrrhæ Bdelij
Singulorum ʒ j.
Argenti viui ℥ ß.

Probè miſce, vt hydrargyriũ non appareat, posteà affectæ partes inungantur: & hoc, quod ſequitur, pro duriciebus potiſsimùm eſt, & modis, qui in hoc morbo cõtingũt, id quod ſuperiùs dictum eſt, præparato, adde
Mucilaginis althææ
Mucilaginis fœnogræci
Mucilaginis ſeminum lini
Singulorum ʒ iij.

Ex his, quę dicta ſunt, ſperandum eſt ægrotum in vnaquaq; huius affectus gallici ſpecie eſſe in ſanitatem reſtituendum.

Præſcripto modo, vt plurimùm vlcera ſanãtur, cruſtæ, dolores, & tumores prædurι, tamen nonnunquam adeò ſunt ſanitati rebellia, ac cõtumacia, vt præſcriptis etiam paratis aboleri non poſsint, propterea de vnoquoq; horum, quando ita rebellia ſunt, & inueterata nunc agere oportet, ab vlceribus verò & cruſtis exordiamur.

Cùm

Cùm vlcera,& crustæ curationi aduersantur,& illa, quæ superiùs facta sunt, nihil profecere, tunc ad vehementiora recedendum est: cùm verò hæ pustulæ sint ratione humorum diuersæ, nam atrabilares subnigricant, flauescunt biliosæ, sanguineæ in ruborem vergunt. Sunt verò albicãtes,& pallentes pituitosæ, si pustulæ fuerint sanguineæ, faciliùs curantur,& si biliosæ etiam facilè recipiunt curationem, difficiliùs curantur pituitosæ,& difficillimè omniũ atrabilares, à sanguineis,& à biliosis inchoemus, si exiccandæ sunt hac aqua probè lauentur.

℞. Balaustiarum
Ros. rub. Sumachiorum
Mastiches Thuris
Tartari Sandarachæ mineralis
Singulorum ʒ ij.
Aluminis liquidi Cerussæ
Singulorum ʒ j.ß.
Argenti sublima ℈ j.
Aquæ plantaginis ℥ iiij.
Aquæ ros. ℥ ij.
Succi limonum ℥ iij.

Misce,& bulliant semper baculo circunducendo,& is, qui circunducit caueat, ne fumus ipsius nares pertingat, cùm ebullierit ad cõsumptionem sextæ partis, ab igne remoueatur, & per linteum excoletur, ac

ſeruetur, hoc enim vlcera (ſi profunda non ſint) & cruſtæ madefaciẽdæ ſunt: quoniam mirè exiccãtur. Si verò eſſent vlcera, & cruſtæ pituitoſæ hac aqua abluendæ ſunt.

℞. Tartari Thuris
Sandarachæ mineralis
Galangæ Gingiberis
Singulorum ʒ ij.
Aluminis rochæ Ceruſſæ
Singulorum ʒ j.ß.
Argenti ſublimati ℈ j.
Aquæ Saluiæ ℥ vj.

Miſce, & bulliãt eodem modo, & idẽ ſit huius decocti in his cruſtis ac vlceribus vſus. At ſi atrabilares ſint cruſtæ, & vlcera atrabilaria non profunda, tunc hac alia ablutione vti oportebit.

℞. Maſtiches
Thuris Gummi Arabici
Myrrhæ Bdelij
Sandarachæ mineralis Tartari
Singulorum ʒ ij.
Aluminis liquidi Ceruſſæ
Singulorum ʒ j.ß.
Argenti ſublimati ℈ j.
Aquæ fumi terræ ℥ iiij.
Aceti ℥ ij.

Miſce, & eodem modo ebulliant, & percolentur, vt dictum eſt.

Si ex

Si ex his in ſanitatem reſtituãtur, bene illis erit, ſin minus, ſaponem facito, & cõmuni ſapone, & ſublimato in hac proportione.

℞. Saponis optimi ℥ ij.

Argenti ſublimati ℈ j.

Miſce, priùs ſapone liquefacto, poſteà loca omnia puſtulis plena, cruſtis, ac vlceribus non profundis, ſapone iſto abluãtur. aliqui idem efficiunt ex oui albumine probè agitato, & augeto ſublimato.

Tamen quia cruſtæ cùm abolentur, ſolent in facie maculas derelinquere, quæ ægrotis maximè diſplicent, vt neceſſarium ſit & medicum eiuſcemodi maculas delere, id fit ex oleo de vitellis ouorum, cum aluminis confecto, vt de eo locuti ſumus in noſtro de oleis libello, nonnulli vtuntur oleo tartari, quod poteſt alambico educi, tamen videtur efficacius, ſi fiat in loco ſub terra excauato, ſumatur tartari quantum lubuerit, & comburatur, ac in puluerem redigatur, poſteà in linteum ponatur, vt ſub terra ſuſpendatur, vitreo vaſe ſuppoſito, in hoc vas oleum deſtillabit, & ſi locus eſſet etiam humidiſsimus, quanquã non eſſet ſub terra reconditus, exiret oleum, hoc oleo vel de ouis cum aluminibus facies mane, & veſperi vbi maculæ ſunt inungatur.

Cùm nonnunquam vlcera in his affecti-

bus ſint profunda, tunc his nō ſunt curāda, ſed curatio adhibenda eſt ratione vlcerum, ſemper verò in vnguentis argētum viuum addendum, vel argētum ſublimatum, nam hæc videntur aptiſsima ad hanc gallicam luem medicamenta, vnguenta verò ſint, vt vlceribus cōueniant ratione humorum, qui in homine ac in vlcere ſuperabundant.

Præduros verò tumores, qui in affectu gallico ſunt, hoc cerato remouere oportet.

℞. Mucilaginis althææ
Seminum lini Seminum fœnugræci
Singulorum ʒ ij.
Myrrhæ Bdelij
Singulorum ʒ j.
Pinguedinis anſeris
Medullæ ceruinæ Axungiæ ſuillæ
Singulorum ℥ ß.
Argenti viui ʒ vj. Ceræ
Reſinæ pini Olei liliorum alborum
Quantum ſufficit.

Miſce, & conficiatur ceratum, quod extenſum ſupra corium duris in hoc affectu tumoribus adhibeatur, ſi etiam tibi placuerit, priùs duritiē aliquo decocto fouiſſe ab re nō erit, idcirco fomentū iſtud præbetur.

℞. Maluæ
Violarum Althææ
Florum chamæmeli

Folior

Foliorum braſsicarum
Singulorum Man.j.
Oeſipi cerati ℥ ß.
Myrrhæ Bdelij
Gummi Arabici
Singulorum ʒ ij.
Pinguedinis anſeris Butyri recentis
Singulorum ℥ j.

Miſce,& bulliant in aqua, in qua lana lota eſt, vel in aqua, in qua pelles ſunt aptatæ,& fiat fomentum ſupra locum, poſteà ſupraponatur ceratum,& hæc quæ prędicta ſunt, fieri debẽt, etiam dum homo decoctum in vino vel in aqua ſumit, quando ex ipſorum ſpuma non abolentur, quandoq; in cruſtis, vlceribus paruis, & tumoribus, iubeo, vt ſimplex hoc adhibeatur linimentum.

℞. Vnguenti Aragon ℥ iiij.
Argenti viui ℥ j.
Miſce.

Et ex hoc cruſtæ, vlcuſcula, & tumores remouentur ab ægrotante, ſed in particularibus tantùm locis adhibentur, vbi illa fuerint, quæ prædicta ſunt.

Maxima ſolent fieri in ore vlcera, quæ palatum perforãt,& ad naresvſq; pertingũt, hęc pertractãda ſunt, vt ſuperiùs à nobis de his vlceribus dictũ eſt, q̃ & guttur etiã,& fauces exulcerare ſolẽt,& erodere, niſi prouideat̃.

Nonnunquā in hoc affectu, quādo veterascit, oſſa corrūpuntur, & denigreſcunt, & corroduntur, & hoc tā in capite, quā in cruribus, & in aliis corporis partibus, & potiſſimùm putreſcūt partes illæ oſsiū, quæ ſub duris tumoribus cōtinentur, tunc quādo os putrefactum eſt, cōſiderandum, an ſit detectum carne, vel ſub carne, & cute, ſi detectū ſit planiſsimè apparet, ad oculum putredo, tunc opus eſt conſiderare, an ſit oſsis ſuperficialis pars, quæ putrida ſit, an etiam profonda, & ſi quidem ſuperficialis ſit pars, pulueres ſequentes ſupra os ſpargendi ſunt.

℞. Ariſtolochiæ rotundæ
Sarcocollæ Aloës
Singulorum ʒ j.
Aluminis liquidi ʒ ij.
Argenti ſublimati ℈ j.
Miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimis. Quādoq; hoc vſus ſum.

℞. Aluminis liquidi ʒ ij.
Ceruſſæ ʒ j.
Euphorbij Argenti ſublimati
Singulorum ℈ j.
Miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus.

His potiſsimùm pulueribus vtaris, quando os nō eſt totū putrefactum, ſi verò totū putrefactum eſſet, neceſſariū eſſet totū auferre, in aliquibus tota fibula ablata eſt. Plerunq;

runque partes ofsis putrefactæ hoc modo remouentur.

℞. Præcipitati ℥ ij.
Calchanti vſti Sulphuris viui
Singulorum ℥ iij.
Miſce,& fiat puluis ſubtiliſsimus.

At inter generoſa,quæ poſſunt adhiberi in hoc caſu præſidia,vnũ eſt ignis actualis, ex candenti ferro,hoc præſidiũ egregiè in ſanitatẽ reſtituit,quandoq; iuſsi adhiberi quadrageſima, & quinquageſima ignis ictus, ſupra aliqua oſſa, quæ nõ poterant auferri per alia medicamenta,& ſtatim igne adhibito tabula illa oſsis ablata eſt, quæ putrida erat & denigrata.

Ignis eſt pręſidiũ,quod maximè roborat, pręſertim in tabulis oſsis capitis remouendis,vidẽtur nõnunquã in capite oſſa veluti carie corroſa & perforata,quæ omnia ignẽ corrigũtur,emẽdantur,& ſanitati reſtituũtur. Et vt res ſuo ordine ſuccedant,cùm oſſa putrida apparent, medicamentis primò emendari curentur. Quòd ſi medicamentis id fieri non poſsit,ferro abradantur, ſi ferrum nihil iuuerit ignem adhibeto,ſi etiam ignis nihil proficeret, inſanabilia eſſe iuxta aphoriſmum inferrendum eſt.

Si verò oſſa ſint carne,& cute tecta negotiari difficilius eſt,cùm vides tumores cum

doloribus nũc abire,nũc redire,& iam esse inueteratos, suspicãdum est de ossis corruptione,in capite potissimũ, & in cruribus, & brachiis, vexare solent,cùm medicus de osse suspicatur,etiã si id certè nesciat,tumori illi causticũ capitelli vocati apponi iubere debet,& tumorẽ durũ aperiri,quousq; ad os perueniatur,& oculis an putridum sit an nõ putridũ intueri,si putridũ sit,vt dictum est prosequi,si minimè putridũ melius est, neq; ab re fuit tumorẽ durũ aperire,quoniã tunc facilius est illum sanitati restituere.

Imò hoc notato præduros tumores,quãdo non possunt dissolui esse causticis aperiendos, nam deinceps faciliùs corrigũtur, in nõnullis huius generis inueteratis tumoribus iussi omnes causticis aperiri,quòd citius ægrotantes in sanitatem redigerẽtur. Nam plerunque omnibus etiam prædictis ad vnguem obseruatis emolliri minimè possunt, tam rebellis est dissolutioni hæc materia,at per caustica scyrrhi hi aperti curationem faciliùs recipiunt, hæcq; de præduris tumoribus sint satis.

Dolores verò & noui,& inueterati,inunctionibus,ceratis,suffumigiis, ligni Indici decoctis,tam in vino,quã in aqua resoluuntur,& abiguntur.at si per potiones illos remouere tẽtemus, interim dũ bibũtur eiuscesmo

cesmodi decocta pro abolendis doloribus, vel mitigandis, modò absint scyrrhi, & crustæ, membra quæ dolent hoc linimento inungantur.

℞. Saluiæ
Menthæ Roris marini Stœchadis
Iuæ Perforatæ Maioranæ
Singulorum M. j.

Misce, & bulliant in vino albo potenti posteà

℞. Huius vini ℔ j.
Olei costini
Olei liliorum alborum Olei rutacei
Singulorum ℥ iiij.

Misce, & bulliant ad vini consumptionem posteà adde Galangæ
Thuris Masticheſ
Singulorum ʒ iiij.
Terebinthinæ ℥ ij.
Styracis calamitæ ℥ j.

Misce, & cum modico ceræ fiat linimẽtum mollissimũ, è quo dolorosa membra inungantur, nam roborantur, & dolores mitiores redduntur, interim potest ægrotus ferre decocta, & expectare, quòd à morbo penitus liberent, quod effectura sperandum est.

Dum hæc in publicis haberem scholis, excellentissimus vir Alexander Fontana Mutinensis, medicus, nulli nostra ætate in

medica

medica facultate secũdus lectiones nostras frequẽtauit, & quindecim de ligno Indico quæsita interrogauit, obsecrans, vt illa in eius gratiã dissoluere tentarẽ, quod me facturum spopõdi, imò cùm multa alia essem de hoc ligno dicturus, illa in his enodandis interrogationibus referam. inter has verò à celeberrimo viro propositas quęstiones, sex sunt vniuersales. nouẽ verò circa ligni naturam, quas omnes in tã celeberrimi viri gratiam singulatim referam ac dissoluam.

EXCELLENTISSIMI Alexandri Fontanæ.

QVAESITVM I.

QVis primus modum exhibendi hoc decoctum, conficiendíque, & in hoc morbo vires eius explicuerit.

BRASSAVOLVS.

Duo in hac quęstione cõtineri video. Vnũ de huius ligni decocti inuẽtore, alterum de huius ligni decocti virib. aduersus hũc morbum, primę parti ita satisfaciẽdũ putamus.

Cùm gallicus affectus, vel similis quidã sit ferè peculiaris incolis, qui Indicas nuper repertas insulas inhabitãt, Lusitani viri ingenio perspicaces, qui frequẽter illuc appellunt, homines Indicos videntes tali affectu præditos, talibúsq; symptomatibus, quali-

bus in Hiſpania ac Luſitania illi afficiũtur, qui lue gallica laborãt, quomodo Indi illi curarentur, ac facilè in ſanitatẽ reſtituerentur animaduerterũt, & curandi modum in Luſitaniã ac Hiſpanias attulerũt, & vnà ſecum lignũ hoc Indicum cõportarunt, tamẽ primus omniũ Conſaluus quidam fuit Hiſpanus morbo gallico ſæuiſsimè affectus, qui rei fama cõmotus. (nam omnibus ferè aliis expertis præſidiis ſanitati reſtitui non potuerat) vnà cũ aliis ad inſulas nuper repertas nauigauit, ſéq; curari fecit, ac ſanitati reſtitui, poſteà in Luſitaniã rediens, medici officio functus eſt, & eodẽ modo gallico morbo affectos curare cœpit, quo & ipſe ab Indo quodam medico curatus fuerat, ligni ſcobem ſimpliciter decoquendo, vt primis etiã annis fieri cõſueuerat, nunc 1551. vigintiſex anni aguntur, quòd in Italiã deuectum eſt eiuſcemodi lignũ. At paulatim res proceſsit, quod in omnibus aliis cõtingit rebus, & ars ſemper iam inuẽtis addit, vt his modis impræſentiarum paretur, quo ſuperius dictũ eſt. Conſaluus ſemel tantùm in die decocta præbebat, nũc bis prębentur magno ægrotãtium cõmodo, multíq; ſunt anni, ex quo bis præbetur, vt author quidã Hiſpanus teſtatur, qui de hoc ſcripſit, antequàm lignum eſſet in Italiã conuectum, &

Vtennus

Vtennus nobilis Germanus, à lue gallica (si quis vnquàm alter fuerit) pessimè tractatus, bis in die decoctũ istud præbendũ scripsit, fortè hic gallicus affectus fuit in Italiã ab Indis partibus asportatũ, sicuti & lychene Romæ quandoque fuit allata, in diuersis deinde Italiæ vrbibus, & totius Europæ, diuersi fuêre primi, qui hoc decoctũ præbuere, ego primus Ferrariæ hoc decoctum prębui Illustri Aeneæ Pio, in dulci aqua 1526. cum omnibus aliis medicis, nouum ac inusitatum videretur (vt verè erat) medicamentum, multiq; idipsum deridebãt, quousq; videre Illustrem virũ sanitati restitutũ esse. Ego etiã primus Ferrariæ 1535. decoctum in vino adhibui, in aliis Italiæ vrbibus, alij fuêre primi, nunc res adeò facilis reddita est, vt nemo sumẽdi laborẽ subterfugere videatur: cùm prius omnibus minùs molestum videretur, ad Indias nauigare, quàm decoctũ istud ebibere. est verò lignũ hoc ebeni species. At ad nos prius nõ afferebatur, quia nigrũ nõ est. Ebeni verò vsus in Italia est tantùm ad capsas & tabulas variegandas, & opere vermiculato pingendas, sunt nanq; multę ebeni species. nam aliqua est rubra, aliqua alba, aliqua lutea, & diuersis coloribus affecta. nulla verò ebani species supernatat, sed vnaquæq; ad ima flumi

nis

nis deſcendit, neq; illud eſt cõueniens argumentum, nõ eſſe ebanũ, quia nigrũ non eſt. nam multæ ebani ſpecies reperiuntur, quæ nigræ nõ ſunt, minus illud arguit, quòd ſit ebanũ, quia nõ ita maceratur in aqua indicum lignũ, ſicut ebanũ, quoniã ſunt diuerſę ſpecies, idcirco neceſſe eſt, vt diuerſis etiam proprietatibus ſit inſignitũ. nam longè durius eſt Indicũ lignũ, nec tam facilè recipit ignẽ admotum, vt ebanũ nigrũ, & ob denſitudinem quam hoc habet lignũ, non adeò redolet, vt ebanũ nigrũ, tamen & ipſum redolet. Verùm hęc diſputare, ſunt huius affectus curationi inutilia, vel ſit ebani ſpecies, vel minimè ſit, cùm tamẽ eſſe nõ dubitem. de huius verò ligni perfectione, ſi loqui voluerimus, dicamus poſſe perfectionẽ ſumi, & ex loco, in quo ortum habet, & ex ipſius dotibus, ex loco inquam, quoniã vt in aliis ſimplicibus, aliqua ſunt in vno loco perfectiora, quàm in aliis, vt maſtiche in Chio Inſula, mel hybleũ, æs Cypriũ, ita cùm hoc lignũ in diuerſis naſcatur locis, in inſula tamen Sancti Ioannis. (ita enim vocatur vna inſularũ Oceani maris, è qua eiuſcemodi lignũ defertur) egregius oriri Guaiacũ lignũ exiſtimatur, quã in tota oriatur India. multę verò ſunt inſulę in Oceano mari, in quib. naſcitur eiuſcemodi lignum, vt inſula Corterati

terati

terati, insula Sancti Benedicti, Hispaniola, insula Sanctæ Crucis, & multę aliæ sunt insulæ, è quibus defertur, tamen nos ex patria lignũ hoc cognoscere nesciremus: neq; fieri potest, vt cognoscatur ex loco, quoniã onustæ hoc ligno naues afferũtur in Hispaniã, Genuam, Venetias, & neq; vnus est, qui certè sciret, è qua insula esset conuectus, propterea opus est ex aliis iudiciis lignum eligere, quàm ex eo, in quo nascitur solo. eligatur verò ex ipsius dotibus, id quod pinguissimum est, & oleagineũ, densum, ponderosum, quod in medio nigricat, ac relucet, circuncirca sublutei coloris est, vel subalbidi, & quod aromatum odorẽ spirat, & si igni admoueatur, oleum ab eo resudat, his notis cognoscitur optimum Guaiacum, quod nonnulli palum sanctũ, alij Indicum lignum, alij alio modo vocant.

Ad secundam quęsiti partem, dicimus lignum hoc aduersus hunc affectum per nullam manifestam qualitatẽ valere, imò cum ipsius vsus ad multos alios sit morbos, præter gallicũ, potissimùm aduersus cõtagiosos morbos conuenire videtur. nam & ipso per decoctum nonnullos à scabie liberauimus, qui inungi abhorrebãt, sed potius contenti fuêre per xv. dies huius ligni decoctũ bibere, & ita sanitati restituti sunt. Cur verò ad

rò ad omnes valeat affectus, nulla alia potest reddi ex euidentibus causa, quàm quòd in actiuis ac passiuis qualitatibus non multùm excedit, vnde ratione qua tale, & calidis,& frigidis cõuenit affectibus, sed & tali prȩditũ est à cœlo dotibus,vt sanguinẽ corrigat, & prauos omnes humores resoluat, & mẽbra omnia roboret, ac in pristinũ vigorem deducat. de actiuis verò & passiuis qualitatibus dicimus esse calidũ ac siccum in secundo ordine remisso, esse calidum in secundo id ostẽdit,quia planè ac sensu persentitur esse calidum,nec caliditas est acris, vt tertiũ attingat ordinẽ,tamen humiditate quadã pingui nõ destituitur,qua corpora nutrit, imò si ipsius decoctũ nõ nutriret, vt iura faciũt, & oleagineorũ iura, nõ possent ægroti tantã inediam ferre. Decipiũtur verò,qui putãt eius caliditatẽ accedere ad tertium ordinẽ, quod absurdum est: quia necessarium esset,vt caliditatem induceret,ex vsu vehementẽ. At quantũcunque sumatur, nunquàm supra modum corpora calefacit, quod indiciũ est,tertium caliditatis ordinẽ minimè attingere, sed in secundo tantùm esse, & qualitatum remissionem quandam habere, vt morbis frigidis, calidis, humidis,atq; siccis,aduersetur, neq; hoc mirũ sit, cùm à Galeno edoceamur, multa esse sim-

plicia, quæ ex diuersis partibus contraria agũt, insuper indicum lignũ nõ tantùm humana corpora nutrit, & in substantiã ipsorum cõuertitur, verùm & nutriendo omnes corrigit, qui sunt in corpore prauos affectus, nonnulli cõparant in nutriendo huius ligni vires ad ius pulli perfectè cocti, quibus nõ solùm cõsentimus, sed fatemur etiã magis robustũ esse hoc nutrimẽtũ, quod ex ligni decocto habetur, quàm quòd ex pulli iure, hęcq; de huius ligni viribus, & quomodo huic morbo aduersari iure dici posit.

QVAESITVM II.

QVibus ętatibus magis cõferat, & si tutò pueris, senibúsque exhiberi posit.

BRASSAVOLVS.

Cùm Indici ligni natura, ac vires sint tã mites, tam benignæ, támq; ad iustã tẽperiẽ accedentes, omni ætati conueniet, vtrique sexui, & omni tẽperiei, Nobili Cęsari Orobono sex annorũ puero huius decoctũ præbui, & à sæua lue gallica, quam ex nutrice conceperat, egregiè absolutus est, nihílque dispẽdij penitus vnquàm persensit, & viginti iam anni à curatione illa absoluti sunt, fertur apud Indos infantes à manis vtero prodeũtes, plerũq; discrimẽ hoc gallicę luis secũ afferre, & per totũ corpus pustulas spargi. matres verò huius ligni radicis decocto illos

illos sanitati restituere. in his verò ętatibus illud obseruandũ cēseo, puerulis ac iuuenibus aquã potiùs, quàm vinũ esse adhibēdã. cõsistētibus verò ac senioribus, vinũ potiùs, quàm aqua præbeatur, tamē tanta est huius ligni benignitas, vt vini vel aquæ decoctũ vnicuiq; cùm indiget, in quacũq; sit ætate, præberi possit. Nam si puer sit vel iuuenis, qui huius ligni decocto indigeat, cùm ex prędictis aquã potius sumere deberet, tamē si morbus sit diutinus, vt diu sit, quòd ægrotet vinũ potius prębeatur, quã aqua, & è cõtrario cũ senex, vt dictũ est, vinũ potius sumere debeat, tamē si morbo hoc recēter correptus sit, decoctũ in aqua potiùs bibat, quã in vino, & ita de aliis intelligēdũ est. mulierculis etiã præbui, quibus egregiè profecit, vnde vtrũq; decoctũ vnicuiq; potest prębe- ri ætati, & naturæ, vt ipsi exigũt affectus, & à senib. tutissimè ac puerulis insumi potest.

QVAESITVM III.

AN maribus, fœmellisue plus prosit.

BRASSAVOLVS.

Ex his quæ statim superiùs dicta sunt, huic quęsito satisfactũ esse videretur. Nunc verò repetimus vtrasque naturas ex his decoctis in sanitatē restitui, vnde ad naturæ mollitiē videretur potiùs aqua mulieribus esse præbenda. vinum autem viris, aut è

contrario, si exiccationem respiceremus. at experiẽtia ipsa ostendit vtrunq; decoctum vtrisque cõferre naturis. fateor verò me plu ribus viris hæc decocta exhibuisse quàm fœminis, quoniam & plures viri sunt hoc morbo affecti, quàm mulieres, quoniã facilius est mulierẽ vnã multos inficere viros, quàm virũ vnũ mulieres multas, tamẽ vtrũque possibile est. Verùm huius ligni decocta vtrisque naturis prodesse exploratũ est.

QVAESITVM IIII.

QVibus morbis præter gallicum præsentaneum sit hoc lignum.

BRASSAVOLVS.

In genere dicendum est nullũ esse morbi genus, cui nõ conferãt huius ligni decocta, tamẽ nos peculiariter illis in his affectibus vsi sumus, & perfecisse experiẽtia ostendit, ad podagrã valere expertus sum, ad chiragram, ad artritim, ad ventriculi dolorẽ, ad ilij ac coli dolorẽ, ad phthisim, & ad vniuersum malum habitũ, & ad omnes frigidas, ac humidas ęgritudines, ad antiquũ capitis dolorẽ, ad hemicraneã, ad cæphaleã, ad longa intestinorũ tormina, & ad lõgas omnes ægritudines, ad perennẽ tussim, ad pituitæ abundantiã, ad hydropem, & ad omnia in quibus opus est exiccare, ad frigidas ac humidas ventriculi intemperies, & omnium

membrorum, ad destillationes, & ad peripneumoniam, multósq; post sumptum decoctum pinguefecimus, qui aliôqui nõ poterant ex plenissimis dapibus pinguescere, & in summa cùm ad temperiem vergat, ad omnes ferè ægritudines conuenit.

QVAESITVM V.

SI fieret ex hoc ligno poculum, sicut ex tamarisco lienosis, an opem conferret.

BRASSAVOLVS.

Ita gallico affectui cõfert hoc poculum, vt lienosis confert ex tamarisco poculum; quod nunquàm prodesse percepi, vel si profuit, nõ fuit sensu perceptum, imò nonnunquàm iussi, vt Guaiaci frustula in vino, quod bibituri essent submersa seruarẽt. tamen nihil (quod viderim) profecêre. Verùm credendum est aliquid conferre posse, sed tam minimum est, vt vel vix nullo modo percipiatur. ratio verò dictat aliquo modo conferre posse.

QVAESITVM VI.

SI decoctum in thermarum aquis fieret, an magis proficeret, vt in doloribus ac tumoribus scyrrhosis in balnei porretani aqua, in crustis & vlceribus, in aquis lucanis, quæ de villa dicuntur.

BRASSAVOLVS.

In cachexia prębui huius ligni decoctum

in aqua Aponensis fontis,& in triginta dierum spatio ægrotans hæc in sanitatem restituta est. Erat verò religiosa mulier, quæ ad leucophlegmatiã ferè deuenerat, idémq; de porretano balneo iudiciũ faciendum est, si in affectu gallico exiccare sit opus, & si ferro pro crustis & vlceribus sanandis indigeamus, in fontis villæ balnei aqua, vel caldarij fontis decoctum fieri poterit: tamẽ nihil æquè humanã naturam adiuuat vti vinũ, quod vires roborat, nutrit, penetrat, & alia sibi cõmista penetrare facit, resoluit, & exiccat, verùm neque in thermarum aquis decocta despicienda sunt, præsertim cùm vehementer exiccandum est.

Nouem sequuntur quæsita circa ligni naturam ab eodem excellentissimo Alexandro Fontana nobis proposita.

QVAESITVM PRIMVM.

QVomodo extrahatur oleum eius, & quibus morbis conferat.

BRASSAVOLVS.

Ex hoc ligno oleũ duobus modis exprimi potest,& cùm pingue sit, facilè extruditur. vnus est modus per impositionẽ in duplex vas, vt ex iunipero oleũ educitur, ignẽ supra vas excitando, alter est modus vt chymistæ ex diuersis rebus per vocatas bocias oleum educunt, adest & pulcherrimus modus

dus, quo nos ex igne & glacie ex omnibus rebus oleũ extrudimus, poteſt & quarto feſtuca quædam huius ligni aut parua portio accendi, & iuxta cõuexam tegulam applicari, vel iuxta pateræ concauum, tunc oleũ circa paterã breuiſsimè defluit. hoc indici ligni oleum durities in gallico affectu diſſoluit, cruſtas exiccat, dolores mitigat, ſi affectæ partes inungantur, mirificum eſt in his, qui affectu gallico correpti ſunt in faucibus, & in vtero, omnibus frigidis & humidis affectibus confert, & reliquis omnibus ſuperiùs enumeratis affectibus.

QVAESITVM II.

AN meditullium eius ſit reliquis partibus efficacius, cum ſit ipſius centrum, an è contrario diſtantiores partes propinquioribus ſint maioris virtutis.

BRASSAVOLVS.

De cortice ſuperiùs locuti ſumus, & diximus eſſe quidẽ ſiccißimã huius ligni partem. At cùm odore careat, põdere, ſapore, ac pinguitudine, ineptiorẽ partẽ eſſe iudicauimus, & potiùs eſſe abiiciendã, quàm ad opus medicum exercendam. De ligno autem ipſo locuturi, primò illud notare debemus, inter ligna omnia, & omnes radices, aliqua eſſe quæ præter ſuperiorem corticem, carnẽ habent à meditullio diſtinctã,

vt eſt cichorei radix, quę ſuperiorem habet corticẽ, quo in acetariis veſcimur, & meditullium amariſsimum quod abiicitur, & in nucis ligno cortex adeſt ſuperior niger, & meditullium fiſtuloſum, & inter ſuperiorẽ corticem et meditullium adeſt lignũ veluti caro, & cichoreum etiam ſupra carnẽ, qua veſcimur, hymen habet quod abraditur, antequã edatur. Extant verò aliqua ligna & radices, quæ ſuperiorem quidẽ corticem habẽt, ſed meditullio carent, quod à cęteris partibus natura diſtinctum ſit, vt eſt inter radices rapa, atque rheubarbaricum. nam corticem quidem ſuperiorem habent, ſed meditullium nõ habent à reliqua carne diſtinctum. in lignis verò lignum hoc Indicũ corticẽ quidẽ habet, ſed meditullio caret, à reliquo ligno pręterquã colore diſtincto. & buxus corticem habet, ſed meditullium non habet à reliquo cortice diſtinctum, in his, quæ meditullium habẽt à reliquo corpore diſtinctum, media inter corticem, & meditullium pars, ſemper potior eſt, & in vſu, niſi contingat meditulliũ eſſe denſius, quàm medium inter corticem & meditulliũ corpus, quãdo meditullium denſius eſt, caro media ad cibos magis apta eſt. quo verò ad medicamẽtilias vires minus, vt in cichoreo cõtingit, & in apio hortulano, quod

petr

petroſelinũ vulgò vocatur, & in aliis ſimilibus, ſed quæ meditullio carent, ſemper centrum verſus exquiſitiora ſunt, vnde cùm hoc Indicum lignum diſtincto careat meditullio, vt inter radices & rhabarbarũ, idcirco dicendum eſt verſus cẽtrum eſſe perfectiora, & quòd vires in centro vehementiores exiſtunt, & licet in hoc Indico ligno pars quædam media videatur nigra, à parte alia verſus corticem quæ ſubalbida eſt colore diſtincta, tamen hoc ſolum eſt, quo ad colorem, non autem quo ad ſubſtantiæ continuationem, & ideò diſtinctum non habet meditullium à parte, quæ inter centrum ſit & ipſum corticem, idẽ de rhabarbaro iudicium faciẽdum eſt, quod efficaciorem vim habet verſus centrũ, quàm verſus circunferentiã, licet quãdoq; in pauperibus cortice ſim vſus, & egregiè ſubduxerit. efficacior igitur Indici ligni pars eſt centrũ verſus. in reliquis verò in quibus meditulliũ varium eſt & harundinaceum, vt in nucis baculis, caro quæ inter meditullium & corticẽ continetur, ſemper melior exiſtit, & ad rẽ medicamentariam magis apta.

QVAESITVM III.

SI lignum viride haberetur, an magis prodeſſet quàm id ſiccum, quo communiter vtimur.

BRASSAVOLVS.

Cùm lignum hoc magis recens eſt,tantò odoratius eſt, ac pinguius, idcirco tanto melius lignum eſt,quod recẽtius eſt,quàm quod inueteratum, experientia nimirum oſtendit,quòd tẽporis proceſſu & odorem, & pinguedinem amittit,tamen magis amarũ redditur, cùm magis exiccatur, veruntamen nunquam habere poſſumus recentiſſimum, quoniam & ſi citiſsimè ex India ad nos afferatur,citius afferri decẽ & octo menſium curriculo non poteſt.

QVAESITVM. IIII.

AN lignum ponderoſius eligibilius ſit, cùm Galenus quinto Aphoriſmorum libro Aphoriſmo 26.electionem aquæ ex pondere reprobet.

BRASSAVOLVS.

Rerum naturas diuerſas eſſe conſtat, vt aliqua pondere probentur, alia leuitate, aqua improbatur ponderoſa, quia talis per humanum corpus minus permeare poteſt, quod eſt optimæ aquæ proprium, ſcilicet corporis partes facilè penetrare. Plinius verò præ cæteris oſtendit non probari ſtatera aquas, quoniam fruſtratur diligentia,cùm nulla ſit magis alia ponderoſa,ſed aqua illa apud Hippocratem leuis intelligitur,cæteríſque melior,quæ humanum

num corpus faciliùs permeat, & partes minimè obſtruit. illa verò intelligitur eſſe grauis, quæ corporis partes non permeat, ſed illas potiùs obſtruit. Indicũ verò lignũ, quod elemẽtũ nõ eſt, ſed ex elemẽtis cõpoſitum, in quo adſunt terreæ partes aqueis vehementer miſtæ, denſum eſſe debet, & quantò magis dẽſum eſt, tãtò habet ponderoſiores partes, itaq; dẽſitate probari debet, ac pondere, quę vires ipſius vehementiores eſſe oſtendunt, ſicut & id rhabarbarum efficaciores vires habet, quod ponderoſius eſt: & ita de aliis multis rebus dicere oportet. alia verò raritate probantur, & leuitate, non autem denſitate, ac pondere, ſicuti agaricum.

QVAESITVM V.

Qvid potius in ligno indagandum ſit, an pondus, an gumoſitas, an aromaticitas, an aſpredo illa oliualis immatura.

BRASSAVOLVS.

In compoſitis medicamentis, in quibus multa inſunt ſimplicia, quæ ad vnam formam rediguntur, non dicitur per hanc formã agere, ratione huius, vel illius ſimplicis, ſed omnino ſimul miſtorũ ratione agere, licet membrũ, quod vno indiget, illud ad ſe traheret, & aliud mẽbrũ quod alio indiget, hoc etiam ad ſe traheret, ita in ſimplicibus

dicere oportet ex quatuor elementis cõpositis, ex quibus multæ secundæ resultãt qualitates, secundum omnes illas agunt, & nõ secundum vnã particularẽ, quanquam dici etiã posset ex aromatica illa qualitate cor ipsum roborari, & cerebrũ, & ex cõsequenti neruos, ex gummea illa substantia & pingui præduros tumores & pustulas emolliri, ex pondere substãtiæ densitas ostẽditur, qua notatur vires etiam in ipso magis intensas, itaq; secundum diuersas qualitates secundas diuersa agit. In hoc igitur Indico ligno hæ omnes qualitates secũdum diuersas intentiones cõsiderandæ sunt, & secundum quod ex ipsis tertia quædam vis resultat, multis aduersandi affectibus apta.

QVAESITVM VI.

SI Indicum lignũ cõbureretur, an ipsius cinis alicuius esset roboris gummea natura, & aromatum odore exhaustis.

BRASSAVOLVS.

Vt diuersorum lignorum cineres viribus diuersi sunt, nã roboris cinis efficacior est, ac vehementior salicum cinere: ita huius ligni cinis est roboris cinere ad exiccãdum, ac roborandũ vehemẽtior, & quãuis aromatum odor, & gũmea natura per adustionẽ auferantur, tamen nõ aufert, quod exiccet, & membra roboret, hoc cinere vsus sum ad

cinerē conficiendum ad alopecias,& ægrotantes ſanitati reſtituti ſunt.

QVAESITVM VII.

AN puluis ipſius debeat exquiſitè in pollinē redigi, vt de pipere & colocynthide ambigunt practici.

BRASSAVOLVS.

In tenuiſsimum puluerē redigendus eſt, vt vires omnes integrè in decocto ſpargantur. nam ſi in maiora fruſtula redactū eſſet lignum,cùm duriſsimum ſit,vis ipſius in aquam,vel vinum haud facilè reciperetur,& ideò cōmodiſsimus modus hic fuit,lima in tenuiſsimam ſcobem lignum illud reducēdo,neq; illa ambigua,quæ in pipere & colocynthide dicuntur,in hoc ligno cōtingere poſſunt,quia piper partes quibus inhæret adurit,& colocynthis exulcerat. At huius ligni pollen ſi inteſtinis inhæreat, illa roborat,& vna ventriculi vires auget, idcirco in tenuiſsimum pollinem conteri debet.

QVAESITVM VIII.

SI puluis hic bibatur,an conferat cùm indigeſtibilis ſit, vt aurum & ceraſorum ſemina.

BRASSAVOLVS.

Et ſi puluis hic cōcoctionē nō admittat, tamen cùm ipſius qualitates à naturali calore actuantur, in humanum corpus agunt,

vt rel

vt reliqua agunt medicamenta, quæ concoctionem non admittunt, tamen à naturali calore in actum agendi redacta, vel alterãt vel subducunt, neq; hoc scilicet non posse concoqui à medicamentis aufert, quin agere posſint. at neq; aurum medicamentum est, nec cerasorum semina, quamuis de auro dici posſit, quod secundum vires, quæ illi ab authoribus attribuuntur, agit.

QVAESITVM IX.

AN huius pulueris vis post aliquot menses exoluatur, vt probi medici de aliorum simplicium puluerizatorum fatentur, quòd scilicet tempore fatiscant.

BRASSAVOLVS.

Huius pulueris vim exolui, non quidem post aliquot menses, sed post aliquot dies planiſsimè cõstat, idcirco singula vice quo decoctum paratur, iubeo, vt tanta huius ligni quãtitas lima in scobẽ reducatur, quanta ad coctionẽ illam satis sit. Nam aromatum odor expirat, pinguedo consumitur, quæ omnia in ligni soliditate cõseruantur, & breuius etiã huius ligni vis, quæ in soliditate continetur, quàm aliorũ vis euanescit.

Hæc sunt quindecim quæsita, quæ excellẽtiſsimus vir Alexãder Fontana Mutinẽsis medicus, mihi proposuit enucleanda. at optassem potiùs, vt ipsemet interfuisset, quàm

quàm abſens hæc legere.nõ dubitamus etenim,& hunc doctiſsimum virũ prædictis ſolutionibus aliquid egregij addidiſſe, hęcq; de Indici ligni exhibitione ſint ſatis.

NOn diu eſt,quòd ex India in Italiã radix quædã aduehitur, quã chinam vocãt,quæ noſtratũ cannarũ radicibus ſimilis eſt,imò & cannarũ Indarum radicẽ eſſe nõ dubito,neq; multùm adhibeo ipſi chinæ fidem,quoniã nullas videtur habere qualitates., ex his quæ oſtendunt medicamenta educere, aut vires aliquas habere medicamẽticias.nã neq; odorata eſt,neq; pinguis, neq; põderoſa,neq; dẽſa,neq; amara,neque pellucida,neq; dulcis, ſed penitus inſipida eſt,leuis,rara,abſq; vlla pinguedine,& abſq; vllo odore,idcirco chinæ fidẽ nullã adhibemus : quanquam planum ſit chinã ipſam exiccare,cùm ſit ſiccisſima radix,tamen ne ipſius decoctum,& ſumendi modum prætereamus,ita decoctum conficere oportet.

Recipe radicis vocatæ chinæ ℥ vigintiduas,quas in vigintiquatuor partes diuidito,vt vnaqueq; pars vnoquoq; die ſumi poſſit,túncq; portionẽ ſumendã de die in diem in minimas partes,ad quadrãtis quantitatẽ diuidito,& ad ignem ſuſpẽdatur,vel ſupra tripoda vas ponatur, vt ebulliat in tribus aquæ bocalis(ita enim impræſentiarum

me loqui liceat,& vti vocabulo bocale) vas autẽ in quo ebulliturum eſt, mera ſit olla, vitro delinita, ſex bocalorum capacitatis, ollámq; probè tegito,& lẽto igne coquito. tandiu verò coquito, vt duæ ex tribus partibus ſuperſint, poſteà ab igne remoueto,& tectam ſemper ſeruato. ſingulis diebus hoc modo facienda eſt decoctio, qua eodẽ die vti debes. nam vlterius bona nõ eſt, ſi quiſpiam ſit naturaliter adſtrictæ alui, in decoctione prædicta imponatur ſemiũcia radicis apij, & ſimul bulliat, is qui affectus eſt ſingulis diebus in aurora, paruam phialam accipiat huius decocti, tantum calidi, quantum ferri poſsit, & ſi integrè phialã exhaurire non poterit, maiorem ſaltem partem exhauriat,& id quod facilè inſumere poterit, in lectóque ſit, & probè tegatur, vt ſudor euocetur. nam quantò vehementius ſudabit, tantò melius erit, è lecto interdiu ſurgere poterit. domũ verò minimè exeat, imò à vento caueat, primorum ſaltem octo dierum ſpatio. Si interdiu ſitiret è decoctione bibat,& ſi biberit illam ſemper calidam, quandoque frigidam bibat, tamen melius eſt, illam valde calidam ſumere.

Horum cibus per primorum quindecim dierum ſpatium ſit pullus elixus, nõ autem aſſus, à ſalſis cauere oportet, dum hic ordo

ſerua

videas membrũ hoc, in quo capilli gignuntur, posse habere meatus nimis arctos, nimis latos, & praua qualitate affectos. Recẽtiores medici tres distinctos affectus in capite facere videntur, Thiriam, Alopeciã, & Tireã. ita verò differũt, quia Thiria serpentis formã in capite facit, Alopecia hanc non facit, sed expilationẽ reddunt, qualẽ vulpes quandoq; habere solẽt. Tirea verò absq; pilis vestigium relinquit, & in eodẽ loco pili nunquàm nascũtur, at de his tribus nõ erat faciẽda mentio, quoniã tertium hoc, quod Tireã vocãt, ab his longè distinctũ est, & ab antiquis area vocatur, de qua Galenus seorsum ab his morbis locutus est, idémq; Græci omnes fecêre, simul verò de Thiria, & Alopecia locuti sunt, vnde Area & hæc alia distinctè sunt pertractãda, hæc verò Alopecia, scilicet & Thiria, quia in materia cõueniunt, & sola differunt forma vnâ sunt pertractãda, nam ab vnoquoq; humore prauo, corrodente & acri, vel salso fieri possunt, & ideò Galenus in primo de cõpositione medicamentorũ secũdum locos, dicebat, ambo hæc, scilicet Thiriã, & Alopeciã esse vnũ malum secũdũ morbosam affectionẽ, nomina autẽ iuxta figurã tãtùm diuersa. Et si petas, quomodo serpẽti assimilẽtur, id nõ est credendum, quod nõnulli dicũt, assimilari, sci-

licet ſerpenti in colore, & in figura, at hoc abſurdum eſt, ſed tantum aſsimilantur (vt dicit Aetius lib. 6. cap. 55.) in tortuoſitate, quia tortuoſè capillorum caſus incedit, vt ſerpens facit, qui tortuoſè ſerpit, nonnullos vidi, quibus à capitis vertice in imum, quędam expilationis tortuoſa linea, totũ ferè caput circundans apparebat, & ita incedebat, vt ſerpẽs prorſus videretur, vnde & Galenus pręcitato loco dicit, ſerpenti enim ſimilis læſa capitis pars in ophiaſi apparet, hæc ſimilitudo in tortuoſitate tantũ intelligenda eſt, alopecia verò dicitur, nõ tantùm quia ſit affectus, qui vulpibus frequẽter contingat, quantũ quod deformãtur, vt vulpes illæ deformari vidẽtur, quæ huiuſmodi deſtillationem patiuntur, præſertim cũ cauda ipſis expilatur, & Paulus lib. 3. cap. 1. inquit, ophiaſim, & alopeciã ſolo ſchemate differre, hæc enim (ſcilicet ophiaſis) tortuoſis & obliquis ſpatiis ad inſtar anguis locũ deglabrat, comámq; vario colore tinctam oſtendit, alopecię verò, quòd eo mali plerũq; vulpes corripiãtur, vt Paulus velit ineſſe coloris diuerſitatẽ, in ophiaſi præter tortuoſitatem, at ſi intelligat hunc colorẽ eſſe ratione humorũ, ſecum facimus, verùm & alopecia eandẽ habet in colore diuerſitatẽ. Eſt verò color hic ſecũdum diuerſos humores,
quà

qui alopeciam,& ophiasim faciũt diuersus. Nam vt Galenus notat, quales sunt corrupti humores, talis est color, imò corrupti humores ex cutis capitis colore cognoscuntur. aliquibus enim mutata albidior appare̊t,aliquibus nigrior,aut pallidior,idcirco dicamus cum pili decidunt, & cutis capitis alba appareat, pituita est quæ ophiasim, & alopeciam parit, si pallida sit, vel lutea, bilis est: si subnigra, atrabilis: si rubra, sanguis. Cùm verò possint esse misti humores, propterea & varij erunt in cute colores, hi verò & illi esse deprehendentur ex colorum diuersitate,qui oculis præsentantur.

Quandoque imaginatus sum alopeciam ab ophiasi in hoc differre, quare alopecia semper sit ab vno humore facta, vt à bile, siue à pituita,siue ab atrabile,siue à sanguine, ophiasis verò à diuersis sit facta humoribus, & ideò nõ tantum capilli in ipsa decidunt, sed & cutis ipsa maculatur, vt serpentes diuersis coloribus aspersi sunt, & tantò magis erit ophiasis, quantò plures erunt colores, tunc verò plures erunt, si ex omni humorum genere conficiatur, nam ex omnibus humoribus cutis capitis varia fiet, vt nigra,alba,pallida,lutea,rubra.

Galenus in secundo methodi libro, vbi nominum ægritudinum vnde sumantur

rationẽ ponit ait, nõnũquàm ſumi nomina à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, & exẽplũ præbet de ophiaſis,& alopecia, multa etiã de his affectibus ſcripta ſunt in libello Galeno adſcripto de remediis paratu facilibus, in quo loco ita definitur, alopecia eſt pilorũ denudatio, qua locus affectus apparet colore prorſus exangui, Galenus in xiiij. Methodi medendi libro dicit ophiaſim, & alopeciã ex eo eſſe morborũ genere, in quibus naturale aliquid eſt amiſſum. hęc ſunt ꝓpè libri calcẽ. Paulò poſt ait, At prorſus quidẽ prodito eo qui pilos alit ſucco, caluities oritur, eodẽ vitiato, tum quas ophiaſes Græci vocãt, tum alopecia proueniunt.

A recentioribus verò alopecia definitur, eſſe capillorum caſum cum vlceribus, ſine ſquãmis, & furfuribus, veruntamẽ de capillorum caſu, & abſque furfuribus, & ſquammis ita eſſe conſtat. At hoc ambiguum eſt, nunquid neceſſarium ſit in alopecia vlcera adeſſe, dicimus de ipſius eſſentia non eſſe, quòd capitis cutis vlceribus ſcateat, quoniã & cum vlceribus & abſq; vlceribus inueniri poteſt alopecia, tamẽ turpem habere colorem plerunque conſtat, & talem, qui humorem, qui abundat, ſequitur, idcirco in alopecię definitione vlcera ponere neceſſarium non eſt, imò ſi vlcera adſint, erit potiùs

tiùs area, quàm alopecia: quia in area capilli decidunt, & cutis relinquitur vlcerata, in alopecia verò vlceratam esse non est opus.

Nota, cùm de alopecia verba facimus, & de curatione, semper vnà & de ophiasi intelligimus, quia ab eadem fiunt materia, & sola differunt forma.

Alopecia esse certissimo cognoscitur signo, quãdo capilli decidunt absq; plana, & manifesta causa, & in capillorum radicibus materia adesse videtur, quæ radices corrosit, hæc fortè illa sunt, quæ à recẽtibus vlcera vocãtur: quia si capilli defluere debeant, opus est vt adsit causa, quæ est aliquis acris humor & corrodẽs qui circa capillorũ radices versans illas corrodit & obtrũcat, vnde necesse est vt decidãt, interímq; humores hi acres nõnihil eleuãt epidermidis, vt effectæ videantur exulcerationes, nam huic materiei satis fuit, vt extimam pellem eroderet.

Ad curationem verò deueniemus, si primò edocuerimus diuersas esse ratione humorum huius affectus species: humores verò per cutis colorem cognoscuntur, vt alopeciæ quatuor species esse constet, biliosa, atrabilaris, pituitosa, & sanguinea. de harum vnaquaque sermonem habebimus, & integram curationem moliemur, si à pituita sit, cutis capitis alba apparet, & tali

albedine, quæ in pallorẽ quendam tendere videtur. In hoc casu Gal. in primo de cõpositione medicamentorũ secundũ locos, hieram præbet Diacolocynthidis, quã exacutã vocat, at nobis videtur materiam esse priùs concoquendã, quod hisce efficietur syrupis.

℞. Syrupi de hyssopo Syrupi de cap. ven.
Singulorum ℥ j.
Aquarum hyssopi Aquarum saluiæ
Singulorum ℥ ij.
Misce.

Post syrupos cũ materia vniuersalis, quæ in corpore cõtinetur attenuata fuerit, & apta reddita, vt facilè à medicamento educi possit, medicamẽtũ præbẽdũ est, quod sit vel hiera diacolocynthidis, vel hoc sit, quod sequitur

℞. Pulpæ colocynthidis Turbith
Singulorum ʒ ß.
Agarici ℈ ij.
Cinnamomi Gingiberis Anisorum
Singulorum ℈ ß.

Misce, & infundantur in aquam hyssopi, vel saluiæ secundum artem, posteà exprimantur, & in expresione dissolue.
Myrobalanorum chebulorum ʒ j.
Misce & propinetur.

Si verò quispiam sit, cui catapotia magis arrideant, hæc conficiantur, & conuenienti hora præbeantur.

℞. Pulpæ

℞. Pulpæ colocynthidis Turbith
Singulorum ℈ ß.
Agarici ℈ j.
Myrobalanorum chebulorum ℥ xv.
Aniſorum Fœniculi Cinnamomi
Singulorum ℥ ij.
Miſce,& tot fiant pilulæ quot ægrotāti placuerit. Galenus præcitato loco notat poſt vniuerſalē purgationem caput particulariter eſſe purgandum,& monet apophlegmatiſmatibus vtendum,idcirco ita procedendum erit: Hic,qui erit vniuerſaliter purgatus,pyretrū maſticet, vt pituitam quātum poteſt per os trahat, & oleum amygdalarum amararum in aures imponat, & intra nares taurinū fel ex agarico & aceto admoueat. ſint verò in hac portione ſimplicia.
℞. Fellis taurini ʒ ij.
Agarici ℈ j. Aceti ʒ j.
Miſce,& nares intus inungantur,vel primò amaraci ſuccus exorbeatur, ſiue hyſſopi, ſiue ſaluiæ,& deniq; anagallidis rubros flores habentis,vel duo fiant hoc modo balani,qui naribus imponantur.
℞. Agarici Pyretri
Singulorum ℈ j. Euphorbij ℈ ß.
Miſce,& cum melle vel ex tragacātho fiant duo parui balani in nares imponēdi,conuenit etiā gargariſmatibus vti,quale hoc eſt.

℞. Myrobalanorum chebulorum ℥ j.
Saluiæ Hyſſopi
Rutæ Amaraci
Singulorum M. ß.
Aceti ℥ ij.

Miſce,& fiat decoctio in aqua saluię, poſteà gargarizetur, poſt hæc localibus indigemus medicamẽtis, de quibus deinceps agemus. nota verò eiuſcemodi pituitã eſſe poſſe vniuſcuiuſq; generis vitiatã, & tali vitio, quod putrefacit, & capillorũ radices corrodit, vt mox decidãt, vnde humor hic euacuari debet, & inſuper probis cibis nutriendus eſt, vt probus etiã ſanguis generetur, & non corrũpatur, neq; pituitoſus gignatur, idcirco in hoc caſu oua edãtur, pullorum iura, & pulli ipſi, capi phaſiani, perdices, & calida olera, quæ in pituitã minimè cõuertãtur, ſupra omnes dapes puluis ſequens ſpargatur.

℞. Gingiberis
Cinnamomi Aniſorum
Garyophyllorum Piperis nigri
Singulorum ℈ j.
Zuccari ad duplum ponderis omnium.
Miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus.

Galenus in hoc caſu cõcoquentes potiones præbuiſſe nõ videtur, ſed ſemper euacuãdo proceſsit. nam cuiuſpiam adoleſcentuli, qui bonã habebat habitudinem caſum refert,

& multi erat exercitij. expleuerat autẽ ſeſe quotidie ferè per tres aut quatuor menſes fungis, vt arbitrãdum ſit, quòd ex victus genere alopeciam ex pituita contraxerit. nam ex fungis pituita gignitur. Galenus verò ait, quòd illum purgauit ſola hiera ex colocynthide, bis in quinq; diebus, & in prima purgatione quatuor ex ea drachmis, in ſecũda quinq; exhibitis. verũtamen hunc præparaſſe videtur Galenus, quia priuſquàm his purgationibus manũ imponeret, catapotia ex aloë ei vndecim præbuerat, ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Et ſi quis quæreret quomodo catapotia huiuſmodi ex aloë conficiebat, dicimus hũc fuiſſe eius conficiendi modum.

℞. Colocynthidis partem j.
Aloës Scamonij
Singulorum partes ij.
Succi abſinthij partem j.

Miſce. Hæc ſunt ex aloë catapotia, quibus in hoc caſu vtebatur Galenus. prius verò his catapotiis chiã maſtichen addebat, & bdeliũ, quia & hæc addebat Quintus. poſteà verò iſta reiecit Galenus, ſpopondítq; ſe aliâs edocturum, cur illa impræſentiarũ prætermiſerit. Tres ergo fuêre purgationes, quas in hoc adoleſcentulo Galenus exercuit. At vna videbatur præparatoria, quando ex

aloë catapotia adhibuit, posteà bis in quinq; diebus hierā diacolocynthidis præbuit, cùm Gale. huic adolescētulo iussit vti apophlegmatismis, vt pituitā à capite euacuaret, contingit, vt peregrinari coactus esset. profectus igitur est, & per viginti dierū spatiū absens, posteà reuersus est, tamen cibis vsus est, quos Gale. illi laudauerat, cùm reuersus fuit, liber erat ratione victus conuenieti solùm vsus, & hoc modo multos se curasse dicit. At in ophiasis principio & alopeciæ Galen. inquit repellentia conuenire, & prohibendū esse, ne fiant. at alopeciæ principiū vel ophiasis nō sunt dicēda alopecia, vel ophiasis, sicut nec psorā aut lepram iam appellamus, quę ex lychene oritur. sed de iam factis alopeciis loquēdo Gal. inquit nos vti debere discussoris pharmacis. discussoria verò pharmaca calida sunt, notátq; aliquos ex alopecia sola purgatione & euacuatione curasse, neque adhibuisse apophlegmatismata, aut talia topica præsidia.

Si verò quispiam alopecia ex bile vexaretur, Galenus materiam præparare non videtur, sed hieram prębet ex scamonio, nam dicit, si amara bilis purganda est, adhibendum scamonium.

Nobis verò in hoc casu videtur materiā primò syrupis esse præparādam, posteà per

omnes

omnes vias educendã, præsertim cùm sit iã factus morbus, idcirco syrupo isto vtaris.

℞. Syrupi de endiuia
Syrupi acetosi simpli.
Singulorum ℥ j.
Aquarum endiuiæ ℥ iij.
Acetosæ ℥ j.
Misce.

Post syrupos medicamentum præbendum est, quod vim habeat bilem educendi, quale hoc, quod sequitur.

℞. Hieræ simpl. Galeni ʒ j.
Scamonij Ğ x.

Misce, & in iure propinetur, vel in aqua endiuiæ, aut in catapocia reducatur, poterit & hoc aliud præberi.

℞. Myrobalanorum luteorum
Rhabarbari electi
Singulorum ʒ j.

Misce, & infundantur in sex vncias aquæ capillorum Veneris per decem horas, posteà exprimantur, & in expressione dissolue.

Scamonij Ğ vj.

Pro his qui nõ possunt amara bibere medicaměta, syrupus rosaceus solutiu⁹ aptissim⁹ est, diaprunis solutiuus, diamãma, diacassia & similia, imò cũ rosæ capiti conferãt, ab re non erit in hoc affectu talibus vti medicamentis, euacuatione perfecta illa per nares

attrah

attrahẽda sunt,quæ bilem educere possunt.
Hoc igitur decoctum ita conficiatur,

℞. Ros.rub. M. ß.
Sebesten numero x.
Prunorum ibericorum numero vj.
Aloës lotæ ℈ j.

Misce,& bulliant in aqua cap.ven.& secundum artẽ decoctum fiat,quod per nares attrahatur.nam bilem educet, imò quia aloë ita insumpta vehementem in ore amaritudinem parit, ob hoc potest & absque aloë confici,& nihil amari ad os penetrabit.

Poterunt & ex sequenti linimento nares inungi.nam & per ipsas bilis educetur.

℞. Aloës ʒ ß.
Scamonij ℈ j.
Olei rosati omphacini ℥ j.

Misce,& ex cera fiat linimentum, vt magis inhæreat,& bilem educere valeat,adhibeãtur & huius generis gargarismata.

℞. Sebesten Caricarum
Tamarindorum Passularum
Prunorum Ibericorum
Singulorum ʒ ij.

Misce,et fiat decoctio in sufficiẽti quãtitate aquæ,secundũ artẽ,posteà gargarizetur.

Intra nares rosaceum oleũ imponere cõuenit,& masticare sebesten,& pruna Iberica,ac tamarindos,nõnulli sunt,qui rhabarbarum

barũ masticare possunt, his præbeatur masticãdum, & myrobalani citrini, & si essent cõditi recentes, hos optimos existimarem.

At si ex atra bile sit alopecia, Galenus præcitato loco hierã præbet ex veratro nigro. at ego priùs voluerim materiam syrupis esse præparatam, quales hi sunt.

℞. Syrupi de corticibus citri
Syrupi de epithymo
Singulorum ℥ j.
Aquarum boraginis Acetosæ
Singulorum ℥ ij.

Misce. Posteà præbendum est huius generis medicamentum iuxta Galenum.

℞. Hieræ picræ ʒ j.
Hellebori nigri ℈ j.

Misce, & in catapotia conformentur, vel in potu sumantur, ex infusione senæ in tanta copia, vt hæc dissolui possint, vel pilulæ præbeantur de lapide lazuli, vel de lapide armeno, vel hoc quod sequitur.

℞. Diacatholiconis ℥ j.
Inf. senæ ℥ iiij.
Misce.

Posset & medicamentum istud præberi.

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Hellebori nigri ʒ ß.
Senæ ℥ j.
Polypodij ℥ j. ß.

Misce

Misce,& infundantur in aquam fumi terræ secundũ artem,deinde exprimantur,posteà

℞. Huias infusionis ℥ iiij.
Lapidis lazuli præparati ʒ ß.
Misce.

Fumi terræ succum per nares attrahere conuenit,vel eiusmodi decoctum.

℞. Myrobalanorum Indorum ʒ ij.
Epithymi ʒ j.
Polypodij ʒ ß.

Misce,& bulliãt in sufficiẽti quãtitate aquę fumi terræ secũdũ artẽ,posteà per nares attrahatur,niger helleborus masticandus est, polypodiũ, & similia. optimũ verò esset,si myrobalani Indi conditi haberentur, epithymum insuper masticandum est.

Potest & gargarisma fieri ex illo decocto,quod per nares attrahi debere diximus.

Amararũ amygdalarũ oleũ auribus instilletur.Scito verò posse fieri secundũ recẽtes & alopeciã ex sanguine,de qua Galen.mentionẽ nõ facit,quia alopecia fieri nõ potest, quin humor qui illam facit,putrefactus sit. At cùm sanguis putrescit, sanguis amplius nõ est,verùm quomodocũq; fit, ex putrefacto sanguine fieri potest, siue sit sanguis, siue nõ sit sanguis,prius tamẽ erat sanguis. curatio autẽ hoc modo mollienda est, primò huius generis clysma imponendum.

℞.Mal

℞. Maluæ
Violarum Hordei
Singulorum M. j.
Misce, & fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ, posteà
℞. Huius decocti ℔ j.
Olei violati ℥ iiij.
Salis communis ʒ ij.
Misce, & imponatur.

Imposito ac secreto clysteri, venæ sectio fiat, si multo abundent sanguine, ex cõmuni vena primò fiat, & sex aut octo sanguinis vnciæ educãtur, posteà dies vnus interponatur, & ex cephalica vena sanguis, iterũ ad alias sex aut octo vncias educatur, si modò nõ abundaret sanguine, semel venã secare esset satis. at cephalica ipsa secãda est, & illius partis cephalica, in qua caput est magis affectũ. Vel si vtrunq; sit æquè affectum ex dextera parte, & sex vel octo sanguinis vnciæ sunt educẽdæ, nec minor copia educi debet. intelligito verò, quòd cõditiones omnes adsint, quæ ad sanguinis subductionẽ requiruntur, secta vena syrupi præbendi sunt, qui materiam præparẽt, qualis in hoc casu hic est, qui sequitur.

℞. Syrupi de cap. ven.
Syrupi de endiuia
Singulorum ℥ j.

Aquar

Aquarum cap.ven.
Aquarum endiuiæ
Singulorum ℥ ij.

Miſce, Poſt ſumptos ſyrupos medicamentum hoc præbendum eſt.

℞. Myrobalanorum luteorum
Myrobalanorum chebulorum
Singulorum ʒ j.

Miſce,& infundantur in quatuor vncias infuſionis ſenæ per decem horas, poſteà exprimantur,& in expreſsione diſſolue.

Agarici trochiſcati ʒ j.
Miſce,& conuenienti hora præbeatur.

Vel accipiat aggregatiuas pilulas, vel hoc aliud,quod ſequitur medicamentum.

℞. Diacatholiconis ʒ iiij.
Syrupi roſ.ſol. ℥ ij.
Inf.ſenæ ℥ iij.
Miſce.

Illa maſticãda ſunt,ac in os ſeruãda, quæ ſuperius in illa,quę à bile facta eſt retulimus.

Notandum verò eſt alopeciã nõnũquam fieri ab acribus ichoribus,qui capillorũ radices adeò corrodunt,vt ipſi decidant.Cùm verò ichores poſsint eſſe vniuſcuiuſque humoris ichores,idcirco ſit cuius vis humoris ichor is,qui alopeciam facit, erit curanda, vt de alopecia ab illo humore dictum eſt, imò videbitur difficilior curatu illa, quæ

ex

seruatur, ab acetosis, & acribus.

Si delicatulus sit, qui mane & vesperi gallinas, & gallinaceos pullos semper edere nequeat, perdices edat, phasianos, hœdos, veruecis carnem, & similes, in chynæ insula perdices semper non edunt, sed nonnunquam, quia (vt ferunt) infernam aluum ad excernendum prouocant.

Scito autem in insula chynæ in qua lignum istud oritur, medios pisces non cohibere, neq; vinum si affectus sit imbecillus, in illa etiam insula hęc in vniuersum prohibent, coitum, acetum, res acetosas, res salsas, hircinam carnẽ, caprinam, & gallorum carnes, reliqua hœdi permittũt, tamẽ præcipuus eorum cibus est pullorum caro, & castratorum elixa.

Si is pauper sit & ligni impensas euitare cupiat, idmet lignum, qui bullierit, accipiat, & in frustula adhuc minora, quàm essent, incidat, & secundam faciat decoctionem, hócque ter & quater fieri potest, & adhuc decocta sunt vtilia.

Si ægrotus vlceribus scateat, tenuia accipienda sunt lintea, & in decoctũ immergẽda, & supra vlcera imponẽda, quæ neq; ligãda sunt, ex his madefactis linteis proficiet.

Scito à septem diebus vltra, ad quintumdecimũ videlicet diem, in affectis partibus

 dolor

dolor augebitur, posteà melius habere incipiet, vt vigesimo die in sanitatem restitutus sit, etiã si magnis vexaretur vlceribus.

Si quispiam decoctum istud supra vigesimumquartum diem insumere voluerit, hoc illi sponte concedatur, & quod illi placuerit perseueret. Id autem sit, cùm viderit se sanitati exquisitè restitutum, si aluus adstricta sit, clysteriis alternis saltem diebus vtatur, sint verò clysteres vocati cõmunes, vel fiat hic, qui sequitur clyster.

℞. Maluæ Violarum
Boraginis Buglossi
Singulorum Man. j.
Hordei ℥ j.

Misce, & fiat decoctio secũdum artẽ, posteà

℞. Huius decocti ℔ j.
Olei communis ℥ iiij.
Zuccari rubri ℥ j.
Salis communis ℥ ij.
Misce, & imponantur.

Nota etiam, si vires constent, & ægritudo in inferioribus mẽbris occulta sit, hic ægrotus ad septimum vsq; diem tenuissimo victu vtatur, nihil verò aliud in hoc temporis spatio edat, quàm passulas, amygdalas, & panẽ neque etiam in magna copia, nota insuper huius radicis vsum, nõ solùm esse ad morbũ gallicũ, sed & ad alios affectus. alij verò

verò affectus, qui chynæ decocto sanãtur, sunt hydrops, obstructio, & potissimũ ventriculi obstructio, iecoris, & lienis, venenosis medetur morbis, hæmorrhoidibus succurrit, paralyticis conuenit, capitis dolori cõtinuo, siue sit ob gallicũ affectum, siue ob id, quod dum sit alsciosus, siue ab aliis humoribus, & ab alia causa cõuenit, & iunctu rarũ doloribus potissimùm à causa frigida excitatorũ, quartanæ aduersatur, & vnicuique cõtinuę febri obstructioni iũctæ, modò diutina sit, neruorũ doloribus à frigida causa succurrit, dentiũ doloribus opitulatur, si decoctũ calidũ in ore sumatur, valet etiam ad hydropas, & ad vrinæ difficultatem, lapsum ventriculum rectificat atq; roborat.

MODVS BREVIOR PRAEBENDI DECOCTVM LIgni vel radicis chynæ.

ALij alio vtuntur modo ac breuiori. nã huius radicis vnciam accipiunt, & illam in tenuissimas incîdunt partes, ita vt singula pars non sit maior quadrante, posteà in tribus aquæ boccalis in noua olla in infusione ponunt, & per vigintiquatuor horas dimittunt, posteà igne lento ebullire faciunt, olláque sit probè tecta, ne fumi extrà euaporẽt, quoad fuerit coctum, & dimidia pars resoluta, posteà colantur, &

 in vit

in vitreũ vas, vel in fictile vitro delinitum reponuntur, vásque per septem dies apud ignem seruãt, vt semper tepidum maneat, lignum verò, quod post primam hanc decoctionem relictum est, in vmbra exiccant, & ita singulo die decoctionem fieri iubent: & cùm decoctio vna facta fuerit, statim lignũ aliud in infusionem ponunt, in qua per viginti quatuor horas immorari volũt, posteà vt dictum est decoqui monent.

Ex præscripto decocto semiampulla aduentante aurora accipiatur, quod, vt ferri posit, calidũ sit, & stragulis vt sudet probè tegatur. nam totis viribus excitãdus est sudor, post sudorem linteis calidis perfricetur, & exiccetur, interuláq; mutãda, ac lintea, posteà per aliquod temporis spatium in lecto quiescat, itaque hora noctis prima eandem decocti quãtitatem accipiat, & tegatur, in hócq; permaneat loco vsq; ad sequentẽ diem, cibi sint pulli gallinacei absq; sale elixati, tamẽ nõnihil croci in iure ebulliatur, & coriãdrorum, prãdij hora sit integra ante meridiem hora, ex prædicta aqua quantum lubuerit bibatur, passulæ edendæ sunt, & recens panis, potest etiã ex omnibus cõseruis edi, siue ex melle cõfectæ sint, siue ex zuccaro, & hoc tam in cœna & prandio, quàm aliis temporibus, cœna ex passulis

erit

erit, amygdalis, auellanis, & pane. & de prædicta aqua, quantò plus bibitur, tantò melius esse existimatur, vnde si id totum quod singulo die fit bibatur, melius est.

Interdiu domum exire poterit, & supra omnia flatus, frigus, nocturnum tempus, & præ cæteris coitum euitare oportet.

Per vigintiquatuor dies hic ordo absque intermissione seruandus est.

Si radix hæc tibi deficeret, duas vncias ex illo recipito, quod ex prædictis decoctionibus exiccare fecisti, nã duę vnciæ iam ebulliti pro vna non ebulliti satis erunt.

Si ægrotus iste vlceribus scateret, lintea in decoctum madefactio, & supra vlcera ponito, & cùm exiccantur alia madida indantur, & deinde alia.

Postquam per vigintiquatuor dies hunc ordinem seruauerit ægrotus, per subsequẽtem mensem victus ratione moderata vtatur, ne recidiuet.

Scito verò priùs, quàm decoctum istud recipiatur corpus vniuersum purgandum esse, vt humores, qui in illo superabundant exigunt: hi sunt modi sumendi huius radicis chynæ decoctum.

Ego huic radici non fido, licet nonnunquam illa in meis ægrotis, qui ita voluêre vsus sim, quoniam neq; odorem habet, neq;

ſaporem, neque pinguedinem, neque colorem, neque pondus, neque leuitatem, quæ oſtendere poſsint per aliquas manifeſtas vires actionem ſuam perficere, idcirco illam neglexi, imò ſi illi fiderem, iam ex vino illam exhibere cœpiſſem, & ſenæ commiſcere, polypodio, & aliis rebus, quæ in Guaiaci decoctum nunc reponuntur.

Scito etiam in hoc chynæ decocto, ſi vlcera adſint vel duritiës, quę per decocti impoſitionem, non aboleantur, ſuperioribus linimentis vti debemus.

His omnibus præſcriptis modis gallicus affectus in ſanitatem reſtituitur, per ſuffumigia, per cerata, per inunctiones, per Guaiaci decoctum in vino, vel in aqua & inſuper per decoctum.

Nonnulli potentiali cauterio in hoc affectu vtuntur, & dicunt ex his, quæ hunc affectum in ſanitatem reſtituunt cauterium eſſe præcipuum. nota verò, ſi in gallico affectu duritiës adſint, quæ difficulter, vel nunquam remolliātur, tunc ſupra duritiē hanc cauterium poni poteſt, & ſcyrrhum exulcerare, quoniam hæc via eſt ducendi in ſanitatem, ad quam hæ duritiës nunquā peruenirent, verūtamen exercere cauteria in cruribus & in brachiis, vt nonnulli fecere, ad materiam aduertendam longè peius eſt,

quàm talium generum cauteria non adhibere, nam plerunque vlcera fiunt, quæ ſanitatem nũquam admittunt, & periculo non vacant. Et ſi dicas talia etiam fieri oportere, quando ſupra durum tumorem ponuntur, dicimus quando ſupra durities adhibẽtur, duritiem ipſam dolorem inferre, neque hominem dormire ſinere, at cùm per cauteria aperiuntur, exhalant, & dolores ceſſant, vnde ſi cauteria nihil aliud feciſſent, quàm auferre dolorem hoc non modicum eſſet, ſed vlcera quæ per cauteria fiunt, vbi praua affectio nõ eſt, neq; vlla exulceratio, neque ſcyrrhos, prauã affectionẽ in eum inducunt locum, in quo nõ erat, propterea in aliis locis à duritiebus cauteria faciẽda non ſunt. quanquam nõnulli ſcriptum reliquerint in hoc affectu cauteria maximum eſſe ſecretum, arbitror hos præſidium hoc imaginatos eſſe, quia Plinius de lychene nouo morbo apud antiquos, dicit Romam cõfluxiſſe medicos, qui actualibus cauteriis lychenẽ ſanabant, & pulchrum addit fœdiore cicatrice, quàm morbo. nam cicatrix ab igne inducta erat multò fœdior, quàm ipſa lychene, vt etiam in morbo gallico contingeret, ſi actuali igne curaretur.

Notáq; ad nouos morbos & præſidia, & medicos ab India in Italiam confluxiſſe, vt

etiam ex India nunc ad gallicam luem medicamenta sunt in Italiam translata, fortè quia huius generis morbi sunt illis regionibus proprij,& per cõtagium fuêre per totam Europam sparsi,sed vtinam neque indica medicamenta, neque indicos morbos cognosceremus.

Nonnulli etiam sunt,qui alio modo hũc affectum sanare conantur, quem modum ego expertus sum, & neminem in sanitatem reperij restitutum,neque ex eo restitui posse arbitror. At ne modum hunc desideret,hic est qui sequitur, in primis corpore diligenter expurgato hoc modo stuffa (vt eorum vocabulo vtar) fiat.

℞. Aquæ dulcis quantum videbitur
Maluæ Florum chamæmelini
Bis maluæ Meliloti
Ros.rub. Lapatij
Fumi terræ Senæ
Polypodij Stœcadis
Epithymi
Singulorum Man.j.

Misce,& bulliant secundum artem,vt quæ sint difficilioris coctionis prius, quæ verò facilioris, posterius imponantur, & ægrotus in stuffa sudet, postquam sudauerit aquam quæ sequitur bibat.

℞ Fumi terræ

Lupinorum Lapatij
Althææ Enulæ
Hyſſopi Cap. Ven.
Singulorum ℔ ß.
Vini cretici ℔ iiij.

In hoc vino hæc infundantur ad emolliendum per diem, & noctem, poſteà addatur theriacæ Andromachi ℔ j.ß. & in alambicum ponatur, ac deſtilletur, aqua quę deſcẽdit & colligitur, poſt ſudorẽ ad tres vncias inſumatur, & duabus aquæ boraginis vnciis miſceatur, & ita ſingulis ſex diebus fiat ſtuffa, & aqua iſta bibatur. arbitrantur hi hoc modo peragendo gallicum morbum exire. at nos dicimus neque etiam ſi ſingulis diebus ſumatur, poſſe hoc efficere.

Nonnulli ſunt circulatores, qui profitentur ſe hunc morbum ſanaturos ex ſumptionę tantùm pilularum, & præbent pilulam vnam ex vocato præcipitato, quod ex vino argento conficitur, pilula hæc ſummopere exagitat corpora & vehemẽtiſsimè educit, nulli tamen integrè ſanitati reſtituũtur, licet poſt ſummã illam euacuationẽ leuiores eſſe videãtur. ſed cùm pilula illa vires deiiciat, ac perturbet, propterea deinceps in deterius delabi, ac ruere videntur, & aliis indigent præſidiis, quàm ſit vna ex præcipitato pilula, quempiam vidi, qui hanc pilu-

lam imbecillo ægrotanti prębuit, & statim ante prandium desideratus est.

Hi sunt modi, qui ad hoc vsque tempus in vsum deuenêre, vt hi in sanitatem restituantur, qui morbo gallico affecti sunt, tamen inunctio, ac decocti Guaiaci potio illa sunt, quæ potissimùm ac verè in sanitatem deducunt, nunc verò quædam particularia occurrunt consideranda, quæ in hoc affectu contingere solent.

Nonnulli neque doloribus infestantur, neq; pustulis, neq; duritiebus, neque re aliqua ob quã dici possit, quòd gallico morbo affecti sint, hoc solo remoto, quòd illorum pili decidunt, tamen prius vel bubone in inguinibus correpti fuêre, vel exanthematibus in præputio, & cole, vel in ore, breui verò ex his in sanitatem restituti sunt, aut etiam aliquis horũ affectum perseuerauit, in hoc casu capillorum, & pilorũ defluuio prouidendum est, ac cùm huius curationis propositum à capillorum profluuio incęperit, idcirco in genere de capillorum profluuio, & alopecia, tractare incipiemus.

DE CAPILLORVM, PILLORVMVE DEFLVuio, & Alopecia.

DE pilorum defluuio, & Alopecia in genere loquemur, vt exquisitè sint pertract

tractata, antiqui medici de omnibus defluuij capillorũ causis locuti sunt, præterquàm de vna, quæ est defluuium capillorum à lue gallica. nam sicuti antiquitus gallica lues non extabat, ita neque capillorum defluuium ab hac causa, tamen necessarium erit interesse humores etiam in defluuio capillorum à lue gallica.

Galenus in primo capite primi libri de compositione medicamẽtorum secundum locos, capillorum defectus duplicem causam assignat. Vnam ab humorum inopia, aliam ob corruptos humores, qui capillorum radices, & pilorum vitiant. ex his verò causis tres possunt cõtingere passiones, quæ sunt alopecia, caluities, & ophiasis.

Capillos verò plantis comparat, sicut enim plantæ ob nutrimenti inopiam exiccantur, & pereunt, ita capilli ob nutrimenti inopiam decidunt, & caluitium fit, propterea in senibus fit, quia iam cœperũt non transmittere nutrimentum ad nutriendos capillos, caluitium igitur simpliciter fit ob humorum inopiam, & cùm ex ætate contingat, non resarcitur, propterea de caluitio nihil dicimus, tamen si in iuuentute contingeret, corrigi posset, & antequàm superueniat, retardari posset, caluitium igitur præteribimus.

Plantæ

Plantæ nonnunquam exiccantur non ratione defectus nutrimenti, & humoris, sed quia vitiatus humor ad illas pertingit, vt cùm arbores exiccãtur ad cuius radices feruens aqua pertigerit, ita circa capillos ob vitiatos humores duo contingunt, alopecia videlicet, & ophiasis. Est verò alopecia capillorum defluuiũ, quo homo vulpibus assimilatur, quibus è cauda pili decidere, inde verò nomen sumpsit hic affectus, quia vulpibus frequenter contingit. at ophiasis cutem serpentibus similem facit, tamẽ vtraq; affectio in causa cùm alia conuenit, quæ est vitiatorũ humorum abundãtia. Scito autẽ in alopecia pilos cũ aliquibus cutis maculis decidere, in ophiasi autem pellem etiam excoriari. Sunt verò humores qui capillorũ radices adeò vitiãt, vt capillorũ defluuium contingat, quod est symptoma ab affectu præter naturã, qui in capite est depẽdẽs, cui medendũ est, & nõ capillorũ defluuio. propterea à Galeno in primo capite primi de cõpositione medicamẽtorũ secũdum locos libri dicitur, oportet enim veluti in aliis, sic & his affectioni mederi, cuius accessio siue symptoma est vitiatus capillus, si verò petas, quinã humor hic sit, Auicẽna respondet, à bile fieri posse, à pituita, ab atra bile, & à corrupto sanguine. Galenus verò ita hu

mores

mores nō exprimit, tamē & ipse dicit, quales autē tandem sint corrupti humores, ex cutis capitis colore cognosces, aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior, quare in istis primū totius corporis purgationē adhibebis, aut pharmaco pituitam ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigrā trahit, coniectura redundantis humoris, ex colore cutis facta, vt tres humores à Galeno referuntur, qui possunt esse alopeciæ causa deprehendatur. de sanguine verò nihil dicit, quia si sanguis sit, necessariò corruptus est. verū tamen apud Galenū sanguis cùm corrūpitur, amplius nō est sanguis, sed statim in bilem cōuertitur, & in alios humores, idcirco neq; diceret sanguinē corruptum esse causam, sed humorē illum, in quo cōuersus est sanguis. alopecię igitur, & defluuij capillorum causæ sunt acres humores putrentes, qui siue huius generis, sint siue alterius, cutem inficiunt, in qua capilli infixi sunt, vt herbę in terra, & cute ob hos acres & putridos humores affecta, capillorū radices corroduntur, & decidunt. Idem faciendū est in pilis iudicium, qui in reliquo corpore sunt, hæ sunt alopeciæ causæ, iuxta Galenum.

Veruntamē in capillorū defluuij reddendis causis, Auicenna negligendus minimè

est, à

pede, vel in aure commordentur, non moriuntur, sed pili omnes illis decidũt, posteà sanitati restituũtur, hoc fit, quia illud exiccatur, quod pilorum nutrimentũ esse deberet, & pili ipsi decidunt, hoc in arboribus æstiuo tempore cõtingit, quando non irrigantur, & nutrimento carent, quo folia nutriantur, ac decidant, quia in solis calore nutrimentum illud consumptum est, imò à nonnullis notatur, quod si caput & totum corpus frigido linimento inungeretur, capilli non generarentur, nec pili, quia materia ex qua fiunt intus, ad alia partes repercutitur, quæ non sunt cutis, & in quibus neque capilli, neque pili nascuntur.

Quandoq; non est materiæ defectus, sed potiùs in loco est, in quo pili fiunt, & capilli. Auicenna tres modos assignauit ex loci parte, in quo pili nascũtur, vnus modus est, quia ad hũc locũ capillorũ, materia nõ penetrat, hoc verò cõtingit, quia locus est obstructus, alter modus, quia locus nõ est quidem obstructus, imò potest materia per illum permeare, sed cùm est in loco, ob eius nimiã latitudinẽ nõ retinetur, sed exit. tertius modus est, cùm hęc materia in loco retinetur, sed in eodẽ etiã corrũpitur, & qualitatem requirit, quæ ad pilos generandos inepta est, imò in hoc loco dissoluitur, vt

videas

ex ichoribus, quia Galenus præcitato loco dicit. difficulter enim eluuntur in his cuti impacti serosi humores. sunt verò ita impacti in inueteratis alopeciis.

Nota verò non solùm alopecias inueteratas difficulter curari, sed & illi difficulter curantur, in quibus cutis ipsa ad malum habitum peruenerit, neq; hi possunt solis medicamentis curari.

De præsidiis modò topicis, quæ ad alopeciam competunt iam dicēdum est, Galenus in primo de Compositione medicamentorum secūdum locos cap. 1. notat, debere esse euacuatiua medicamenta, illa quæ huic affectui conueniunt, nihilq; euacuare posse, quin vi discussoria præditum sit. nihil verò discutere potest, quin calidum sit. at duplex est calidum, vnum vehemens, aliud non vehemens, si ex vehemēter sit calefaciētibus, cutem exuret, si ex non vehementer calefacientibus, in principio præclarè iuuabit, sed temporis processu cutis capitis exiccabitur, qualiter in caluis videmus. Vnde opus est medicamentum ad Alopecias esse calidum, nō in extremo, sed cùm mediocritate, & esse tenuium partium, vt penetrare possit, & ad illam peruenire partem, in qua capillorum radices nascuntur, & tale etiā esse debet, quia capitis cutis est durior, vt vehe-

menti indigeat penetratione medicamentum, quod illam penetrare debet. vnde medicamentum quod alopecias ſanat, prauos humores diſcutere debet, & bonum ſanguinem ad locum trahere, vt bene nutriatur.

Inter pręſidia verò à Galeno enumerata, primum eſt thapſia, quæ cùm nimis calida ſit, & exulceret, ac tumores inducat inflammatos. idcirco Galeno nō placet quòd ſola Thapſia accipiatur, ſed ait inungēdum eſſe cerato ex oleo. Ego Thapſia vſus ſum ex oleo roſaceo omphacino, & iuſsi in profluuium capillorum patiente, vt ſupra caput extenderetur, huic breuiſsimè capillorum profluuiū ceſſauit, & qui deciderant, capilli tam breui creuerūt, vt nullus pręuiderit capillorum defluuium eſſe paſſum. Galenus verò pro cerato ex oleo vult ſumēdum eſſe oleum tenuuium partium, quale Sabinum. at nos Sabino caremus, tamen ſanitati reſtituuntur, non dico ex alopecia ſolùm, ſed & ex capillorum defluuio. Thapſiæ inſuper multam aquam admiſcuit Galenus, ne læderet. at nos nihil magis aptum inuenimus oleo roſato omphacino, hoc nimirum prohibet, ne thapſia exulceret, & aliquid habet penetrantis naturæ, quanquā ad hoc peragendum nōnihil aceti quandoq; admiſcuerim, ſcitóque hoc de thapſia præſidium eſſe

apud

apud omnes cõmunissimum. nam Dioscorides de thapsia dicit,quapropter alopecias succo inducto aut radice,cùm recẽs est affricata cohonestat eas pilo,ac densat. Miscui nõnunquã thapsiæ lac,& caput ablui ac deliniui cuipiam,qui vehemẽtem patiebatur alopeciam. vtitur & Galenus cicino oleo cũ thapsia , monétq; oleum moderatæ ætatis esse oportere , vt videlicet sit moderatè vetustum,iussi nonnunquã irato cuipiam homini,ac desperato,qui profluuiũ capillorũ nullo modo ferre volebat,vt thapsiæ radicẽ supra caput perfricari faceret, quod cũ executus esset,tota capitis cutis exulcerata est, & cõquerebatur,quòd caput ardere persentiebat,& veluti ardentem fornacem videri, tũc iussi , vt linteum in oleum rosaceũ omphacinum imponeret,& frigidum supra caput extẽderet,id effectum est , ter & quater successiuè,quia prima & secunda vice incalescebat oleum,& ab eo incõmodo solutus euasit. Sed hoc boni habuit,quòd deinceps nõ decidêre capilli,& breui in locum à quo deciderant,subcrẽuere alij, Dioscorides (vt planum est) nihil thapsiæ miscet. hoc verò in thapsia animaduertendum est , an recens sit , an antiqua . nam Galenus recenti plus aquæ admiscet . antiquæ verò minus , primo anno recens est , secundo vete-

rascit, tertio vim habet extinctam, tamē & tertio anno caue, ne illa abuti volueris.

Vtitur etiā Galenus in hoc casu post thapsiam euphorbio, & laurino siue oleo, siue vnguento, ego quandoq; ita commiscui.

℞. Olei laurini ℥ vj.

Euphorbij ℥ ij.

Misce. Hoc linimento alopecias inungi iussi, & per totam noctem supra caput seruari, posteà mane caput lixiuio lauari, in quo hæc quæ sequuntur, ebullierint.

℞. Laudani Adianti

Seminis nasturtij

Aloës Myrrhæ

Singulorum Man. ß.

Misce. Vesperi iterum prædicto linimēto inungatur, & iterū mane lauetur, hócq; per decem dies obseruet, hæc etenim vim habent ad trahēdum sanguinem ad cutem, Galenus euphorbio vtitur, in oleo, scilicet oliuarū leuigato, & laurino oleo seorsum vtitur, arbitror apud antiquos alopecias fuisse mitiores, quàm nostro tempore: nam Galenus cum vna olei oliuarū libra euphorbij vnciam commiscet. At ego oleum laurinum ad vncias sex, & euphorbium ad vncias duas commiscui, fortè euphorbiū erat antiquum, & multorum annorum, tamen Galeni tempore alopeciæ nō aderāt scabiei

gallicæ

gallicæ coniunctæ, vt nunc adſunt, propterea tantis vtebatur correctionibus in medicamentis.

Naſturtium inſuper & ſinapi ſunt iuxta Galenum ad alopeciam medicamēta, iuſsi nõnunquam capiti ſinapiſmum apponi,& alopecias curauit,quandoq; hoc modo medicamentum confici iuſsi.

℞. Sinapi ℥ j.
Naſturtij ℥ j.ß.
Sulphuris viui ℥ ij.
Nitri ℥ ß.
Olei laurini ℥ viij.
Miſce,& cum cera fiat linimentũ molle.

Veratrum præterea,& adarcæ, & erucæ ſemen ad alopecias à Galeno valere dicũtur, & alcyonium,& pix liquida,& cedria,murium ſtercus,& vrſinus adeps.

Paupercula quædam filiã habebat, quæ alopecia affecta erat, illi inſtitui, vt caput filiæ muſcerda, & vrſino adipe deliniret, poſteà quam in lixiuio ex radicum cannarum cinere facto hæc ebullirent.

℞. Seminis erucæ
Seminis naſturtij
Seminis ſinapis
Singulorum ℥ ß.
Miſce. Poſteà iuſsi,vt caput hoc lixiuio lauaretur,alia multa ſimplicia ad alopeciã

refert Galenus,& post simplicia composita etiam adducit,quæ erant in vsu,apud antiquos.de his verò nihil à nobis agẽdum est, sed quisq; Galenum legãt,cui antiqua composita scire placuerit. nam omnia ad vnum refert. de simplicibus verò ab authoribus positis primò agemus, posteà composita, quibus vsi sumus in medium adducemus.

EX DIOSCORIDE.

CANNAE communis cortex alopecias emendat,vstus & in aceto perlitus.

Iuglandis putamen crematum, tritúmque in oleo atque vino infantium puerorum capite peruncto capillum nutrit,& ad alopecias eo sic vtuntur.

Auellanæ tritæ cum suo cortice comburũtur,exceptæq́ue axungia vel sæpo vrsino alopecias pilo restituunt.

Erinaceus terrestris cute vsta, & imposita cum pice liquida inanitates alopeciarũ frequenti pilo adobruit.

Hippocampinus cinis alopecias replet cum pice liquida mistus, aut sincerus ex posca amaracinóve vnguento.

Cinis ranarum vstarum alopeciis cum pice liquida illinitur.

Caprarũ vngues cremati alopecias ex aceto inuncti conuestiunt.

Adeps vrsinus fertilis pilo ad alopecias emend

mendandas illitus.

Cinis cremati fimi caprarum cum oxymelite, aut aceto, si quis illinat, alopeciæ adoperiet areas pilo.

Cortex raphani cum aceto mulso alopecias explet.

Betæ foliis illitis implentur alopeciæ, sed scalpello prius exasperatæ.

Cepæ & alopeciæ confricantur succo fœcunditatem capilli celerius, ita quàm alcionio consequi solitæ.

Allium alopecias curat, & in iis cũ nardino vnguẽto, & oleo, & sale pustulas erũpẽtes.

Sinapi vtuntur ad alopecias cum rubrica.

Ciclamẽ sincerũ aut cũ melle mistũ. i. ipsius succ⁹ molestias in facie, & alopecias tollit.

Asphodeli radicis crematæ cinis, alopecias ad pilum reducit.

Batrachion alopeciis imponunt, celeriter remouet.

Laserpitium alopecias cum vino, pipere, aceto, illitum curat.

Nymphææ radix alopecias densat cũ pice.

Alopeciis & ambustis illinere conuenit cynoglossi succo & adipe suillo.

De Thapsia ait, quapropter alopecias succo inducto, aut radice, cùm recens est affricata, cohonestat eas pilo ac densat.

Aerugo ferri alopecias pilare cogit.

Sandaracha alopecias cum reſina tereben-
thina tollit.

Alcyonium vſtum & illitum cum vino, alo
pecias conueſtit.

Cotes alopecias inunctum pilis explet.

Hæc ex Dioſcoride collecta ſunt.

EX PLINIO.

CARDVI florem purpureũ emittentis il-
lito ſucco alopecias replet, lib. 20. cap. 33

Roſa ſylueſtris cum adipe vrſino alopecias
mirificè emendat, lib. 21. cap. 19

Chorcoron Alexandrini cibi herba eſt, alo-
peciis vtilis, lib. 21. cap. 32

Caryinũ oleũ alopeciis vtile eſt, lib. 23. ca. 4

Cotonea alopeciis capillum reddunt, libro
23. cap. 6

Folia ficuũ perfricanda alopeciis, li. 23. ca. 7

Roboris pilulæ ex adipe vrſino alopecias
capillo replent, lib. 24. cap. 4

Glandes fagineæ illinuntur cum melle alo-
peciis, lib. 24. cap. 5

Sicca pice vtuntur ad alopecias, lib. 24. ca. 7

Harundo Cypria cortices cinere alopecias
emendat, lib. 24. cap. 11

Ruborum roſa alopecias cũ axungia emen
dat, lib. 24. cap. 13

Linguæ herbę radix combuſta, & trita cum
adipe ſuis, alopecias emendat, vngẽtium
in ſole, lib. 24. cap. 19

Spong

Spongiola quæ in mediis ſpinis cynorrhodi naſcitur, cinere cum melle alopecias capitis explet, lib. 25. cap. 2

Rannuculum alopeciis imponũt, li. 25. ca. 13

Trichomanes ſuccus alopecias denſat, tritum, & in oleo illitum, lib. 27. cap. 13

Crocodili pellis cinis alopecias explet, lib. 28. cap. 9

Alopecias felle taurino cum Aegyptio alumine tepefactis illinunt, lib. 28. cap. 11

Alopecias replet fimi pecudum cinis cum oleo cyprino & melle, lib. 29. cap. 6

Alopecias replent vngulæ muli vel mulæ cinis ex oleo myrteo. ibidem

Alopecias replet muſcarda. ibidem

Alopecias replent muſcarum capita recẽtia priùs folio ficulneo aſperatas. ibidem

Alopecias replet ſanguis muſcarum.

Alij decem diebus cinerem muſcarum illinunt, cum cinere chartæ, vel nucum, ita vt ſit tertia pars è muſcis. ibidem

Alij lacte mulierum cum braſsica cinerem muſcarũ ſubigunt, alij melle tantũ. ibidẽ

Alopecias cinis è muriũ capitibus caudíſq; & totis muribus emendat. ibidem

Idem facit erinacei cinis cum melle, aut corium combuſtum cum pice liquida. ibid.

Alopecia præparari debet nouacula & ſinapi, ibidẽ, & multa alia refert ad alopecias.

Pellium viperinarum cinis alopecias celerrimè explet. ibidem
Gallinarum fimum recens illitum alopecias explet, lib.29. cap.6
Aliqui alopecias cantharide trita illinũt cũ pice liquida nitro præparata cute. ibidẽ
Cerebrum cornicis in cibo ſumptum, palpebras gignere dicitur. ibidem
Sanguine teſtudinum alopeciarum inanitas ſanatur .lib.32. cap.4
Alopecias replet Hippocampinus cinis nitro & adipe ſuillo miſtus, aut ſyncerus ex aceto, lib.32. cap.7
Cyprij verò, qui etiam donax vocatur, cortex alopeciis medetur vſtus, lib.32. ca.10
Hæc ſunt, quæ ex Plinio colliguntur, multa verò prætermiſimus, quia ex Dioſcoride erant enarrata, ne bis idem repeteretur.

Tamen cùm hæc potius confuſa videantur, quàm per methodum pertractata, impræſentiarum compoſita illa adducemus, quibus in hoc caſu vſi ſumus, nihil illorum repetentes, quæ ſuperius dicta ſunt. Si igitur à bile ſit alopecia, caput nouacula abradendum, poſteà linimentũ hoc ſuperaddendũ.

℞. Radicum nenupharis
Roſarũ ſylueſtrium   Foliorum myrti
Corticis cannæ communis
Cineris corticis iuglandis

Cineris

Cineris corticis auellanæ
Glandium faginearum
Singulorum ℥ ß.
Picis naualis Olei myrtini
Singulorum quantum sufficit.

Misce,& fiat linimentum,è quo totum caput inungatur,posteà lixiuium facilè fiat, in quo hæc ebulliant.

℞. Corticum auellanarum
Corticum nucum iuglandium
Rosarum syluestrium
Cyclaminis Myrtillorum
Singulorum Man.j.

Misce,& bulliat in prædicto lixiuio,posteà quando caput à prædicto linimento mundare volueris,hoc decocto vtaris,nam linimentum debet per totam noctem supra caput seruari,posteà mane caput probè abluatur,& vesperi iterum linimentum supraponatur , quoad hic affectus sit in sanitatem restitutus.

Si verò sit corruptus sanguis , qui alopeciam fecerit,tunc abraso capite,liniměntum quòd sequitur supraponatur.

℞. Corticum cancrorum
Catoneorum
Radicum nymphææ
Cotis Cynorrhodæ
Cynoglossæ Myrtillorum

Radi

Radicis aſphodeli
Cardui florem purpureum habentis
Ciclaminis
Singulorum ʒ vj.
Terebinthinæ Olei myrtini
Singulorum quantum ſufficit

Miſce, & fiat linimẽtum molle, quo totum caput noctu tegatur, mane ad linimentum auferendum prædicto decocto vtaris.

Si verò ſit pituita, quæ alopeciam fecerit, linimento iſto ad ſanitatem vſque vtaris.

℞. Thapſiæ Aeruginis
Sandaracæ Laſerpitij Ranunculi
Sinapis Adianti Myrrhæ
Laudani Seminum naſturcij
Corticis raphani
Singulorum ʒ v.
Fellis taurini Succi cynogloſsi
Singulorum ℥ iij.
Adipis taurini quantum ſufficit

Miſce, & fiat linimentum molle, è quo caput totum inungatur, poſteà ſequenti lixiuio bene lauetur.

℞. Corticis cannarum communium.
Seminis naſturtij Adianthi
Corticis raphani Vnguium caprarum
Laſerpitij
Roſarum ſylueſtrium
Singulorum M. j.

Miſce

Misce, & bulliant in lixiuio dulci, & caput lauetur, quãdo linimẽtum auferendum est. At si atra bilis sit, quæ alopeciam induxerit, caput delinendum est hoc, quod sequitur linimento.

℞. Adianthi

Myrrhæ

Seminis nasturtij

Lapidis armeni

Polypodij

Laudani

Aloës

Senæ

Fumi terræ

Radicis asphodeli

Corticum auellanarum vstarum

Corticum iuglandium vstarum

Vnguium caprarum vstarum.

Sinapis

Cineris cancrorum

Laserpitij

Aeruginis

Rosarum syluestrium

Ciclaminis

Corticis raphani

Sandaracæ

Thapsiæ

Myrtillorum.

Singulorum ʒ iij.

Fellis taurini ℥ vj.

Terebinthinæ ℥ viij.

Adipis vrsini ℔ j.

Olei de euphorbio quantum sufficit

Misce, & fiat linimentũ molle eiuscemodi alopecia vehementissimo indiget medicamento, quia & ipsa est vehemẽtissimus affectus, nã difficulter euellitur, si caput lauare volueris, & à prædicta inunctione quãdoq; emund

emundare, decoctũ istud fiat, & quãdo opus est caput abluatur, videlicet quãdo tibi videbitur, auferendum esse medicamentum.

℞. Lixiuij facilis ℔ xv.
Senæ Polypodij
Radicum cannarum
Fumi terræ Seminum nasturtij
Corticis raphani Cynoglossæ
Epithymi Myrtillorum
Singulorum M. j.

Misce, & bulliant simul secundum artem, posteà caput quando opus erit, abluatur.

In hoc casu quandoque totum caput sinapismo deliniui, quo remoto linimentum apposui.

Quandoque totũ caput scilla deliniri iussi, & posteà linimentum adhiberi.

Quandoque ante linimentum euphorbio deliniui, & oleo ex oleastro.

Si verò ex ichoribus fiat alopecia, ichoris genus considerandum est, & secundum genus in quo est, curatio mollienda, vt si sit biliosus ichor, vt alopecia ex bile curanda, si sit pituitosus, vt alopecia ex pituita curanda, & ita de aliis.

Cùm de alopecia satis dictum sit, quæ ratione deprauatorum humorum semper fit, alia est affectio pertractanda, quæ defluuium capillorũ vocatur ab alopecia distin-

cta

cta, de qua Hippocrates in secundo Epidemiorum libro intellexit, cùm dicit capillorum defluuium, & hanc etiam speciem ponit Galenus in primo de compositione medicamentorum secundum locos, capite secundo. Est verò distinctus hic capillorum casus ab alopecia, quia alopecia fit ex vitiatis humoribus: & si capilli abstrahantur, capillorum radices purulentiam semper ostendunt.

At capillorum defluuium ab his non fit vitiatis humoribus, neq; si capilli euellantur in eorum radicibus aliquid purulentiæ apparet.

Adde in alopecia capillos citò defluere, in capillorũ verò defluuio paulatim, & ideo à Galeno notatur diuersam esse alopeciæ curationẽ à capillorum defluuij curatione: quia in alopecia scopus est, vitiatũ humorẽ cõsumere, in defluuio autẽ capillorũ scopus est, capitis habitum roborare, & boni succi allationẽ procurare, cutémq; ad raritatem, ad densitatem moderatam reuocare.

Huius capillorum defluuij duæ causæ à Galeno prædicto loco redduntur. Vna est, cutis raritas, & sub raritate densitatẽ etiam intelligit. Alia est substantiæ pilos generantis inopia, itaque tres erunt defluuij capillorum causæ.

Vna

Vna eſt, cutis raritas
Secunda, cutis denſitas
Tertia materiæ affectus, ex qua capilli oriuntur.

Contingere poteſt, vt ſit tam rara cutis, vt materiæ quæ capillos gignunt, exeant, & ob nimiam pororum latitudinem contineri nõ poſsint. hæc verò latitudo contingere poteſt, vel ob prauam temperiem calidam, vel ob laborem calefacientem, & dilatantem, vel ob balnea calida, in quibus quiſpiam verſatus ſit, vel ob vnguenta calida, cùm ita ſunt dilatati meatus, vapores condenſari non poſſunt, ſed exeunt.

Cõtingit quãdoq; meatus nimis adſtringi, & ob frigiditatẽ obſtrui, & ita vapores exire nõ poſſunt, vnde nec capilli oriuntur.

Capilli nõnunquàm defluunt, quia nulla adeſt in corpore materia, quæ illos nutriat, & hoc plerunque in hecticis cõtingit, & in his, qui longos morbos perpeſsi ſunt, recentiores addunt hoc idem cõtingere ieiunantibus religioſis, quod noſtro hoc tempore vix contingere poteſt, vel nullo modo poteſt, ſi quis religioſorum ieiunia contempletur. Galenus monet, in hoc capillorũ defluuio ab his cauſis facto ſcopum eſſe capitis habitũ roborare, & ad capitis cutim bonos ſuccos mouere, & cutem ad denſitatem,

ac rarit.

ac raritatem moderatam reuocare.
In genere verò dicit ad pharmaca hume ctantia aliquid moderate adstringẽs addendum esse, quale est ladanũ, quod mediocrẽ habet caliditatẽ, mediocrémq;, humiditatem, & mediocrẽ adstringẽdi vim. Vnde ladanum oleo mistũ linimentũ facit, quod ad defluuiũ cõmodissimum est. scito autẽ hoc quòd adstringens esse debet, tũc adhibendũ esse, quando pori fuerint nimis dilatati.

Vehementer adstringentia minimè conueniunt, nam refrigerãt, & capillis alimentum auferũt, imò nimis occludere possunt, oleum verò hispanum ladano miscet, non autem Sabinum, ad caput inungendum, & cæteris oleis lentiscinum vehementius esse dicit, idcirco inter præsidia illud præ cæteris præfert, quod ex lentiscino oleo & ladano cõstitutũ est. Vult verò raso hoc crassum supraponendum medicamentum, non raso verò tenue, tamen sit tonsum. monet verò neminem mentem capillis adhibere debere, priusquàm fuerit sanitati restitutus, sed sinere se tundi ac abradi, vt erit opus.

Nos verò huius affectus curationem per vnãquanque causam diligentiùs cõtemplemur, si capillorũ defluuium ob cutis raritatem contingat, id cognoscitur: quia est rara texturæ homo, & ipsius caput ab omnibus

 qualit

qualitatibus facilè lęditur,& è capite perenniter materia defluit, neque condensatur, tũc re leui caput densandum est. Nam materiæ, quæ facilè in pilos cõuertũtur, ad caput tendunt, sed cùm meatus nimis lati sint exeunt, & in capillos non condensantur. Primò igitur corpus expurgetur & hi insumantur syrupi.

℞. Syrupi myrtini
Syrupi ros. de rosis siccis
Singulorum ℥ j.
Aquarum rosarum
Aquarum plantaginis
Singulorum ℥ ij.
Misce

Post aliquot syrupos syrupi rosacei solutiui vnciæ quatuor præbeantur, deinde caput abradatur, & linimẽtũ istud supraponatur.

℞. Olei myrtini ℥ iiij.
Ladani ℥ ij.
Misce,

Deinceps caput hoc decocto lauari poterit.

℞. Ros. rub.
Balaustiarum Myrtillorum
Copularum glandium
Radicis asphodeli
Singulorum M. j.

Misce, & bulliant insufficienti quantitate aquæ rosaceæ secundum artem, posteà caput

put abluatur,& vesperi iterum prescriptum linimentum supraponatur, & deinde manè lauetur, itáque fiat quoad capillos oriri percipiatur.

Si verò capillorũ defluuium ob nimiam meatuum adstrictionem contingat, meatus aperire opus est, ob hanc verò causam esse cognoscitur, quia à meatibus nihil effluit,& aliqui exeunt tenuissimi capilli, ac breues, qui consistentiam non habent, sed citò defluũt,primò is qui afficitur, purgandum est, hoc syrupo imprimis sumpto.

℞. Syrupi de hyssopo
Syrupi de cap.ven.
Singulorum ℥ j.
Aquarum hyssopi Aquarum saluiæ
Singulorum ℥ ij.
Misce

Post aliquot syrupos medicamentum istud præbeto.

℞. Inf.Senæ ℥ iiij.
Electuarij de dactylis ʒ iiij.
Misce

Posteà totum caput, priùs tamen abrasum, terebinthina tegito, & ita per diem ac noctem permaneat,deinde caput hoc decocto abluatur.

℞. Myrrhæ
Bdelij

Seminis nasturtij
Sinapi Thapsiæ
Singulorum ℥ ij.
Saluiæ Roris marini
Hyssopi Baccaræ
Foliorum lauri
Singulorum M. ß.

Misce, & bulliant in vino albo potenti secundum artem, capútq; lauetur, & ita procedatur quoad meatus dilatati sint, & capilli prodierint.

At si ob substantię pilos generãtis inopiam capilli deciderint, contingit, vel quia hic acuta ægritudine vexatus fuit, quæ illum extenuauit, ac exhausit, vel ob longam ægritudinem, quæ idem effecit. Vnde non adest ferè nutrimentum, quo corpus nutriatur, nedum capilli.

In hoc casu purgatione aliqua non indigemus, sed potiùs refectione, idcirco probis cibis nutriendus est ægrotus, & qui tales sint, vt illum reficiant, posteà caput fricandum est, vt vapores attrahantur, & hac lotione lauandus.

℞. Ladani
Corticis cannæ communis
Corticum auellanarum vstarum
Corticum iuglandium vstarum
Adianti

Cineris

Cineris cancrorum
Singulorum M. ß.

Misce, & bulliant in vino albo potenti, capútque abluatur, posteà sequenti linimento inungatur.

℞. Ladani Sinapi
Laserpitij Thapsiæ
Singulorum ʒ ij.
Terebinthinæ ℥ ij.
Olei veteris quantum sufficit.
Misce, & fiat linimentum molle.

Hi refectione tantùm indigent, & materiæ pilorum ad capitis circunferentiam attractione.

Nunc simplicia addenda sunt, quæ aduersus capillorum defluuia faciunt, & primò ab his, quæ à Dioscoride referuntur, exordiamur.

De ladano dicit vino accepto, myrrha, & oleo myrteo capillũ fluentem continet.

De myrrha verò idem dixerat ad capillum fluentẽ, cũ ladano, vino, & oleo myrteo.

Idem dicit, vinum fit è myrti granis quod fluentibus capillis conuenit.

Succus brassicæ satiuæ capillũ capitis fluentem detinet.

Semẽ nasturtij capillum in capite defluum continet.

Aloë capillum fluentem continet, cũ vino.

Adiantum capillum cum ladano, & oleo myrteo, & liliino, aut cum hyſſopo, & vino defluentem confirmat, ac denſat.

Decoctum ſpicæ nardi pilorum defluuia in genis coercet adſtringendo eos obiter, ſarciendóque.

E limacibus ſaliua quędam lenta, & ſequax colligitur, quæ protinus applicata, intempeſtiuos genarum pilos reglutinat.

Pilo genarum defluenti medetur œſipum.

Chondrillæ ſucci natura inordinatos palpebrarum pilos regendi.

Armenius lapis ad pilos vtique alendos in palpebris natura fertili cognoſcitur.

A Galeno particulariter fit mentio de loto, quòd fluentes capillos cohibeat.

Et de piceæ fuligine ad ſuperciliorũ pilos.

DE PLINIO.

BRASSICA fluentes capillos detinet, cũ alumine rotundo ex aceto. Plinius lib. 22. cap. 9

Iaſion infantium capiti illita nutrit capillum, teneriorem q; eius cutẽ efficit. ibid.

Foliorum myrti arentium farina capillis fluentibus ſuccurrit, lib. 23. cap. 9

Humor è medulla tiliæ caſtratæ capillum reddit capiti, lib. 24. cap. 8

Echites infantibus illita capillum alit, lib. 24. cap. 13

Polynica defluentem capillũ confirmat, & densat, lib. 25. cap. 9
Lingulata idem facit, ibidem
Trichomanes succ⁹, cohibet capillos defluẽtes, aut si effluxerunt reparat, alopeciásq; densat, tritum & in oleo illitũ. lib. 27. c. 13
Caprini cornu farina, vel cinis, magísq; hircini addito nitro, & tamaricis semine, & butyro oleóq; priùs capite raso mirè cõtinet, ita fluentẽ capillum lib. 28. c. 2
Vngularum caprinarũ cinis cum pice fluentem capillum continet, ibidem
Herinacei caput vstum per se etiam cicatricibus, pilos reddit. lib. 29. cap. 6
Cancri marini cinis cum cancrorũ fluuiatilium cinere, pilos restituit. lib. 32. c. 10
Omnia bituminis genera incõmodos oculorum pilos replicant. lib. 35. cap. 15

Extat impræsentiarum aliud pilorũ defluuium antiquis medicis ignotum, nam ex affectu gallico constat, & vulgò pellarola vocatur, si cuipiam placuerit in vnã defluuij pilorum superius nominatã speciem hoc gallicũ defluuiũ deducere, ad alopeciã potiùs deducendũ erit, quàm ad simplex capillorũ profluuium, quoniã ob nimis latos meatus minimè fit, nec ob nimis arctos, nec etiã fit ob alimenti defectũ, idcirco dici non potest capillorum defluuium, vt de

eo ſuperiùs locuti ſumus. At ab humoribus fit capillorũ radices putrefaciẽtibus, ac erodentibus, vt in alopecia cõtingit. Differẽtia tamen eſt, quia alopecia à putreſcẽtibus fit humoribus cõmuni putredine, vt humores putreſcunt, & vim quandã erodẽtem ex putredine acquirunt. ſed in gallico pilorũ defluuio humores neceſſariò aliã putredinem nõ acquirunt, quam morbi gallici affectionem, & diſpoſitionẽ quandam, quæ eſt ſecunda qualitas, ratione cuius pilorũ radices exareſcunt, & capilli decidũt, barba, ſupercilia, & palpebrarũ pili, vt homines deformes ac ridiculi euadant, hícque affectus in minus malum, quàm in iſtud deuenire non potuiſſet, vt, ſcilicet pili tantùm deciderẽt, & capilli, & nihil aliud diſpendij paterentur, poteſt verò & vnà contingere, quòd humores communem illam putredinem contrahant, & tunc erit gallica alopecia.

Nota inſuper defluuium iſtud quandoq; ad bubonẽ ſequi, ſiue ad vlcus in pene, ſiue ad vlcus in ore. at vlcus in pene, in ore, & bubo ſanitati reſtituuntur, & defluuium perſeuerat. Nam praua qualitas derelinquitur, quæ pilorum radices arefacit, nec eos nutrire ſinit, & decidunt, neceſſariúmq; eſt prauam hanc qualitatem in humoribus eſſe, qui ad circunferentiam mouentur, nam

quand

quandoq; videmus in vna capitis parte fieri defluuium,& non in alia,vt quandoq; in quatuor digitorum ſpatio tota cutis appareat,nec vnus adſit pilus. Eſt verò magna pars illius affecti humoris,qui ad locum illum peruenit, & minor ad alias partes,idcirco in pilorum caſu inæqualitas fit. Non eſt opus ſigna edocere,quibus cognoſcatur,quia ſeipſum pandit hic morbus, nam vna in parte pili rareſcere videntur, vt in capite,in ſuperciliis,in barba.notandum tamen eſt,quandoque in capite fieri, & nõ in aliis partibus , ſed tempore procedente in aliis etiã decidunt pili partibus. Experientia nimirum oſtendit capillos quandoque decidere,& non barbam, neque ſupercilia, quandoque è conuerſo.poſteà & hi decidere incipiunt,qui in his ſunt partibus, nonnunquam ſimul partes omnes depilari incipiunt,plerunque perſeuerant adeò penis vlcera,& oris,ac bubones,vt vnà cum illis pilorum incidant defluuium.Cùm dictum ſit omnes,qui gallico morbo affecti ſunt,temporis ſucceſſu atrabilares effici, in hoc tamen pilorum defluuio, homines atrabilares fieri neceſſarium non eſt,at in ſua vnuſquiſque,vel pars maior perſtat natura,cùm aliquis tibi occurrit ob affectum gallicum ex pilorum defluuio curandus, primò pur-

gandus est, & si sit natura biliosus syrupus hic exhibendus est.

℞. Inf.senæ ℥ iiij
Syrupi rof.sol.
Syrupi de endiuia
Singulorum ℥ j.

Misce. si plurimum educat, alternis diebus præbeatur, posteà medicamentum hoc exhibendum est.

℞. Syrupi rof.sol. ℥ iij.
Electuarij de succo rosarum ʒ ij.
Inf.senæ ℥ ij.
Misce

Nota, & si sena ac senæ infusio atram bilem euacuare videantur, semper tamen conuenit, in omui affectionis gallicę specie senam adhibere, nā huic morbo ex quadā naturæ proprietate conferre videtur, & ideò (si vires constent) sena semper adhibēda est, si ex syrupis sanus esse videretur, bene illi esset. Si verò adhuc perseueraret affectio, Guaiaci decoctum in aqua, vt superiùs dictū est, præbere oportet. Vt autem capilli ac barba seruentur, & illi qui non sunt affecti, non decidant, & noui renasci procurentur, caput, barba, ac supercilia sequenti lixiuio abluantur.

℞. Lixiuij ex cannarum radicibus ℔ iij.
Adianti Ladani

Cineris

Cineris cancrorum
Radicis nymphææ
Rosarum syluestrium
Foliorum myrti
Singulorum M. j.

Misce,& bulliant ad quartæ partis cõsumptionem, posteà caput lauetur, & sequenti linimento inungatur.

℞. Adipis vrsini ℥ ij.
Myrrhæ Ladani Aloës
Copularum glandium
Corticum iuglandis crematorum
Corticum auellanarum crematorum
Singulorum ℈ j.

Misce,cum oleo ex oleastro, vel omphacino(si illud desit)& fiat linimentum molle, supercilia insuper & barba sunt eodem linimento abluenda, at eodem linimento (in bilioso homine)inungenda,& multos dies perseuerandum, non enim credendum est, quòd tribus vel quatuor vicibus in sanitatem restituatur.

At si hic pituitosus sit,qui in eiuscemodi pilorũ defluuium inciderit,vena secãda nõ est,sicuti neq; in bilioso,nisi plethora correptus esset. Verũ hoc modo purgãdus est.

℞. Inf.senæ ℥ iiij.
Syrupi byzantini Oxy.simp.
Singulorum ℥ j. Misce.

Post

Post aliquot syrupos medimentum sequẽs præbendum est.

℞. Diaphiniconis ʒ vj.
Inf.senæ ℥ iiij. Misce.

Vel cochiæ pilulæ adhibeantur, posteà sequenti decocto caput abluatur.

℞. Lixiuij ex radicibus cãnarũ facti ℔ vj.

Adianti	Myrrhæ
Ladani	Seminum nasturtij
Aloës	Sinapis
Radicis asphodeli	Ranunculi
Thapsiæ	Myrtillorum
Hyssopi	Corticum raphani
Aeruginis	Laserpitij

Singulorum ℥ ß.

Misce,& bulliant secundum artẽ ad tertiæ partis consumptionem, posteà colentur,& caput abluatur, barba, supercilia, ac cilia, deinde sequenti linimento inungantur.

℞. Adipis vrsini ℥ iiij.
Fellis taurini ℥ ij.
Laserpitij Sandaracæ
Singulorum ʒ ij.
Sinapis Myrrhæ
Ladani Aloës
Singulorum ʒ j.
Terebenthinæ ℥ j.

Olei ex oleastro vel olei omphacini, quantum sufficit.

Misc

Misce,& fiat linimentum molle.

Si verò vlteriùs progredi sit opus,ligni Indici decoctum in aqua præbeto , vel dimidia pars sit aqua,& alia dimidia vinum.

Si quis verò sit atrabilaris tẽperiei,hoc modo curãdus est.Primò hos syrupos insumat.

℞. Inf.senæ ℥ iiij.
Syrupi de epithymo
Syrupi de fumo terræ
Singulorum ℥ j.
Misce.

Post hos syrupos,qui alternis sumãtur diebus,quia ventrem subducent, sequens præbendum est medicamentum,

℞. Diacatholiconis ℥ j.
Inf.senæ ℥ iiij.
Misce,& conuenienti hora præbeatur.

Deinde si opus sit,quia in hac temperie vehementioribus indigemus medicamentis, ligni Indici in vino decoctum præbeatur. semper verò notato si febris adsit, frigida esse addenda,sin minus,non addenda.

Post purgationem caput,barba,cilia, & supercilia sequenti decocto lauanda sunt.

℞. Lixiuij ex cannarum radicibus ℔ vj.
Senæ ℥ j.
Polypodij ℥ ij.
Ladani Myrrhæ
Seminis nasturtij Corticis raphani

Myrt

Myrtillorum Laſerpitij
Radicis aſphodeli Batrachij
Singulorum ℨ iij.

Miſce,& bulliant ſecundum artem, poſteà caput lauetur,mentum, cilia,ac ſupercilia, deinde ſequenti linimento eædem partes inungantur.

℞. Adipis vrſini ℥ vj.
Terebenthinæ ℥ iiij.
Fellis taurini ℥ ij.
Laſerpitij Ladani
Aloës Thapſiæ
Singulorum ℨ iiij.
Sinapis Radicis aſphodeli
Batrachij
Singulorum ℨ ij.
Roboris pilulæ
Glandium faginearum
Singulorum ℨ j.
Lapidis armeni ℨ j.ß.
Olei myrtini ℥ iiij.
Olei ex oleaſtro quantum ſufficit.

Miſce, & fiat linimentum molle, his opus eſt vti,quoad capilli,ac pili creuerint. Quandoq; in vnaquaque ſpecie hoc decocto vti ſimpliciter ſolebam.

Recipe cannarum radices & illas exure, ac cinerem facito.intellige verò cannarum Ferrariæ græcarum vocatarum, poſteà ex

hoc

hoc cinere lixiuium vt cõuenit facito, quod tamen facilè fit lixiuium, in quo hæc ebullire facito.

℞. Ladani ℥ ß.
Spicæ nardi Hyſſopi
Singulorum ʒ iij.
Acaciæ Boli armeni
Maſtiches Balauſtiarum.
Thuris
Singulorum ʒ ij.

Miſce, & bulliant ſecundum artem, poſteà iubebam omnia lauari loca, in quibus pili ac capilli naſcuntur, & diligenter exiccari, neque alio vtebar præter lotionem linimento, quandoque hoc ſequente vſus ſum, purgatione perfecta prædictum lixiuium accipi iubebam, & in eo ardentem calybem frequenter extingui, prædictis deinde additis modò plus, modò minus, ac percoctis eaſdem partes lauari iubebam.

Dubium verò contingit, an capilli atq; pili abradi debeant? reſpondendum eſt, ſi abradantur, faciliùs applicari poſſe medicamenta, tamẽ expertus ſum quòd difficiliùs & tardiùs capilli naſcuntur, ſi caput abradatur. At creſcunt faciliùs, ſi omnes non abradantur, quia non omnes decidunt, ſed aliqui etiam ſeruantur, idcirco potiùs probo non abradere caput, quàm abradere.

Si verò abradatur, tunc octies, aut decies in octo aut decẽ dierum ſpatio abradi debet. Vt autem citius creſcerent, ac renaſcerẽtur, iuſsi quandoque vt abraderentur, poſteà terebenthina capiti ſupraponeretur, & ita ad alteram vſque diẽ ſeruaretur, ſequenti autem die hoc decocto ablueretur.

℞. Lixiuij ex cannarum cinere ℔ vj.
Hyſſopi
Spicæ nardi
Naſturtij
Aſpodeli
Singulorum M. j.
Ladani
Myrrhæ Aloës
Singulorum ℥ j.

Miſce, & bulliant ſecundum artem, poſteà caput abluatur, & iterum terebenthina ſupraponatur. Itáque fiat per octo aut decem dies, caput quotidie abradendo, & terebenthinã reiterando, poſt octauum aut decimũ diẽ, vt dierum numerus mihi videbatur explendus, abraſiones dimitti iubebam, & eo modo inũgi ac lauari, vt ſuperiùs dictũ eſt.

Mirificum vidi in hoc caſu, ablutionem ſcilicet ex vino cretico potenti fieri, poſteà terebenthinam, & thapſiam ad hanc menſuram ſupraponi.

℞. Terebenthinæ partem vnam.

Thap

Thapſiæ partem quartam.

Miſce. Quandoq; iuſsi taurinum fel capiti ſupraponi,eo modo quo per illos octo dies aut decem terebenthina vſus ſum, & ita bene,ac breui finis ſucceſsit optatus.

Pauperculos hoc modò curaui, iuſsi vt caput illis abraderetur, poſteà probè vrina ablueretur,deinde acciperetur

Calcis viuæ ℔ j.

Olei roſ. omph. ℥ vj.

Miſce,& fiat globus,qui ſupra cutim extendatur,& per quatuor horas ſeruetur,poſteà caput vrina lauetur, hoc citiſsimè capillos creſcere facit, neque arbitreris calcem ita compoſitam exulcerare, ſed à roſaceo omphacino corrigitur, & minimè exulcerat, verùm pilorum materiam ad circunferentiam trahit.

Superioribus diebus mulierem quãdam curaui,quæ nec vnum habebat capillum,& capitis cutis alba erat,ac lucida, vt caro videretur,infinita ferè præſidia & ab aliis medicis, & à me ipſo huic mulieri adhibita ſunt.nam fui ego vltimus ad hanc curationem vocatus, denique percepi eſſe maximam cutis obſtructionem,qua mulier hæc afficiebatur,primò iuſsi, vt illius caput nigro ſapone tegeretur,& nihil effectum eſt. nam nonnullos nigro ſapone quandoq; ſa-

nitati restitueram, posteà iussi vt canthari-des supra caput apponerentur, quæ cutem exulcerarunt, & inde ad quinq; vel sex dies capilli apparere cœperũt, & se prodire velle ostenderunt, cùm prius minimè prodirent, & ita breui tempore creuerunt, arbitror cantharidas exulcerando capillorum materiam ad se atraxisse, & capillos tam citò obstructione remota prodiisse.

Nonnunquam ad hoc propositum sinapismo supra caput vsus sum, cùm capilli prodire non poterant, & in mento quando barba non exibat.

Nonnunquam laserpitio & laurino oleo totum caput deliniui, eiusdémque lotionibus laui.

Hæc est curatio, quando solùm adest capillorum defluuium.

At si cuipiam dentes etiam deciderent, & vocata vulgò dentarola correptus esset, huic succurrendum est, ne omnes penitus amittantur. solet hic dentium casus ad pilorum defluuium sequi, quandoque ad bubonem simpliciter sequitur, & ad illas primas enarratas affectiões, quæ in pene sunt, atq; ore, fortè ab eadem materia dentium casus contingit, à qua fit defluuium capillorum, si eiuscemodi materia ad gingiuas progrediatur, & dentiũ ligamenta relaxet,

ac fran

ac frãgat, dentes absq; vllą macula decidũt, hoc est nõ corrosi, neq; cariosi, neq; putridi. Cùm hoc percipitur statim decoctum ligni Indici in vino præbeatur, præsertim cùm ad capillorum defluuium sequitur. At cùm incipit, decoctum in aqua potiùs conuenit. interim verò ne dentes corruãt, & materia illa consumatur, quæ iam gingiuas occupat, hæc aqua conficiatur, è qua dentes frequenter abluantur.

℞. Aquæ plantaginis ℔ iiij.
Aluminis rochæ ℥ viij.

Misce, & adhibito alambico vi ignis eliquetur, postquam eliquatum fuerit in ore seruetur: nam vim habet materiam illam resoluendi, & repercutiẽdi. Et si magis penetrare volueris, nõnihil aceti addito, posteà iubeto fieri & hanc aliam lotionem, quæ magis resolutiua est.

℞. Vini cretici ℔ j.
Aluminis rochæ ℥ j.
Boli armeni ℥ ß.
Misce, & in ore seruetur.

Tertiò autem ad vehementissime resoluendum hoc quod sequitur vtitor.

℞. Aquæ ardentis ℔ j.
Boli armeni ℥ j.
Aluminis liquidi ℥ ß.
Acaciæ Thuris Masticbes

Singulorum ℥ j.ß.

Miſce,& os abluatur,ac in ore ſeruetur. Deniq; hoc vehementiſsimo nonnunquam vſus ſum,quod vim tantùm reſoluendi habet,& nonnihil roborandi,& in ſanitatem reſtituit.

℞. Aquæ ardentis ℔ iij.
Saluiæ
Roris marini
Baccaræ Hyſſopi
Roſ. rub.
Singulorum man.ß.
Aluminis liquidi ℥ ij.

Miſce,& per noctem ac diẽ vnà madeſcant, poſteà alambico iterum vi ignis eliquẽtur.

Interim verò medicus proſequatur ligni Indici decoctum præbendo,vt ſuperius dictum eſt,quò praua qualitas auferatur,hæc eſt curatio in ſolo dentium caſu , & non in aliis partibus.

Nunc parumper ad capillorũ defluuium redeamus , nonnulli ſunt qui infeliciſsimè hoc decocto vſi ſunt in capillorũ defluuio.

℞. Senæ Man.j.
Radicis lapatij acuti ℥ j.
Florum roris marini Man.j.ß.

Miſce,& ſimul decoquantur , ſed tantũ obſtat capillorum defluuio hoc decoctũ,quantum id quod nihil obſtat. Alij hoc vſi ſunt.

℞. La

℞. Ladani
Succi myrtillorum
Singulorum ℥ j.
Papaueris nigri
Spicæ nardi
Cap.ven.
Singulorum Man.j.
Cyperi
Corticis pini
Seminis apij
Singulorum ℥ ß.
Olei ſeſamini
Olei myrtini
Singulorum ℔ j.

Miſce,& bulliant in duplici vaſe, & colentur,ac ſeruentur.

Aliqui vtuntur fœnogræci decocto, ſed præſidio nimis leui.

Contingit & in hoc gallico affectu vnguium caſus,quem vngiarolam vulgus vocat,affectus potiùs fœdus,quàm doloroſus. nam decidunt vngues,vt capilli, & dentes faciunt,& hic affectus nonnunquam ad capillorum caſum ſequitur, nõnunquam antecedit,tamẽ ſemper illum præcedunt, aut bubo,aut penis exulceratio, aut oris exulceratio, aut aliqua ex his ſimul, quantum ſit de his,quæ per os adhibentur, ita hi curandi ſunt,vt illi, quibus pili decidunt, ac

dentes. vngues verò hac ablutione lauandi.

℞. Myrtillorum
Acaciæ
Balaustiarum
Corallorum alborum
Masticùes
Thuris
Singulorum ʒ ij.

Misce, & bulliant in aqua plantaginis, secundum artem, posteà digiti in hoc decocto per semihoræ spatium immittendi, deinde hoc linimento perungantur.

℞. Olei myrtini ℥ ij.
Pinguedinis tassi ℥ ß.
Picis hispanæ
Gummi arabici
Mastiches
Singulorum ʒ j.
Misce, & cũ cera fiat linimentum molle.

Cùm verò deciderint vngues, vel fuerint perfracti, & scissi, fiat hoc ceratum, quod ipsis supraponatur.

℞. Ceræ nouæ ℥ ij.
Resinæ pini
Olei myrtini
Quantum sufficit.
Misce, & fiat ceratum.

In hoc verò affectu pessimum omnium est oculos amittere, & hunc affectum vulgus occhia

occhiarolam vocat, propterea & de hoc agemus, quanquam neminem Ferrariæ viderim, qui oculos penitus amiserit. Romæ autem, & Venetiis nonnullos vidi, qui oculos ac visum prorsus amiserant. at Ferrariæ in ophthalmiam incidunt, quæ difficulter quidem curatur, sed denique sanitati restituitur. prouidendum statim est huic Ferrariensi ophthalmiæ, imprimis venæ sectione cucurbitulis, & euacuationibus, vt superiùs dictum est.

In principio autem materia repellatur, dolórque hoc modo remittatur.

℞. Aquarum rosarum
Aquarum plantaginis
Singulorum ℥ ij.
Tutiæ
Antimonij
Singulorum ʒ j.
Misce. Posteà aliud colyriũ fiat, partim repercutiens, partim resoluens hoc modo,

℞. Aquæ rosatæ ℔ ß.
Tutiæ ʒ ij.
Aloës lotæ ʒ j. ß.
Misce.

Deinde hoc lene fiat resolutiuum.

℞. Meliloti
Fœnogræci
Singulorum ℥ ß.

Aquæ fœniculi ℥ vj.
Miſce & modice ſimul bulliant,
Denique hoc valde reſoluens conficiatur.
℞. Aquarum fœniculi
Aquarum rutæ
Singulorum ℥ iij.
Myrrhæ
Bdelij Meliloti
Fœnugræci
Sarcocollæ
Singulorum ʒ j.
Miſce,& nonnihil bulliant.
Sanguiſugæ poſt aures applicentur, & iu occipite ſcarificatio fiat.
Quandoque ex ſolo aloë & zuccaro quãdo reſoluere opus fuit nonnullos in ſanitatem reſtitui,his videlicet in puluerem redactis, & in oculorum angulis poſitis.
Inter mirifica verò, quæ ab hoc oculorum morbo liberare ſolent, ſunt ſetarum tractiones,quæ in occipite fiunt, poſteaquam locus fuerit ignitus,& per foramen ab igne factum ligula ex equina ſeta trahatur.
Conuenit & ad nares ſanguiſugas apponere,& ſanguinis copiam educere.
Poſſet & duabus ſpongiis ſupra oculos poſitis fomentũ fieri,quod ex his eſſet cõfectũ.
℞. Maluæ
Violarum Meliloti

Fœnu

Fœnugræci

Singulorum Man.j.

Misce, & bulliant in aqua padana, posteà collyrium vltimum resolutiũ adhibeatur. Hic verò semper euacuandus est, & decoctum ligni Indici in aqua sumere debet, & tenuiori victus genere vti, & quali debemus vti, cùm aqua insumitur, tamen intelligendum est, si vires ipsæ constent.

Si verò simul complicentur capillorum, & dentium casus, vel vnguium, vel ophthalmia, complicentur etiam simul & pręsidia, quæ in his affectibus conuenire dicta sunt, & si sit casus dentium, vel vnguium cum ophthalmia eodem modo curationes complicentur. idémque de omnibus aliis complicationibus intelligendum est, quando, scilicet simul aderunt dolores, tumores, scabies, & reliquæ species de quibus superius pertractatum est.

Contingit quandoque, vt ex his quæ dicta sunt, nihil accidat ægrotãtibus, sed tantùm gonorrhœa afficiantur. hi ex ligni Indici decocto in pristinum statum reducẽdi sunt, & illa agẽda quæ superiùs cum de hac gonorrhœa tractaremus annotauimus, nã quandoque lues gallica ab hac incipit gonorrhœa, & in ea perseuerat. Nota verò nõ esse adstringendam, nisi post multas eua-

cuationes, & ſumptionem decocti, in aqua ſi recens ſit: vel in vino, ſi antiqua.

Vnum inſuper conſiderandum eſt in hoc affectu, cùm aliqui ex hoc affectu in ſanitatem reſtituuntur contingere, vt in æſtate, vel aliis quibuſdam tẽporibus in manuum ac pedum ſciſſuras incidant, & duritias vti callos, ac exulcerationes, hi cùm in hæc incidunt, purgandi ſunt, ratione temperiei adhibita & peccantis humoris, vt ſuperiùs dictum eſt, posteà iubeto vt manus in hoc decoctum imponat, mane, & veſperi, & per ſemihoram ſaltem in illo immoretur, ad ſummum verò per horam.

℞. Maluæ
Violarum
Althææ
Foliorum caulium
Singulorum man. j.
Pinguedinis hirci
Pinguedinis anſeris
Singulorum ℥ j.
Seminum lini
Seminum fœnugræci
Singulorum ℥ ß.

Miſce, & bulliant in aqua ſecũdum artem, poſtquam manus per prædictum tempus in hoc decocto probè calido ſeruatæ fuerint, filtro bene perfricentur, vt rubeſcant:

poſteà

posteà ſequenti linimento deliniantur.

℞. Pinguedinis anſeris
Agungiæ ſuillæ
Singulorum ℥ j.
Mercurij ℥ ß.
Maſtiches
Gummi arabici
Colophoniæ
Singulorum ℈ ß.

Miſce, & cum oleo laurino fiat linimẽtum molle. Nonnunquàm in delicatioribus hoc ſapone ſum vſus ad manus abluendas, & ſanitati reſtituti ſunt.

℞. Saponis vocati fini ℥ iiij.
Argenti viui extincti ℥ ß.
Argenti ſublimati ʒ j.

Miſce, & ſapo in maſſam reducatur, quandoque hoc modo tantùm confici iuſsi, quia argentum viuum deturpat.

℞. Saponis ℥ j.
Argenti ſublimati ℈ j.
Miſce

Hoc eſt aliud linimẽtum, quo etiam quandoque vſus ſum.

℞. Ol. amygd. dulc.
Olei liliorum alborum
Singulorum ℥ iiij.
Polypodij triti ℥ ij.
Radicum althææ ℥ j.

Miſce,

Miſce, & bulliant probè ſimul, poſteà colentur deinde
℞. Lithargyrij auri
Plumbi vſti
Tutiæ præparatæ
Antimoni
Ceruſſæ
Alcionij
Singulorum ℥ iij.
Succi radicum althææ
Succi rumicis
Succi chelidoniæ
Singulorum ℥ j.
Miſce, & omnia hæc cum prædictis oleis probè agitentur quoad vnguenti formam contraxerint, denique adde
Argenti ſublimati Ǧ xv.
Si manus hoc linimento inungātur, omnia obliterantur, quæ ob gallicum affectum in manibus fiunt, & ſciſſuras ac callos delet, quando veſperi, aut mane vnguentum hoc à manibus erit remouendum, manus hoc decocto calido abluantur.
℞. Aquæ padanæ ℔ iiij.
Vini albi ℔ ij.
Roſ.rub. Cap.Ven.
Aluminis rochæ
Singulorum ℥ ß.
Miſce, & bulliant ad conſumptionem duar

duarum librarum.

Hæcque ſint ſatis de omnium ſpecierum morbi gallici curatione, ſi denique notauerimus, hũc morbum inueteratum, vel nunquàm, vel raró in ſanitatem reſtitui. Raró dixi, quia nonnullos vidi, qui ex antiquiſsimo huius generis morbo, & cum ſummis cruciatibus, tandem ſanitati reſtituti ſunt, & in ea perſeuerarunt. Quod ab hoc affectu malè tractati fuerunt, tamen ſanitatem adepti ſint, quemcunq; inciderint in morbum, ſemper morbus ille in quacunque ſit ſpecie, vehementior efficitur, quàm eſſet ſi hic non fuiſſet morbo gallico affectus.

Si quiſpiam vulneretur, qui morbo gallico affectus ſit, vel aliâs fuerit morbũ gallicum perpeſſus, ſanitati tardiuſculè reſtituitur. imò ſi quiſpiam cultro ſibi digitum inciderit, panem incidendo, qui aliôqui in vigintiquatuor horarum ſpatio conſolidatus eſſet, quadraginta dierum ſpatio in ſanitatem haud reſtituitur, tam vehemẽtem ex lue gallica qualitatem prauam in carne contraxit, vt difficulter minimæ etiam inciſiones conſolidari poſsint, imò vnuſquiſque etiam breuiſsimus morbus ſanitati ſit rebellis, & ad eam acquirendam longa indiget mora, vnuſquiſque igitur in hunc morbum incidere caueat.

Si

Si podagrici dolores cum gallico affectu contingant, vehementiſsimi efficiuntur, & hic, qui affectus eſt, non minùs vehementer moleſtatur, & angitur, neque breui ſanitatem recuperare poteſt.

Morbus gallicus eſt in declinatione vniuerſali, nam remitti cœpit, & adeò remittetur, vt penitus abeat, neque ampliùs aliquẽ vexabit, ſatis enim per octuaginta ferè annos vagatus eſt, hoc nimirum modo morbi omnes noui, & qui nonnullis ſolùm temporibus viſi ſunt, deinceps delituerunt, & abſoleti ſunt.

Et ſi oculorum perturbatio ſæua videatur affectio, tamen parua eſt, quia vnum ſolùm occupat membrum, & id etiam paruum, licet nobiliſsimum ſit, ſecus eſt cum oculi ipſi amittuntur. SENEX. Cùm Indici ligni decocta, & radicis vocatæ chinæ iam nouerim, huic ſermoni de decoctionibus finis imponendus eſt, pręſertim cùm in noſtris pharmacopoliis nullæ ſeruentur, non ab re autem videbitur ſi de infuſionibus verba faciamus. BRAS. Cùm hoc tibi gratum ſit, de infuſionibus agere non recuſabo.

FINIS.

INDEX HVIUS OPERIS ANTONII MVSAE BRASSAVOLI.

*

INFVS

Phleb-

genti

Quib

capit

FINIS INDICIS.

Lugduni,

EXCVDEBAT
IACOBVS
FAVRE.